FAUSTUS MARIALES IN TRES LIBROS DISTRIBUTI MYSTERIO VITAE BEATISSIMAE...

Lorenzo Kreaytter, Petrucci cardinale

FASTVS MARIALES

D. LAVRENTII KREAYTTER

Romani Monachi Siluestrini

Ordinis S. Benedicti.

ex charitate Em.mi Card.lis Petrucci
Pertinet ad conv.tum S.ti Bon.ti de Urbe

FASTVS MARIALES

IN TRES LIBROS DISTRIBVTI

Myſteria Vitæ Beatiſsimæ Virginis

MARIÆ

Ab eius Conceptione, vſque ad ſuam in Cœlis Feliciſsimam Aſſumptionem.

Necnon eius Geſta, Prærogatiuas, Gratias, ac Perfectiones ita complectentes, vt & Scolaſticæ Doctrinæ ſtudioſis, & Diuini Verbi Concionatoribus vſui eſſe poſsint.

A V T H O R E

D. LAVRENTIO KREAYTTER

Romano Congregat. Siluestrinæ Monaco

Ordinis Sancti Benedicti.



V E N E T I I S, M. DC. XCV.

Typis Antonii Tiuani.



LEOPOLDO PRIMO

IMPERATORI.

[illegible] MERITA

MAXIMO

[illegible]IS,

AVSTRIAE PARENTI.

[illegible]

AVGV[illegible]RI

O[illegible]

[illegible]LORIOSO [illegible]

[illegible]MQVE AR[illegible]

PARENTI OPTIMO

CÆSARI

SVO

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

APPROBATIONES

THEOLOGORVM.

DE commissione Reuerendissimi Patris Nostri Abbatis Generalis perlegi volumen, cui titulus *FASTVS MARIALES IN TRES LIBROS DISTRIBVTI, &c.* Compositum, ab eruditissimo, ac sapientissimo P. D. *LAVRENTIO KREATTTER* Nostræ Congregationis Monacho, & Serenissimi *COSMI III.* Magni Ducis Hetruriæ Theologo; & nihil inueni principijs Fidei Catholicæ, aut bonis moribus dissonum; imò totum reperij pijs, ac peregrinis disputationibus contextum SS. PP. auctoritatibus refertum, nec non varijs eruditionibus exornatum. Vndè dignum censeo, vt in lucem prodeat ad maiorem Deiparæ Virginis gloriam, & ad ingentem studiosorum vtilitatem. In quorum fidem has mea manu scriptas, subscriptas dedi ex Monasterio S. Stephani suprà Cacchum de Vrbe hac die 14. Decembris 1693.

Ego D. Ioannes Baptista Berti Romanus, Abbas, & Visitator Generalis Siluestrinus.

IVssu Reuerendissimi Patris Nostri Abbatis Generalis vidi Volumen cui titulus: *FASTVS MARIALES IN TRES LIBROS DISTRIBVTI, &c.* elaboratum ab eximio P. D. *LAVRENTIO KREATTTER* nostræ Congregationis Monacho, & Serenissimi *COSMI III.* Magni Ducis Hetruriæ Theologo, & nihil in eo quod non cohæreat Orthodoxæ Fidei, ac probatis moribus animaduerti, quin potius omnia præstantis doctrinæ, ac insignis pietatis erga Deiparam Virginem conscripta deprehendi, proindè vt Typis mandetur iudico. In quorum fidem, &c.

Datum Romæ die 15. Decembris 1693.

Ego D. Ioseph Bucciarellus Sacræ Theologiæ Lector Siluestrinus.

FACVL-

FACVLTAS ABBATIS GENERALIS.

D. Benedictus Biancini Congregationis Siluestrinorum Ordinis S. Benedicti Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Abbas Generalis.

CVm integrum Volumen, cui Titulus FASTVS MARIALES inscribitur à P. D. LAVRENTIO KREAYTTER nostræ Congregationis Monacho Romano, & Serenissimi *COSMI III.* Magni Ducis Hetruriæ Theologo sapienti calamo elaboratum, ac in tres Libros distributum, duo ex nostris peritioribus Theologis (quibus præcipua examinandi paginas fuit per Nos demandata commissio) diligenter perlustrarint, ac nihil penitus in eo suspicionis contrà Fidem, Religionem Catholicam, & bonos mores recognouerint, imò in lucem edi satis superque dignum iudicauerint. Nos auctoritate; quâ fungimur, facultatem facimus, vt prælo committi valeat, si eis, ad quos pertinet, ita placuerit. In quorum fidem has literas manu propria subscriptas, solitoque sigillo munitas damus ex Ædibus nostris S. Stephani suprà Cacchum Vrbis hac die 12. Mensis Februarij Anni 1694.

D. Benedictus Biancini Abbas Generalis Siluestrinorum.

Loco † Sigilli.

D. Franciscus Maria de Laurentijs de Mandato.

IMPE-

IMPERATRICI COELORVM
TERRÆQVE REGINÆ

MARIÆ

SEMINIS ABRAHAMI
Antiqui, Obedientis, Sancti,
Sanctissimo Fructui.
TRIBVS IVDÆ
Electæ, Inclitæ, Felicis,
Felicissimæ Descendenti.
STIRPIS DAVID
Optimi, Maximi, Augusti,
Augustissimæ Germini.
PANTERIS
Boni, Fausti, Sapientis,
Sapientissimæ Abnepoti
BARPANTERIS
Pacifici, Humilis, Pudici,
Pudicissimæ Nepoti.
IOACHIM
Pij, Sancti, Gloriosi,
Gloriosissimæ Primogenitæ.

VIR-

VIRTVTVM
Angelorum, Beatorumque omnium
Splendidissimo Speculo.
REGIS REGVM
Et
DOMINI DOMINANTIVM
Inclitæ Filiæ,
Dignissimæ Sponsæ
Castissimæ Matri,

ORATIO.

TIbi ô pijssima Virgo iam diu studia mea sacraui: en quod iam voto adimplere aggredior, dum de Arcanis Mysterijs Sanctissimæ Vitæ Tuæ aliquid conscribere tento, tum ex ijs, quæ Tibi deuotissimi, & addictissimi famuli conscripsere, tum ex ijs quæ Te inspirante attingere non diffido. Fac ô Potentissima Mater, vt labor iste qualiscumque, & Tibi ad honorem, & gloriam cedat, & ad salutem animæ meæ prodeat; dum quidquid in eo conscripsero ex nunc Tibi offero; precorque supplex, & humiliter, vt nihil in eo oculis Dilectissimi Filij Tui Domini Nostri, nec non Conspectui tuo appareat, quod vanitatem, aut ostentationem redoleat; sed tantum quod Diuinæ Maiestati acceptum esse sensero; quod cùm æterna felicitate te precante assequi confido meritis Domini Nostri, & Filij tui dilectissimi Iesu Christi Saluatoris nostri. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit Aeternum triumphans, & Regnat vsque Regnaturus. Amen.

LIBER

LIBER PRIMVS

Complectens vitam infantiæ, pueritiæ, & adolescentiæ Beatæ Virginis Dei Genitricis MARIÆ

DISPVTATIO I.

De Prædestinatione, & Præelectione Beatæ Virginis MARIAE.

1 Elegit eam Deus, & præelegit eam. Hoc Diuini spiritus oraculum tota Schola Augustiniana, & Thomistica semper intellexit de gratuita electione, & prædestinatione Beatissimæ Virginis tàm ad gratiam, & gloriam, quàm etiam ad dignitatem Diuinæ Maternitatis antè omnia illius merita præuisa: Hoc est clarum ex generalibus principijs, quibus vtraque innititur, cum doceat, omnes electos, & prædestinatos gratis fuisse electos, & prædestinatos antecedenter ad quæcumque propria merita præuisa; tum etiam ex ijs quæ docet S. D. Augustinus in lib. 2. de peccatorum meritis, & remissione cap. 25. vbi ait: *Ideò Virginem matrem non lege carnis peccati, idest, non concupiscentiæ carnalis motu concipientem; sed pia fide sanctum germen in se fieri promerentem, quam elegerat creauit, de qua crearetur elegit*. Quæ verba non obscurè indicant gratuitam hanc electionem; sed adhuc efficacius hoc confirmant verba illa eiusdem S. D. ex libro de Prædestinatione Sanctorum c. 5. vbi de electione, & Prædestinatione D. N. Iesu Christi ad sublimem illam gloriam loquens ait: *Est etiam præclarissimum lumen prædestinationis, & gratiæ ipse Saluator, ipse mediator Dei, & hominum; homo Christus Iesus; qui vt hoc esset, quibus tandem suis, vel operum, vel fidei præcedentibus meritis natura humana, quæ in illo est comparauit? Respondeatur quæso ille homo, vt à Verbo Dei Patri coæterno in vnitatem Personæ, assumptus Filius Dei vnigenitus esset; Vndè hoc meruerit? Quod eius bonum qualecumque præcessit? Quid egit antè, quid credidit, quid petiuit, vt ad hanc ineffabilem excellentiam perueniret, &c.* (& infra) *Nonnè de Spiritu Sancto, & Virgine MARIA*

Dei Filius vnicus natus est, non carnis cupidine, sed singulari Dei munere? Si ergo singulari Dei munere, non verò ex præuisis meritis D. N. Iesus Christus prædestinatus, & electus est in Dei Filium; Hoc idem de Beatissima Virgine, & eius electione ad dignitatem Maternitatis Dei, & gratiam, ac gloriam summam, ad quam electa fuit dicendum est, vt rectè arguit Suarez to. 2. 3. part. disp. prima sect. 3. vbi expressè ait de hoc puncto; *Hoc constat partim ex certa sententia, qua constat omnes homines prædestinatos eligi absque proprijs meritis; partim ex ijs, quæ tomo primo diximus: vbi ostendimus Beatam Virginem nullo modo meruisse, vt in Matrem Dei eligeretur. Et hanc veritatem docere intendunt Sancti Patres, cum dicunt, Verbum Diuinum elegisse sibi Matrem, eamque sola sua voluntate ab æterno præordinasse, Ita sentit D. Augustinus de Peccator: meritis, & remiss. cap. 25. Bernardus homil. 2. in missus est, & Cyprianus in Serm. de Natiuitate Christi in hoc sensu vocat Virginem vas electionis.* Sic discurrit Suarez loco citato. Vbi etiam infert; Ideò Beatissimam Virginem in tantam gratiam, & gloriam ad quam assumpta fuit, prædestinatam esse, quia electa, & prædestinata fuit, vt esset Mater Dei. Ordo enim executionis manifestat ordinem intentionis; & cum reipsa talis, & tanta gratia, & gloria fuerit data illi, qualis, & quanta non fuit concessa vlli puræ creaturæ; & hoc idcircò vt esset ita disposita, sicut Matrem Dei decebat; ergo ideò fuit electa ad tantam gratiam, & gloriam quia in Dei matrem erat præelecta. Idem tenet, & explicat luculenter P. Ioannes de Carthagena Tom. 1. de Sacris Arcanis B. V. lib. 1. homil 2. &c. His tamen duobus Auctoribus non adhæreo in eo quod dicunt, & docent circa ordinem talis Prædestinationis, idest fuisse B. V. M. electam tàm ad maternitatem, quàm ad talem gloriam per se, & absolutè ante præuisum originale peccatum. Cum enim, vt admittit, & supponit vt certissimum ibi Suarez §. *Tertio hinc colligo* de hoc puncto Philosophandum sit proportionaliter ad Prædestinationem Christi Domini, & Incarnationis eius. Et cum hæc fuerit decreta, & prædestinata post præuisionem ipsius peccati originalis Adami; manet etiam Beatam Virginem fuisse electam, & prædestinatam ad prædictam dignitatem Matris Dei, & excellentiam gratiæ, & gloriæ quam obtinuit post præuisum ipsum peccatum originale Adami. Hęc est expressa sententia S. Augustini, & S. Thomæ.

2 Non repugnat tamen prædictis principijs Theologicis quod in executione Beatissima Virgo meruerit non quidem de condigno, sed de congruo, vt esset Mater Dei; & hoc indicant illa verba S. Augustini in serm. 14. de Tempore vbi ait. *Talis eligitur Virgo, quæ tantum haberet meritum, vt Filium Dei in se susciperet.* Quapropter licèt gratis electa ad tantam dignitatem, & gloriam, vt licèt decretum electionis ipsius esset fundatum in Diuina liberalitate: nihilominus voluerit etiam Deus quod pro actibus eximijs virtutum ab ipsa B. Virgine eliciendis dare illi talem dignitatem, & augmentum gratiæ, & postea ipsam gloriam. Dixi augmentum gratiæ, quia prima gratia non cadit sub merito. Est tamen dispar ratio de maternitate, ac de gloria; gloriam enim promeruit de condigno; maternitatem verò de congruo.

3 Posito igitur tali absoluto decreto quo elegit SS. Virginem Mariam, ad summam gratiam, & gloriam quę possit

possit puræ creaturæ concedi, & ad maximam dignitatem Maternitatis Dei modo explicato; sequitur Deiparam prioritate excellentiæ, & dignitatis post Christum Dominum ante omnes alias creaturas fuisse electam, & prædestinatam. Quod indicat S. Mater Ecclesia dum in eius solemni festiuitate Immaculatæ Conceptionis ipsius in eius gloriam, & honorem vtitur illis verbis Prouerb. cap. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum antequam quidquam faceret*: quæ in primario quidem sensu accipiuntur de sapientia Incarnata; in secundario verò sensu de Beatissima Virgine. Videatur Carth. to. 1. l. 1. homil. 2. vbi per vias Domini intelligit eius operationes ad extra in quibus primarium locum dignitatis, & excellentię post Christum Dominum obtinet Beatissima Virgo. Idem indicant illa verba Eccl. cap. 24. *Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam*. Confirmatur etiam ratione, quia non erat conueniens, vt Mater à Filio separaretur. Ergo post ipsum immediatè erat collocanda; vt patet ex eo quod de ipsa præcinit S. Catholica, & Apostolica Ecclesia: *Exaltata est Sancta Dei Genitrix super omnes choros Angelorum*. Cumque gloria eo modo conferatur quo fuit ab æterno decreta, & ad eam facta electio, seruato tamen ordine intentionis, & executionis. Manet B. Virgo ad supremam gratiam, & gloriam post suum Sanctissimum Filium fuisse electam, & prædestinatam. Cum hoc tamen stat quod non fuerit electa, aut prædestinata neque ad dignitatem Maternitatis Dei, neque ad illam maximam gratiam, & gloriam ante præuisum Adæ peccatum. Probatur ex S. D. Augustino serm. 8. de verbis Apostoli, vbi illa verba Christi Domini in Euangel. S. Lucæ cap. 19. *Venit Filius hominis quærere, & saluum facere quod perierat*: Sic exponit: *Si homo non perijsset, Filius hominis non venisset*. Et serm. 9. *Nulla causa veniendi fuit, nisi peccatores saluos facere, tolle morbos, tolle vulnera, & nulla causa est*. Idem Docent SS. PP. Gregorius Magnus in lib. 4. Regum ad capit. primum. S. Athanasius serm. 3. contra Arianos. S. Cyrillus Dial. 5. de SS. Trinitate ante medium. S. Leo Magnus serm. 3. in Pent. & Alij quamplurimi apud Vasquez tom. primo in 3. partem, & Becanum part. 3. cap. 1. quæst. 8. Hi omnes docent quod Verbum Diuinum non assumpsisset carnem humanam, si Adam non peccasset, ex quo sequitur necessário, quod non fuerit talis assumptio decreta, prædefinita, aut prædestinata nisi præuiso prædicto originali peccato, & consequenter nec etiam B. V. electa in Matrem, & ad dignitatem Maternitatis ipsius.

4 Expresse verò de ipsa Beatissima V. loquitur S. Anselmus lib. de excellentia B. V. vbi illam alloquens sic scribit: *Cur itaque non iuuabis nos peccatores quandoquidem propter nos in tantam altitudinem eleuata es, vt te Dominam habeat, & veneretur omnis pariter creatura*. Ad quod facit etiam hymnus ille antiquus ad B. Virginem in illis versibus.

Per te Deum adit reus
Ad quem per te venit Deus,
Tu amborum media,
Nec abhorres peccatores,
Sinè quibus nunquam fores
Tanta digna Filio.

5 Circumfertur etiam quædam sententia S. Augustini, quam scribunt, qui eam adducunt, esse in expositione cap. primi S. Matthęi ad illa verba: Ipse enim saluum faciet po-

A 2 pu-

pulum suum à peccatis eorum: quo loco dicunt eum scripsisse: Si homo non peccasset Virgo non peperisset. Quam tamen ego adhuc inuenire non potui etiam facta diligenti perquisitione, Sanctus enim Doctor non scripsit specialem expositionem in Matthæum, nec in lib. de consensu Euangelistarum vbi multa etiam ex Sanct. Matth. expendit; nihil tale reperi.

6 His positis consequenter ad nostra principia censeo in electione Beatissimæ Virginis in mente Diuina hunc ordinem esse constituendum.

Primo Deus statuit creare totum genus humanum ad æternam beatitudinem, & simplici affectu desiderauit omnes ad eam peruenire.

Secundo ex hac voluntate decreuit illis dare gratiã in statu innocentiæ permittens illis liberum vsum arbitrij, in quo continetur permissio peccati.

Tertio vidit primum hominem cum sua posteritate labi, idest, vidit actuale peccatum Adami cum obligatione, seu debito, vel proximo, vel remoto illud contrahendi.

Quarto volens remedium homini lapso preparare predestinauit Christum Dominum, & merita eius.

Quinto statuit hec merita applicare hominibus diuersimodè. Nam Beatissimam Virginem voluit ex meritis eius præseruare ab actuali contractione ipsius peccati originalis. An etiam per hec voluerit illi dare existentiam, quam aliàs non esset habitura, & præseruare à debito proximo: Questio est inter Doctores.

Sexto ex cæteris hominibus quosdam paruulos reprobauit propter originale peccatum, alijs ex sola misericordia de Baptismo, vel Circumcisione, vel alio remedio prouidit, & ad vitam prædestinauit.

Septimo Adultis præparauit gratiam suam, secundum ordinem suæ Diuinæ Prouidentiæ.

Octauo Eos quos gratis elegerat in filio suo ad regnandum cum ipso per specialia dona, & maximè perseuerantiæ finalis decreuit perducere ad regna cœlorum, & dare illis gloriam, & vt donum gratuitum misericordie, & vt coronam gloriæ.

Nono ijs quos vidit male vsuros donis gratiæ vsquè ad finem vitæ inclusiuè, & morituros in peccato mortali voluit damnationem æternam.

7 Ex his quoad præsens institutum oritur Pima difficultas, quam præcipuè agitant P. Ferdinandus Salazar in defensione pro Immaculata Conceptione cap. 8. Et Em. Ioan. Card. de Lugo disp. 7. de Incarnatione sect. 3. An scilicet Beatissima Virgo fuerit concepta ex meritis Christi Domini, ita vt alias non esset extitura; An verò simul cum alijs hominibus ex Decreto Dei statuta eius existentia independenter ab illis meritis. Huic secundæ parti fauere videtur S. Augustinus Epistola 105. quæ est ad Sixtum vbi ait: *Etenim Christus non pro nullis vt conderentur; sed pro impijs vt iustificarentur mortuus est*, Idem argumentum pertractat S. D. serm. 11. de verbis Apostoli cap. 4. & deinceps; Quibus positis sic arguitur. Si per S. Augustinum Christus Dominus non est mortuus pro nullis hominibus, vt conditor; Ergo nec etiam pro Beatissima Virgine vt existeret, si nemo quoad substantiam producitur ex præuisis meritis Christi Domini. Respondet Cardinalis de Lugo loco citato §. 30. Intentum S. Augustini non esse excludere omnia bona nature à Christi Domini meritis, Alioquin nec pluuia, nec serenitas, nec fructus terre, nec Pax Reipublice, nec sanitas corporis, petenda essent propter meri-

merita Christi : sed sola iustificatio : nam sicut Christus non est mortuus vt homines essemus ; sic nec mortuus est vt comederemus, vel sani essemus, & tamen hæc aliquando habemus per Christum. Sensus igitur S. Aug. iuxtà explicationem huius Doctoris est quod hæc dona, & bona naturæ, & merè naturalia non fuerunt principale motiuum Christo Domino moriendi; quemadmodum fuit iustificatio; quod patet, nam si ille mortuus non esset, nullus ex hominibus iustificatus fuisset; at proles ita habetur, vt etiam si non moreretur; nihilominus plures homines nascerentur. Si dicas sequi ex hoc quod postea formaliter innumeri alij nascerentur ex meritis Christi; quia à primo taliter obtento posteà generarentur alij successiuè; Respondeo non sequi, quia obtenta radice, natura posteà operatur sine nouo adiutorio gratiæ: Quemadmodum diuinitus restituta potentia visiua cæco, posteà sine miraculo, & naturaliter ista exercet actus suos, & tales visiones non dicuntur veræ, & propriæ miraculosæ.

8 Hanc fuisse mentem S. Augustini potest suaderi ex eo quod in ea Epistola 105. arguit contra Pelagium, qui dicebat, vt ibi refert idemmet S. D. *Gratiam illam, quæ sinè vllis præcedentibus meritis datur ipsam humanam esse naturam; in qua conditi sumus. Neque enim antequam essemus mereri aliquid poteramus vt essemus*. Hæc sunt ipsa formalia verba Pelagij relata ibi à Sancto D. cui fallaciæ respondet immediatè S. Aug. *Abijciatur à Christianorum cordibus ista fallacia: nam omnino non istam gratiam commendat Apostolus, qua creati sumus, vt homines essemus, sed qua iustificati sumus, vt homines iusti essemus. Ista est enim gratia per Iesum Christum Dominum nostrum. Etenim Christus non pro nullis vt homines conderentur; sed pro impijs mortuus est vt iustificarentur*.

9 Primarium ergo intentum S. Augustini fuit ostendere, quod ideò principaliter Christus mortuus fuit vt per sua merita acquireret nobis gratiam iustificantem; Cum quo tamen rectè cohæret, quod secundariò obtinuerit etiam hominibus bona quædam naturalia, vt sunt sanitas infirmis, auditus surdis, visus cæcis, vita mortuis, quæ bona naturalia ab ipso Christo Domino adhuc in terris cõmorante concessa fuisse hominibus Sacra, & Euangelica testatur historia.

Confirmari potest hæc sententia ex illo celebri Axiomate S. Joannis Damasceni lib. 4 de fide orthodoxa cap. 15. vbi loquens de formatione Beatissimæ Virginis ait: *Itaque gratia (nam hoc sonat Anna Vocabulum) Dominam parit (id enim Maria nomine significatur) verè etenim rerum omnium conditarum Domina facta est cum Creatoris mater extitit*. Et oratione prima de Natiuitate B. V. expressè de formatione, seu Conceptione B. V. loquens ait: *Natura gratiam anteuertere non est ausa; sed tantisper expectauit dum gratia fructum suum produxisset*. Quibus verbis satis apertè datur intelligi formationem, & Conceptionem Beatissimæ Virginis non fuisse secundùm cursum causarum naturalium: sed gratiosam, & ex speciali gratia, & priuilegio Dei, quod vtique aliter esse non potuit post lapsum Adami, nisi intuitu meritorum Christi Domini. Omnis enim gratia spiritualis in hoc statu naturæ lapsæ descendit ad nos per illam, & non aliter: & consequenter ab æterno præelecta, & prædestinata ad existendum per ipsa merita Christi Domini.

10 Secunda difficultas est; An cum

cum prædicto ordine electionis, & prædestinationis conciliari possit, quod Beatissima Virgo fuerit præseruata à peccato originali; vel etiam, si placet sentire cum prædictis Doctoribus, idest Salazar, & de Lugo, & cum alijs, quos iste citat loco supra dato, à debito proximo contrahendi illud peccatum originale.

11 Ratio dubitandi est; quia ex vna parte de fide est etiam Beatissimam Virginem fuisse redemptam à Christo Domino: Redimi autem necessariò importat liberationem à peccato, vel saltem à debito illud contrahendi, nisi soluatur pro eo: ex alia verò cum Incarnatio Christi Domini fuerit decreta post præuisum peccatum actuale originale Adami, & consequenter post pactum, seù obligationem illud contrahendi in posteris ab eo descendentibus per seminalem propagationem iam ante decretum meritorum Christi Domini, & Incarnationis ipsius Christi, videtur fuisse inclusam etiam ipsam Beatissimam Virginem vt *Filiam veteris Adam* vt loquitur S. Joannes Damascenus orat. 2. de dormitione B. V. Mariæ.

Respond. tamen facilè ex dictis, quòd cum B. Virgo non fuisset extitura ex dictis nisi Verbum Diuinum fuisset incarnandum; hinc est, quod antecedenter ad præuisionem ipsius Incarnationis non fuit inclusa in illo pacto, & obligatione, sicut nō fuerunt inclusi alij homines merè possibiles. Quapropter determinando posteà eius existentiam, potuit decerni absquè vllo præiudicio scientiæ, aut decretorum Diuinorum, quòd conciperetur pura, Sancta, & Immaculata, vt de facto decretum, & executum fuit.

12 Maior difficultas est de debito proximo contrahendi huiusmodi peccatum. Pro cuius solutione sciendum est nomine talis debiti venire ipsum peccatum Adæ, quatenùs moraliter censetur peccatum actuale posterorū; quod posteà ipsi posteri actualiter contrahunt, et inficiuntur macula habituali ipsius in eo instanti, in quo incipiunt existere (sicut in eadem persona ver. gr. Petri, peccatum actuale ipsius transit, et manet culpa habitualis ipsius.)

13 Ratione igitur primæ considerationis dicimus: *Nos omnes in Adam peccasse*, eo quod nostræ voluntates moraliter censebantur alligatæ voluntati Adæ, cui Deus dederat virtutem continendi omnia; et in hoc formaliter consistit debitum proximum contrahendi ipsum peccatum originale.

14 Ratione verò secundæ considerationis dicimus: Nos omnes in primo nostræ existentiæ instanti contrahere peccatum originale, à cuius actuali contractione liberaremur, si in eo instanti nobis infunderetur gratia sanctificans; sicut infusa fuit Beatissimæ Virgini. Quoposito videndum est.

15 An sicut fuit exempta ab hac actuali contractione ex meritis Christi, sic fuerit exempta ab eo, quod eius voluntas esset moraliter alligata voluntati Adæ: Si enim non fuit moraliter alligata consequenter etiam erit immunis à debito proximo contrahendi tale peccatum: Si verò fuit alligata non potest saluari, quin habuerit debitum proximum illud contrahendi.

Videtur dicendum quod ratione electionis ad maternitatem Dei fuerit etiam exempta ab ea alligatione ex meritis ipsius Christi: Videntur enim esse rationes incompossibiles talis electio, et talis alligatio in eodem subiecto. Posset hæc sententia suaderi ex Doctri-

Doctrina S. Anselmi lib. 1. de Conc. Virginali cap. 18. vbi ait; *Decuit Virginem ea puritate nitere, qua maior sub Deo nequeat intelligi:* Ergo non solùm ab actuali contractione, sed etiam à debito contrahendi fuit immunis, alias non fuisset *Maior*, &c. Et ex S. Augustino libro de Natura, & Gratia cap. 36. Vbi ait: *Excepta S. Virgine MARIA, de qua propter honorem Domini nullam cùm de peccatis agitur habere volo quæstionem. Indè enim scimus quod ei plùs gratiæ collatum fuerit ad vincendum ex omni parte peccatum, quæ concipere, ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.* (Sic enim legit S. Thomas 3. part. quæst. 27.) ex quo sic arguò,

16 ex eo quod concipere, ac parere meruit eum quem constat nullum habuisse peccatum: scimus, collatam fuisse ei maiorem gratiam ad vincendum ex omni parte peccatum; Sed non fuisset victum ex omni parte peccatum, nisi ita electa fuisset, vt esset etiam immunis à debito proximo, illud contrahendi: ergo de mente S. D. est non solùm fuisse immunem ab actuali contractione; sed etiam à debito proximo illud contrahendi. Reliqua argumenta, quę probant hoc intentum videri possunt apud Cardinalem de Lugo in pręcitata disp. 7. de Incarnatione sect. 3. Quę dicta volo saluo meliori iudicio.

17 Dices nequit stare cum hac Doctrina Dogma fidei, quod Beatissima Virgo fuerit Redempta; Si enim nec contraxit, nec habuit debitum proximum contrahendi, nulla fuit in ipsa ratio, aut necessitas liberationis, & consequenter nec etiam Redemptionis.

Resp. Sufficere ad Dogma fidei, quod fuerit in ea debitum remotum contrahendi prædictam culpam originalem; quatenùs scilicet concipienda, & concepta fuit ex commixtione viri, & fœminæ ad quam post Adæ peccatum sequitur in omnibus alijs etiam actualis contractio, & proximum debitum contrahendi.

DISPV-

DISPVTATIO II.

De Purissima, & Immaculata Conceptione B. Virginis MARIAE.

§. I.

An Conceptio purissima B. Virginis MARIÆ fuerit aliquibus signis, vel miraculis ornata, & quibus?

18 Certum est Beatissimã Virginem procreatam fuisse ex viri, & fęminæ commixtione ad modum aliorum hominum. Habetur hoc ex certa traditione, & communi consensu totius S. Ecclesię. Est enim singulare priuilegium Christi Domini quod ex fœmina sine viri opera sit conceptus. Quo posito.

19 Dico primo. Conceptionem Beatissimæ Virginis Marię non sine aliquo miraculo, & supernaturali virtute fuisse perfectam. Refertur enim S. Annam fuisse sterilem, & vitam sine prole vsquè ad senectutem produxisse, et orationibus Conceptionem SS. Virginis impetrasse. Sic Referunt Nicephorus lib. primo cap. 7. vbi ait: *Inuenta itaque est Beata Virgo Maria dignum, Deumque decens verbi domicilium, etiam ante natiuitatem Deo consecrata, atque ex membris senilibus, & longè à natura feruore alienis tamquam quidam diuinitùs datus fructus producta. Ioachim, & Anna parentum erant nomina. Ambo accuratione iuxtà præscriptum legis vita præstantes, & clari, nec non primis quibusque, & splendidissimis nobilissimisque genere connumerati. Vitam autem ad senectutem sinè prole edita produxerant, erat enim Anna ad liberorum procreationem aluo infœcunda.* Idem testantur S. Epiphanius infrà citandus. S. Ioannes Damascenus lib. 4. de fide orthodoxa cap. 15. et in orationibus de B. V. M. et S. Gregorius Nyssenus orat. de Sancta Christi Natiuit. ex quibus S. Ioannes Damascenus in præcit. lib. 4. cap. 15. Sic ait: *Ioachim lectissimam illam ac summis laudibus dignam mulierem Annam matrimonio sibi copulauit. Verum quemadmodum prisca illa Anna cum sterilitatis morbo laboraret per orationem, ac promissionem Samuelem procreauit: eodem modo hac etiam per obsecrationem, & promissionem Dei genitricem à Deo accepit, vt ne hic quoque cuiquam ex illustribus matronis cederet.*

20 Ex quibus sic probatur intentum. Sterilem senem, et ex sene concipere non fit sine miraculo: sed Beata Virgo hoc modo concepta fuit, ergo non sine miraculo. Miraculum hoc digno elogio S. Ioannes Damascenus celebrauit dicens orat. prima de Nati-

Natiuitate B. V. M. *Decuit vt ad summum miraculum, via per miracula sterneretur, & vt in fabricanda Virgine gratia naturam iuuaret, ac praueniret, & vt parentes Virginis ad talem fructum suscipiendum sese desiderijs, & orationibus disponerent.*

21 Dico 2. Verisimile esse Virginis MARIÆ illibatam Conceptionem fuisse parentibus diuinitùs prænunciatam. Sic enim refertur in lib. de Natiuit. B. V. Mariæ, qui circumfertur sub nomine S. Hieronymi to. 9. operum ipsius. Et S. Epiphanius hæres. 70. & à S. Gregorio Nisseno satis indicatur, cum dicit: *Annam cum prolem à Deo postularet, nutu Diuino fuisse confirmatam.* Quibus verbis vsus est etiam Nicephorus ad hoc intentum.

22 Hoc etiam habetur ex Reuelationibus S. Birgittæ lib. primo cap. 9. vbi dicitur quod *ex Verbis Angeli nunciantis* (Parentes SS. Virginis Mariæ) *conuenerunt carne non concupiscentia aliqua voluptatis.* Sic etiam fertur quod S. Germanus Episcopus Constantinopol. in Encomijs Virginis scripserit: *Dominus flexus amborum precibus Anna, & Ioachim misit Angelum qui prænuntiaret filiæ conceptionem.* Similiter habetur in Biblioteca SS. PP. Tom. 9. folio 36. Sermo Fulberti Carnotensis Episcopi de Natiuitate Beatissimæ Virginis, in quo dicitur: *Euolutis ergo tot annorum curriculis missus est Angelus Domini prius ad Ioachim, demùm ad Annam nuntians ei nascituram filiam nomine MARIAM: cui similis nec anteà nata fuit nec posteà nascetur.*

23 Suaderi etiam potest ex eo, quia Beatissima hæc futura erat Angelorum Regina: ac proindè conueniens erat vt Angeli lætabundi eius primordia nuntiarent: & hoc eo magis quod ipsi Angeli Sanctorum Isaac, Sampsonis, & Ioannis Baptistæ Conceptionem nuntiauerant, ac proindè summè conueniens erat, vt & huius SS. Virginis primordia nuntiarentur ab ipsis Angelis. Iuxtà principium SS. PP. & Doctorum Ambrosij lib. de instit. Virginis, & Bernardi. Virgo à nullo Sanctorum vincitur in priuilegijs gratiæ.

24 De Angelo nuntiante purissimam, & Immaculatam B. Virginis Conceptionem loquuntur Franciscus Maironus in serm. super *Missus est*. Pantaleon apud Metaphrastem in oratione de S. Michaele. Io: Bileth. & Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum lib. 3. cap. 226. & dicunt fuisse S. Gabrielem Arcangelum.

25 Dico 3. Verisimile esse diuinitùs reuelatum fuisse parentibus nomen SS. Virginis MARIÆ: quemadmodum nomen Isaac reuelatum fuit Abrahæ, vt habetur Genesis cap. 17. & Nomen Ioannis Baptistæ Zachariæ Lucæ cap. 1. vbi etiam Elisabeth indicatur fuisse reuelatum, vt ibi notauit etiam S. Ambrosius; qui etiam in libro de Instit. Virginis cap. 5. videtur indicare, & hoc SS. Nomen *MARIA* fuisse à Deo tàm eximiæ Virgini præparatum illis verbis: *Vndè & speciale MARIA Domini hoc nomen inuenit, quod significat Deus ex genere meo.*

26 Hanc ethymologiam P. Franciscus Suarez Tom. 2. in 3. partem disp. 2. sect. prima in fine dicit se non inuenire, vndè eam sumpserit S. Ambrosius: nam iuxtà proprietatem linguæ Hebraicæ, & Syriacæ *MARIA* potiùs *Stella maris*, seù *Domina* interpretatur, vt obseruant S. Hieron. lib. de nominibus Hebraicis, & S. Io: Damascenus lib. 4. cap. 15. Videatur Petrus Canisius lib. 1. de B. V. c. 1. vbi eruditè de hoc SS. Nomine disserit.

B §. II.

§. II.

An Beatissima Virgo MARIA fuerit ab originali peccato præseruata, & in primo suæ Conceptionis instanti Sanctificata.

27 NOn est meæ mentis in hoc puncto coaceruare subtilitates, & argumenta partium diffidentium de quibus latè Pater Franciscus Suarez Tom. 2. in 3. partem ad quæst. 27. S. Thomæ disput. 3. Et plures alij antè, & post ipsum. Sed solùm afferre in medium ea quæ magis ad pietatem deuotionem, & cultum huius venerandi mysterij conducunt. Pro quibus,

28 Suppono. Sinè concupiscentia, vel immoderata carnis delectatione, in actu coniugij quo Beatissima Virgo genita fuit conceptam fuisse. Hoc colligo ex Doctrina S. Augustini qui lib. 14. de Ciuitate Dei à cap. 21. vsquè ad cap. 26. Docet quod in statu Innocentiæ si perseuerassent nullus fuisset ardor libidinis inordinatæ in actu generandi, quia virtute Iustitiæ originalis Deus libidinis actum temperasset, quod talem delectationem solùm sentirent coniuges qualem actus generandi necessariò exegisset; quæ tamen mentis tranquillitatem non turbasset, quod priuilegium piè creditur fuisse concessum Parentibus SS. Virginis MARIÆ cum hæc foret decoranda Iustitia originali, & innumeris aliis priuilegijs. Hoc habetur expressum in Reuelationibus S. Birgittæ lib. primo cap. 9. vbi habetur: *Cum nunciatum esset ab Angelo quod Virginem parerent, vndè salus mundi procederet magis voluissent mori, quàm carnali amore conuenire, & voluptas in eis mortua erat*, &c. Fauent huic sententiç Galatinus lib. 7. de Arcanis Catholicæ veritatis cap. 8. Spinellus in suo Throno cap. 18. num. 8. & alij plures. Quibus positis.

29 Dico. Beatissimam Virginem in primo suæ Conceptionis instanti fuisse à peccato originali præseruatam: hęc est sententia his temporibus communior in quam inclinat ferè tota S. Ecclesia, & post Apostolicas fel. Record. Gregorij XV. & Alexandri VII. non licet amplius contrarium publicè docere, aut prædicare. Hanç celeberrimi Doctores tuentur vt sunt omnes Theologi Ordinis S. Francisci à subtilissimo Ioanne Duns Scoto; & Francisco Mairone vsquè hunc, P. Francisco Suarez loco supra citato. P. Iacobus Granadus opusculo de Conceptione, Ferdinandus Salazarus in magno de hac re volumine, & plurimi alij sine numero,

30 Probatur primo. Quia ex Scripturis Sacris constat Adamum gessisse figuram Christi Domini vt habetur ad Rom. cap. 5. v. 12. & Epist. Prima ad Corinth. cap. 15. v. 22. Sed Adam fuit formatus ex terra nondum maledicta: Ergo verisimile est Christum Dominum quoque natum fuisse ex matre non maledicta: Iuxtà illud Lucæ cap. 1. vers. 42. *Benedicta tu inter mulieres*. Referunt Præsbyteri Acaiæ in libro de passione S. Andreæ Apostoli

stoli hanc Doctrinam prædicasse prædictum Apostolum his verbis : *Sicut de terra immaculata factus fuerat primus homo ; ita necessè erat , vt de Immaculata Virgine Christus nasceretur* .

31 Probatur secundo . Solet ex pluribus Sacræ Scripturæ locis quæ secundùm sensum spiritualem accommodantur B. Virgini MARIÆ, vt sunt illa Cant. cap. 2. vers. 1. *Sicut Lilium inter spinas sic amica mea inter filias* . & cap. 4. vers. 7. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te* . et Psal. 45. v. 5. *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus* , et plura alia sine numero . Validius videtur esse illud Genesis cap. 3. vers. 15. *Inimicitias ponam inter te , & mulierem . Ipsa conteret caput tuum* . Quo loco respexisse Deum ad B. Virginem est concors PP. et Theologorum sententia ; vndè rectè elicitur B. Virginem nunquam fuisse subiectam Diabolo, sed semper contriuisse caput eius . Fuisset autem subiecta , et non contriuisset caput eius, si originale peccatum contraxisset .

32 Probatur 3. ex eo quod S. Mater Ecclesia celebrat festum SS. Conceptionis sub nomine Conceptionis, et non amplius sub titulo sanctificationis . Prætereà Sixtus IV. Fel. Record. in Extrauaganti . *Cum praexcelsa* , inuitat omnes ad hoc festum celebrandum concessis indulgentijs. Quam extrauagantem approbauerunt posteà B. Pius V. et Concilium Trid. sess. 5. Prætereà Alexander VI. Iulius II. et Leo X. approbarunt , et priuilegijs ornarunt Ordinem quemdam Religiosum peculialiter institutum ad honorem Immaculatæ Conceptionis B. Virginis MARIÆ . Concilium etiam Basiliense sess. 36. definiuit B. Virginem sine peccato originali conceptam fuisse . Verum tamen est hanc sessionem à Summo Pontifice approbatam non fuisse .

33 Probatur 4. ex Reuelationibus S. Birgittæ lib. 1. cap. 9. vbi Beatissima Virgo cum hac Sancta loquens ait : *Facto autem corpore meo Deus à Diuinitate sua animam creatam immisit corpori , & mox anima cum corpore sanctificata est , quam Angeli custodiebant die , ac nocte* . Et expressiùs lib. 6. cap. 49. *Veritas est quod ego Concepta fui sinè peccato originali , & non in peccato ; quia sicut Filius meus , & ego , nunquam peccauimus ; ita nullum coniugium fuit , quod honestius esset, quàm illud de quo processi* . Marsilius in lib. 2. sentent. quæst. 20. artic. primo refert tres alias Reuelationes miraculis confirmatas, quas egregiè à censura Caietani, et aliorum vindicat Vasquez tom. 2. in 3. partem disp. 117. cap. 6. Similiter Corduba quæst. 44. hoc egregiè præstat dicendo non omnes Reuelationes esse de facili reijciendas , licet non sint de fide ; nam Reuelationes S. Birgittæ fuerunt à Gregorio XI. ab Vrbano VI. à Martino V., & à Concilio Basiliensi approbatæ, vt refert Turrecremata in Prologo libri earumdem Reuelationum , quapropter censetur communiter non vacare temeritate appellare eas somnia muliercularum : & maximè hoc tempore in quo S. Mater Ecclesia in oratione officij S. Birgittæ testatur à Domino Iesu Christo fuisse huic Sanctæ secreta Cœlestia reuelata .

34 Dices à pluribus Scholasticis circumferri quamdam Reuelationem de Conceptione Beatissimæ Virginis appositam prædictis factis S. Birgittæ , in qua dicitur non fuisse sine peccato originali P. Gabriel Vasquez factis debitis diligentijs testatur nulla ratione probari posse hoc reuelatum fuisse S. Catharinæ Senensi nam neque Fr. Raimundus, qui fuit Confes-

sor illius, neque in operibus ipsius Sanctæ, neque Stephanus Carthusianus, nec Fr. Thomas Senensis, nec alius eorum, qui fuerunt eo tempore conscij miraculorum Vitę, & Reuelationum huius Sanctæ de hac mentionem vllam faciunt. Ea propter censetur immerito Caietanum appellasse hanc, quę dicitur esse S. Catharinæ Senensis magis authenticam illis S. Birgittę, cum tamen de istis habeatur approbatio Summorum Pontificum Gregorij Noni, & Martini V, qui fuerunt indubitati Pontifices.

35 Probatur quinto, quia celebriores vniuersitates Orbis Catholici vt sunt Parisiensis, Salmaticensis, Valentina, & similes nullum promouent ad Doctoratum Sacræ Theologiæ, vel ad dignitates Ecclesiasticas respectiuè, nisi prius præstito iuramento, quod numquam hanc veritatem impugnabit.

36 Probatur sexto. Auctoritate PP. & primo loco expendendus est celebris ille locus S. Augustini (quem iam superius dedimus) ex libro de Natura, & Gratia cap. 36. vbi ait: *Excepta Sancta Virgine Matre Maria, de qua propter honorem Domini cum de peccatis agimus, nullam prorsùs habere volo quæstionem, indè enim scimus, quod plus gratiæ ei collatum est ad vincendum omni ex parte peccatum, quia eum concipere meruit, & parere, quem scimus nullum habuisse peccatum*. Hæc verba quidquid in contrarium dicant Aduersarij non possunt ad sola peccata actualia coarctari, vt rectè notauit P. Franciscus Suarez Tom. 2. in 3 partem disp. 3. sect. 5. Primò, quia toto illo libro agit de peccatis contra Pelagianos, & docet neminem esse sine peccato, etiam infantes; in quibus non habent locum peccata actualia; sed solùm originale. Quapropter cum ab hac generali clausula excipiat Beatissimam Virginem MARIAM, eodem sensu necesse est eum loqui; quia si originale peccatum habuisset, sicut non exclusit infantes, sic non fuisset locus excludendi B. Virginem. Secundò vt obseruat idem Auctor; quia è conuerso si de solis peccatis actualibus loqueretur non fuisset opus excipere solùm B. Virginem Mariam, multi enim fuere, qui solum peccatum originale habuere, vt omnes infantes innocentes, & illi, qui cum percepto S. Baptismate antequam vtantur libero arbitrio moriuntur. In illo enim loco non tractabat de solis adultis. Tertio quia ex ipsis verbis S. Doctoris hoc constat, dicit enim: *Ad vincendum omni ex parte peccatum*. Non fuisset enim victum peccatum ex omni parte nisi etiam fuisset victum peccatum originale; vt declaratur etiam in quodam sermone super *Salue Regina*, qui circumfertur inter opera S. Bernardi.

37 Aduerte hìc quod est diuersitas impressionum in illis particulis. *Indè enim scimus*, nam per errorem irrepsit in multis impressionibus *Vndè enim scimus*. In quibus illa particula *Vndè* facit sensum dubitatiuum; Cum tamen S. Thomas pro cuius intento fauebat legere magis *Vndè* quàm *Indè* in quibuscumque impressionibus quas videre potui legere semper habet *Indè*, non *Vndè*. Sic etiam legunt eruditi PP. Suarez, & Vasquez quandocumque hunc locum citant: Ex eo igitur quod Beatissima Virgo Maria concicipere ac parere meruit Saluatorem, certo scimus, & cognoscimus illi collatam esse maiorem gratiam ad vincenda quæcumque peccata siuè actualia siuè originale.

38 Dico secundo. Magis laudari Deiparam semper Virginem dum à pec-

peccato originali præseruata prædicatur, quàm dum aliẹ eius prærogatiuæ, aut gratiæ gratis datæ recensentur.

Probatur. Quia quod Beatissima Virgo neque per momentum fuerit priuata gratia sanctificante maius est illi bonum, & maior excellentia, quàm multæ gratiæ, & prærogatiuæ gratis datæ, quæ in ipsa Virgine fuerunt. Ergo, &c.

39 Confirmatur: quia ponere Virginem Beatissimam, etiam per momentum peccato originali maculatam est illam ponere specialiter mortuam Deo inimicam, & seruituti Satanicæ obstrictam, quod est malum maius, quàm carentia omnium prẹrogatiuarum, & gratiarum gratis datarum; per hanc enim carentiam nunquam constituta fuit, vel fuisset inimica Deo; sed qui prædicat SS. Virginem à peccato originali immunem affirmat illam nec per momentum caruisse gratia; ergo magis laudatur in hoc, quàm dum aliæ prærogatiuæ de ea prædicantur, quia sic maius bonum in ea agnoscitur.

40 Ex his colligit Ioannes Baptista Nouatus quod qui toto corde, & ore hanc prærogatiuam celebrant, quantum est in ipsis liberant Virginem à morte animæ, & liberaliter illo primo momento eidem SS. Virgini donant vitam spiritualem: liberaliter quia nemo intrinsecè tenetur sentire Beatissimam Virginem conceptam esse sine peccato originali; Vndè eadem Sanctissima Virgo est eis quodammodo lege gratitudinis vitæ spiritualis debitrix, & sanè cum opus fuerit vitam corporalem, & spiritualem promptè impetrabit, quod de parturientibus innuit Paulus Orosius in Epist. ad Heliodorum.

41 Dico tertio. Quod antiquitùs multis nota, multis ignota fuit Immaculata Conceptio, aliqui à tempore Apostolorum celebratam dicunt auctoritate Flauij Dentij Filij Sancti Pontiani Episcopi Barcellonensis lib. cui titul. omnimoda historia; quam Diuo Hieronymo dicauit vbi habet hæc verba: *Iacobi prædicatione celebratur in Hispania festum Immaculatæ, & Illibatæ Conceptionis Dei Genitricis Mariæ.* De qua historia meminit S. Hieronymus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, & plures moderni apud Nouar. cap. 3. quæst. 6. Venerab. Beda in Martyrolog. ponit die 8. Decembris Conceptionem Deiparæ, ex traditione Apostolica. Matthæus Vuestenus in Chronicis anno 1228. Iodocus Couius lib. 3. artic. 6. & Stephanus Ragusinus lib. 1. affirmant consuetudinem celebrandi Immaculatam Conceptionem in Ecclesijs Syriæ, Ægypti, Armeniæ, & Hierusalem ab Apostolorum temporibus traxisse originem. Ioannes Baptista Lezana in Apol. cap. 12. Sanchez Luzerus Episcopus Granatensis in libro Granat. & Augustinus Orosius in quadam concione, quam ad populum habuit anno 1618. testatur, quod in Concilio Hierosolymitano celebrato anno Christi Domini 44. Apostolis interuenientibus hæc verba habentur, vt videtur in laminis Montis Granatensis: *Illa Virgo, Illa MARIA, illa Sancta in instanti suæ Conceptionis fuit ab originali peccato præseruata, & ab omni culpa immunis.* Sed de Rei veritate non omninò constat, nam si firmiter constaret de prædictis verbis Concilij Hierosolymitani sanè Immaculata Conceptio ex tunc fuisset determinata. Hoc verò latuit Diuina dispositione, sic Iustitia, & Prouidentia, vt hinc in multis excitaretur studium celebrandi huius deuotionem,

nem, & eam propagandæ, vt habet S. Birgitta lib. 6. cap. 55. Vnde B. V. Mariç congruit illud: *Nolite me considerare quod fusca sim, quia decolorauit me Sol*, idest, Iustitiæ, qui sic dispofuit vt esset occulta.

42 Quare quemadmodum Arca illa quæ populo Dei vsque adeo fuit celebris, habebat operculum cui nomen propitiatorium, & duo Cherubim respiciebant illud vt habetur Exodi cap. 25. ita hæc Sanctissima Arca sic dicta à S. Bernardo serm. qui incipit *Aue Maria*, & ab Andrea Cretensi in salutationem Angelicam; & ab vniuersali Ecclesia *Arca fœderis* meritò nuncupata, quæ magna ex parte tecta, dum eius purissima conceptio non ab omnibus agnoscitur, cui tamen dum incumbunt Cherubimi, idest veri pij, & docti, dum eam respiciunt ex hac parte eam laudantes securi quod illa grati animi signum exhibebit, & vices rependet paratissimum gratiarum omnium propitiatorium se exhibendo.

43 Vel dicamus Virginem SS. esse solium illud Esaiæ cap. 6. descriptum iuxtà S. Ioannem Damascenum orat. 2. de dormitione. *Tu es solium illud Regium cui astiterunt Angeli Dominum, & effectorem insidentem canentes*. S. Bonauentura in spec. cap. 7. *O' verè Beatissimum, ò verè stabilissimum solium! hoc solium excelsum est in intellectu, eleuatum in affectu, excelsum est gloria, eleuatum in gloria: In solio meritis Mariæ Dominus sedet, & domus corporis Mariæ plena erat maiestate eius*.

44 Porrò super illud solium stabant Seraphim, & duabus alis velabant pedes eius, duabus velabant faciem eius, quia dum celant aliqui viri Sanctissimi, & ardentes in amore Dei hanc prærogatiuam velant scilicet magnam partem similitudinis quam habet cum Diuina maiestate, quæ maximè in facie ostenditur, volant nihilominus quia sic magis crescit eius fama, & propugnatorum acuuntur ingenia, & affectus ad eam defendendam, vt iure possit dici Petra Angelorum, sicut Cartago fuit velut Petra Romani Roboris; iuxtà illud: *Va tibi Roma si Cartago non steterit*.

45 Quare cum hæc difficultas quoad alteram partem nempè asserentem esse conceptam in peccato originali sit solùm inclusa in mentibus eorum qui eam tenere volunt, manet quod fiat Sacrificium gratissimum ei à quibus voluntariè approbatur intrinsecè, & extrinsecè illud quod Sancta Sedes permittit publicè doceri, quemamodum Noe, vt habetur Genesis cap. 8. obtulit Sacrificium gratissimum, quia voluntarium, & sicut cùm Princeps holocaustum voluntarium offerebat aperiebatur Porta templi, quæ respicit ad Orientem, quæ prohibita erat aperiri in aliis solemnitatibus. Ita hæc quæ est porta cœli aperietur eis qui deuotè celebrant vt maximam solemnitatem.

46 Dico quarto. Quod probabilis est opinio S. Ioannis Damasceni oratione prima de Natiuitate B. Virginis, B. Simonis de Cascia l. 2. cap. 1. & Henrici de Gandauo asserentium Corpus B. Virginis eo dierum spatio fuisse in vtero formatum, quo aliarum fœminarum corpora, quod scribentes in cap. 12. Leuitici asserunt fuisse octoginta dierum. Quod corpus Sanctissimum Guilelmus Pepinus lib. de Imitat. SS. serm. de Conceptione, vult prius animatum fuisse anima vegetatiua. Secundò sensitiua, Tertio Rationali: Quod Conimbricenses lib. 2. de Anima quæst. 4. artic.

artic.7. aiunt fieri in omnibus conceptionibus. Mouetur ille primò, quia non sunt multiplicanda miracula sine necessitate. Secundò quia non fuit Concepta de Spiritu Sancto, vt Redemptor noster.

47 Alij tamen probabilissimè censent eodem die organizatum, & animatum fuisse. Ita Iacobus Granadus lib. de Immaculata Conceptione sect. 2. disp.2. de peccato originali.

48 Probatur primò, quia ex Suarez tom.2. in 3. partem disp. 11. sect. 2. multi colligunt ex eo Christum Dominum die 25. Martij habuisse animam rationalem quod festum SS. Incarnationis eo die celebratur; sed eo die Conceptionis celebratur festum B. V. Ergo, &c.

49 Probatur secundò ex reuelatione S. Nicolai Episcopi ad Helrinum Abbatem, de qua Baronius in Martyrol. Baconius in 4. dist. 2. §. 4. art. 2. Baptista Mantuanus tom. 2. de sacris diebus. Claudius de Rota in Leg. SS. dixit igitur Helrino S. Nicolaus: *Sextò idus Decembris hoc festum solemnizandum tenebris, promitte quod diem Conceptionis, & creationis celebrabis*: Vbi non est verisimile quod proponatur celebranda solemnitas eo quod eo die recepta tantùm sit materia generationis in vtero, & nomen creationis non potest applicari materiæ, ergo Animæ.

50 Probatur tertiò. Ex Iulio II. electo in Pontificatu anno 1503. qui approbando Ordinem Immaculatę Conceptionis ab illa B. Sylua tam celebri instituto habet: *Dei Genitricis Immaculatam Conceptionem venerantes*. Immaculata vere dicitur propter animam præseruatam ab originali, quę sicut est capax Gratiæ, sic est capax peccati, non sic materia, quæ nequit esse subiectum illorum.

51 Probatur quartò. Ecclesia, ait: *Conceptio est hodie B. V. Marię*, &c. At materia non est propriè B. V. Maria: Non est autem credendum vt obseruat Granadus in illa reuelatione, quod sit impropriè accipienda, aut superflua: Et cum non constet de animatione diuerso tempore facta, ita vt alio contingat animatio præsumendum est eodem die vtrumque accidisse.

52 Probatur quintò. Auctoritate SS. PP. & primo S. Ant. qui homil. 1. de festo Conceptionis Immaculatę ait: *O' quanta est illa dies in qua nostra Reparatricis anima dignè creatur, & sacratur, & SS. Corpori vnitur; non est verus amator Virginis qui respuit colere diem Conceptionis eius*. Idest dies Conceptionis, & organizationis. Similiter S. Ioannes Damascenus oratione prima de Natiuitate vocat Beatissimam Virginem Mariam miraculorum abyssum, & subiungit: *Si quidem par erat vt ad Dei Incarnationem omni sermonis facultate superiorem iter per miracula muniretur*.

53 Probatur sextò. Rationibus primo. Quia non solùm eius anima; sed etiam Sanctissimum eius Corpus præparabatur à Spiritu Sancto, vt habet Ecclesia in illa oratione: *Omnipotens sempiterne Deus qui Gloriosa V. Matris Mariæ corpus, & animam, vt dignum Filij tui habitaculum effici mereretur Spiritu Sancto cooperante præparasti*. Ergo quemadmodum conceditur acceleratus vsus rationis, virtutes infusæ, & similia, ita, & hoc concedi poterit.

54 Confirmatur secundo. Quia nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia. Tertio. Quia in Reuelationibus S. Birgittæ habetur quod materia illa de qua formandum erat Corpus Immaculatum huius SS. Virginis magis diligebatur à Deo quàm corpora

pora aliorum omnium virorum, & mulierum. Quarto lib. primo earumdem Reuelationum cap. 9. habetur de Conceptione B. V. *Ex semine eorum per Diuinam Charitatem caro mea compaginata est*. Sed sic est quod Amor non est otiosus; nam vt habet Plato etiam in Conuiuio *Parum diligis si multum quiescis*.

55 Secunda Ratio desumitur ex similitudine Sanctissimæ Virginis cum Filio, à qua deducit S. Augustinus serm. de Assumpt. quod non erat conueniens quod corpus Beatissimæ Virginis redigeretur in cineres; ita & nos deducimus fuisse formatum corpus eadem die, non tamen in instanti, vt corpus Redemptoris nostri, quia non militant eædem rationes.

56 Tertia Ratio est quia elucet sic magis Diuina Sapientia nam eo perfectior censetur artifex quo celerius operatur: hinc dicitur quendam retulisse, Appellem dixisse de Protogene, meliora illum edere opera, sed in vno se ei precellere quod citius operaret. Atqui Sapientia gloriatur de Opificio huius domus iuxtà illud Prouerb. cap. 9. v. 1. *Sapientia ædificauit sibi domum*, ergo dicendum est citissimè ab ea fuisse perfectam. Quare.

57 Ad primum Resp. cum magno fundamento hoc dici. Ad secundum; non deesse rationes neque hinc minuitur Paternitas S. Ioachim, & Maternitas S. Annæ nam ad hoc sufficit naturalis concubitus, & quod fuerit in vtero infantula. Colligit hinc Nouatus quod Diuinus Amor auferendo moras 60. dierum in formatione Beatissimæ Virginis; & 40. tantum dierum in formatione corporis Redemptoris dabat quodammodo Arrham illius, quod innuit D. Ansel. lib. de Excellentia Virginis c. 5. Nempe: *Velocior est nonnunquam nostra salus memorato nomine Mariæ, quàm inuocato nomine Iesu Filij*. Secundo. Diuini Amoris Zelus, qui non est passus consortium causarum secundarum ex quo ardentior fiebat in diligendo tali preuentore. Tertio. Immunitatem ab originali peccato, quia perfecta sunt opera Dei; & si non licet concurrere ad accelerandam mortem corporalem, quæ iustè infligitur, multo minus dicendum est Diuinum amorem, qui est ipsa lenitas, & vnctio accelerasse mortem spiritualem, nempè labem peccati originalis creando purissimè eam animam Sanctissimam, quod longè est à pio affectu deuotorum.

58 Dico quintò. Conuenientissimum fuisse B. V. Mariam à viro, & fœmina generari, non autem à sola Virgine, quia sic vtrique sexui magis affinis, & ad eam inuocandam potiori iure accurrere potuissent tàm viri, quàm mulieres, dum ab vtrisque corpoream substantiam participat. D. Bernardinus tom. 2. serm. 51. Secundo. Sic etiam est singularis eius prærogatiua Virginitas, & fæcunditas. Sic D. Bernardus serm. 17. habet dico peperisse Virginem, non tamen partam à Virgine, alioqui vbi est prerogatiua Matris, qua singulariter creditur, & gaudere munere prolis, & integritate carnis. Tertio. Vt eius puritas in hoc etiam eniteret cum licèt à maritalis concubitu omnis impuritas voluptatis carnalis separetur. S. Birgitta lib. primo cap. 9. non enim concupiscentia aliqua voluptatis, sed contra voluntatem suam ex Diuina dilectione.

Ex his collige primò, quàm paratus Deus sit precibus eius concedere puritatem, & castitatem. Secundò. Si impuritas voluptatis carnalis separaba-

raba-

rabatur quanto magis impuritas peccati originalis quæ maior est?

59 Dico sextò. A primo Conceptionis momento fomitem Virgini Sanctissimæ fuisse extinctum. Est Thomæ de Argentina in 3. distin. 3. quæst. vnica artic. 3. & 4. Marsilij Cathar. Ouardi, Scoti, Cordubæ, Alensij, Gabrielis, Almaini, Maioris, & Suarij tom. 2. in 3. partem disp. 4. sect. 5. Petri Morales in cap. primum. S. Matthæi lib. 3. tract. 3. Canisij lib. 2. de B. V. cap. 4. Barradij tom. 1. lib. 8. cap. 3. & aliorum licet D. Thomas 3. parte quæst. 27. art. 7. in corpore, & alij relati à Suarez cum Valentia tom. 4. disp. 2. quæst. 5. part. 4. opinantur tantummodò ligatum fuisse. Pro cuius solutione.

60 Sciendum est esse diuisionem inter Doctores in quo consistat fomes peccati, nam Vasquez tom. 2. in 3. partem disp. 18. cap. 4. Ait consistere in motu immoderato appetitus inclinante, & alliciente voluntatem ad aliquid contra rationem. At D. Thomas, & Dionisius lib. 4. Summæ Fidei Orthodoxæ artic. 22. §. 2. aiunt consistere in inclinatione sensitiua appetitus in id quod est contra rationem. At Nouatus hic vult consistere in natiua propensione, seu inclinatione ad quodcumque bonum sensibus proportionatum. Ratio ipsius contra Vasquez est; Quia pueri habent fomitem, & non actum immoderatum; similiter adulti habent fomitem, & non semper actum, seù mutationem. Quidquid sit de hac ratione. Dicimus.

61 Primò. Certum esse apud Catholicos B. V. numquam habuisse actum fomitis; seu fomitem in actu secundo ex Suarez cit. disp. 4. sect. 5.

62 Secundò, Benè explicatur fomitis ligatio, si dicitur primo vel Deum ita astrinxisse, vt omnia obiecta remouerit ad quorum præsentiam inordinati motus in sensibus B. V. raptim insurgere non potuissent. Vel secundo negasse concursum ad eos actus. Vel tertio in omni occasione ita præuenerit eius mentē adeo efficaci illustratione, vt virtus illius animæ Sanctissimæ in Sanctissimam contemplationem raperetur, & non deuolueretur ad obiectum sensibile.

63 At fomitis extinctio dicit primo rationem B. V. M. Diuina gratia irradiatam. Secundo hinc Scientiæ, & prudentiæ infusæ ornatam ad rectè iudicandum in singulis materijs quid rectæ rationi consentaneum sit. Tertio. Voluntati superadditum habitum quo obiectum à ratione propositū delectabiliter sequeretur, & appetitui sensitiuo imperaret ne reluctaretur. Quarto. Alium habitum in appetitu sentiente ad promptè obediendum voluntatis imperio. Quinto. Diuinam protectionem admirabili prouidentia remouentem omnem occasionem per quam appetitus sensitiuus allici potuisset ad immoderatam appetitionem. Ponitur hoc quintum requisitum, quia licèt appetitus sensitiuus ponatur prædictus illo habitu prompè obediendi voluntati rectè præcipienti; nihilominus, vt est potentia naturalis, & retinet vim naturalem operandi, & tendendi in obiectum sibi conueniens, quod aliquando potest esse contra rationem: ergo ponendum est aliquid aliud ratione cuius retineatur, quod ad Diuinam Protectionem commodè reduci potest.

64 Dices sola Diuina Protectio est sufficiens: ergo frustra est ille habitus.

Respond. fuisse quidem sufficientem, nihilominus debemus in qua-

cumque re saluare modum ordinarium, quo Deus operatur cum causis secundis, quod est tribuere illis vires, & dispositiones intrinsecas ad producendos effectus. His positis probatur prædicta Conclusio ab aliquibus.

65 Probatur Scripturis sequentibus. Primo ex illo loco Psalm. 45. *Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella vsquè ad finem terræ*; Quę verba Richardus de S. Victore lib. 2. de Eman. cap. 9. intelligit de Beatissima Virgine. Secundo ex illo Isaiæ cap. 2. *Et erit præparatus mons Domini in vertice montium*; Per quem S. Ioannes Damascenus orat. 1. de Natiuit. & alij intelligunt Beatam Virginem; & quemadmodum nubes excedit Olympus mons inter Macedoniam, & Thessaliam, sic Beatissima Virgo omnes carnales affectus, & omnes motus inordinatos. Tertio ex illo Cantic. cap. 7. *Vmbilicus tuus crater tornatilis nunquam indigens poculis*. Vbi singularis prærogatiua B. Virginis (ex Diuo Gregorio lib. 32. Moralium cap. 11. asserente in vmbilico mulierum prurire luxuriam) designatur, quia Beatissima Virgo nunquam huiusmodi fuit motibus ne leuiter quidem turbata, nec sitiuit, quia non indigebat poculis. Quarto ex illo Eccles. cap. 24. *Quasi balsamum non mixtum odor meus*. Dicit enim Plinius lib. 11. cap. 9. Balsamum misceri solet melle cuius signum est quod muscæ illud lambant. Porrò Dæmones sunt muscæ, nam *Beelzebub Princeps Dæmoniorum*, iuxtà illud Lucæ cap. 11. significat princeps muscarum, vt habet Rabbanus. Porrò omnes Sancti fuerunt Balsamum mixtum, quia in eis saltem fomes fuit peccati, non verò sic in Beatissima Virgine vndè S. Bonauentura in speculo cap. 5. habet: *Balsamum misceri solet melle, vel oleo; sed certè balsamum Spiritus Sancti in Maria non fuit mixtum, quia nec melle carnalitatis, & mundanæ consolationis, nec oleo vanæ laudis, & adulationis fuit vitiatum sed vera, & pura Mariæ gratia fuit*. Idem B. Thomas de Villanoua Conc. 3. de Natiuit. B. V. *Non enim decebat Sanctuarium Dei, domum Sapientiæ, Reliquiarium Spiritus Sancti, Vrnam mannæ cælestis aliquam labem in se habere, propter quod antequam anima illa Sanctissima infunderetur plenè fuit caro illa mundata ab omni fæce, & labe: Et anima, cum infusa est nullam habuit ex carne, neque contraxit labem peccati, sicut scriptum est*, Factus est in pace locus eius, *idest domus Diuinæ Sapientiæ sine omni fomite formata est*.

66 Probatur etiam ratione. Nam, & Deus potuit, & decens erat quod tali modo extingueret; ergo, iuxtà regulam super traditam dicendum est fuisse factum. Antecedens patet, quia sic saluatur modus ordinarius, quo Deus cum causis secundis concurrit præbendo intrinsecè vires, & supplendo exterius, quæ à causis secundis per intrinseca principia præstari nequeunt. Secundo hæc extinctio arguit maius priuilegium in Virgine, & puritatem emitentem.

67 Dices non est conueniens quod aliqua caro liberetur totaliter à fomite peccati antequam Christus assumeret carnem sanctam, & sine fomite; sicut neque fuit conueniens quod aliquod corpus esset gloriosum ante Resurrectionem Corporis Christi Domini. Ergo, &c.

Respond. Esse disparem rationem de gloria, & de eximia sanctitate; nam illa est æterna spectans ad terminum, & totalem victoriam, ad quam non erat conueniens quod aliquis assumeretur ante ducem, Regem,

gem, & Imperatorem nostrum; at non erat inconueniens quod per eximiam sanctitatem præpararentur corda, & voluntates hominum ad suscipiendum, tàm grande donum; & maxime ea quæ futura erat Mater ipsius Dei & proximior cooperari tanto mysterio; sicut non erat inconueniens, quod mundaretur ab originali, & actuali labe peccati.

Patres qui pro contraria sententia citantur, loquuntur, vt aduertit Suarius loco citato de sensibili voluptate, quam, Spiritu Sancto obumbrante, Virgo in Conceptione Filij Dei non sensit.

68 Dico 7. In prima sanctificatione fuisse B. V. M. infusas virtutes Fidei, Spei, & Charitatis; ac etiam dona Spiritus Sancti. Primum patet ex Concilio Tridentino, vbi sessione 6. cap. 7. habetur: *In ipsa. Iustificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur Fides, Spes, & Charitas*: Imò sicut fuit gratia eminentissima super gratiam omnium Angelorum; sic fuerunt Fides, Spes, & Charitas in eminentissimo gradu supra Angelorum virtutes; quando erant viatores iuxtà illud: *Fundamenta eius in montibus Sanctis*.

69 Secundum tenet Suarius tom. 2. in 3. partem disp. 4. sect. 2. vbi citat D. Bernardinum explicantem ibi ad hunc sensum illud Prouerb. cap. 9. *Sapientia ædificauit sibi domum excidit columnas septem*: Vbi Idiota Doctissimus, & deuotissimus in contemplatione Virginis habet: *Septem Columnæ, quibus firma semper stetisti sunt septem dona Spiritus Sancti, quæ requieuerunt in te, & nunquam te deseruerunt per quæ stetisti firma, & perseuerans in omni virtute*. Et optimè per columnas significantur; quia in alijs Sanctis saltèm ob leuia piacula concussa fuerunt, & in Beatissima Virgine semper steterunt immobilia velut columnæ solidissimæ.

70 Dico octauo. B. Virgini eo momento quo fuit primo sanctificata fuisse infusas virtutes morales acquisitas. Vasquez tom. 2. in 3. part. disp. 19. cap. 2. Vbi tres virtutes suaptè natura acquisibiles Christo Domino, & B. Virgini asserit fuisse infusas, nempè, Iustitiam, Temperantiam, & Fortitudinem.

Patet primo, quia fuit sanctificata altissimo modo; ergo summam promptitudinem habuit in potentijs ad quoslibet actus virtutis.

Secundo. In eo quod Deus fecit hominem rectum colligunt Theologici cum Suarez lib. 3. de Creatione hominis cap. 11. num. 5. Quod ei fuerint infusi prædicti habitus; ergo similiter B Virgini, quæ fuit rectissima: Et quidem quoad habitum prudentiæ, quem negat Vasquez, patet; quia necessarius erat ad regendas actiones aliarum virtutum moralium. Vbi aduerte per has virtutes tolli quidem illam indifferentiam, quę est ex parte actionis, tum quoad continuationem, tum quoad intentionem actus; non verò illam, quæ est ex parte agentis, & ob infirmitatem operantis, ob impetum passionum reluctantium, ob prauam potentiarum dispositionem, vt Phantasiæ, & aliorum sensuum interiorum, vt patet in iustificatione hominis, cui Gratia infunditur. Habitus temperantiæ tamen in exercitio semper experitur difficultatem.

71 Dices cum Vasquez per scientiam infusam potest repręsentari bonum virtutis acquisitæ sine consultatione, & labore; & per hanc notitiam potest intellectus proponere voluntati bonum honestum tam virtu-

tis acquisitæ, quàm infusę; ergo non erat opus prudentia.

Respond. Quod licet potuerint per illam, nihilominus connaturalius erat, vt per vires intrinsecus modo humano operarentur tàm Christo Domino, quàm Beatissimę Virgini esto habuerint etiam illam scientiam; nam non obstante hac scientia infusa D. Thomas, & Ragusa disp. 13. admittunt in Christo scientiam acquisitam.

72 Dices secundo, ergo isti habitus non erunt acquisiti, sed infusi.

Respond. In alijs esse acquisitos, at in B. V. M. & in Christo Domino fuisse infusos, & propterea denominationem sumpsisse ab eo quod vt plurimum fit, non ab eo quod raro contingit; vel ob priuilegium speciale, vel ob dignitatem Personarum.

73 Dico nono. Fuisse etiam infusas eas virtutes morales quæ dicuntur infusæ (nam Scola D. Thomæ 2. part. quæst. 63. art. 3. & quæst. 51. artic. 4. admittit has virtutes morales infusas, Vasquez prima 2. disp. 86. cap. 2. contra Nominales Scotum, & Durandum. Probatur. Quia virtutes specificantur per obiecta formalia, & motiua; sed obiectum tàm motiuum, quàm formale temperantiæ acquisitæ, & temperantiæ infusæ sunt diuersa: Ergo erunt diuersæ virtutes, & habitus. Probatur minor: quia obiectum virtutis moralis acquisitæ est bonitas, seù honestas consistens in perfectione naturæ rationalis, vt sic: bonitas, & honestas moralis infusa est perfectio naturæ rationalis per gratiam eleuatæ.)

74 Probatur modo nostra Conclusio cum Suarez tom. 2. in 3. p. disp. 19. cap. 2. Quia infunduntur in iustificatione aliorum hominum; ergo & illi, quæ fuit altissimo modo sanctificata iuxtà illud Psal. 45. *Sanctificauit Tabernaculum suum Altissimus*. Probatur antecedens. Quia quemadmodum spectat ad Diuinam prouidentiam perficere naturam humanam, in ordine ad suos actus per potentias naturales, ita conueniens est, vt perficiat naturam rationalem eleuatam per gratiam ad participandum naturæ Diuinæ consortium, vt possit connaturaliter operari statui Diuino.

75 Dico decimo, B. Virgini collatam fuisse Iustitiam originalem quatenus dicit sanctificationem à primo Conceptionis momento.

Pro cuius intelligentia, & probatione sciendum est nos hoc nomine Iustitię originalis intelligere perfectionem quamdam primo homini in statu innocentiæ collatam, cuius tres erant mirabiles effectus. Primus subijcere partem superiorem idest intellectum, & voluntatem Deo, tanquam fini naturali, & supernaturali. Secundus subijcere partem inferiorem superiori, idest, phantasiam intellectui, & appetitum sensitiuum voluntati; ita vt nullis phantasmatibus, aut appetitibus contra imperium superioris partis turbaretur. Tertius subijcere corpus animæ, ita vt contra eius voluntatem ne morte quidem ipsa corrumpi posset, quæ perfectio in Adamo ante peccatum conceditur ab omnibus, & colligitur ex Tridentino sess. 5. Secundò huius perfectionis tanquam radix principalis erat gratia sanctificans. Tertio fuerunt etiam habitus infusi, & alia auxilia supernaturalia maximè protectio Diuina, qua remouebantur ea per quæ decipi, & in errorem induci potuissent. His positis.

76 Probatur nostra Conclusio ex

Psal.

Psal. 45. *Sanctificauit Tabernaculum suum Altissimus*. Et ex illo eiusdem Psalmi: *Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram auferens bella vsquè ad finem terræ*; Quem locum Richardus à S. Victore (vt iam diximus alibi) accommodat B. M. lib. 2. de Emanuele; vndè si in Beatissima V. fuit pax summa, manet quod fuerint etiam illi duo primi effectus Iustitiæ originalis, nempè, subiectio partis superioris Deo, & partis inferioris superiori. Vndè S. Thomas 3. p. quæst. 27. art. 3. in corpore habet: *Præstitum fuit B. Virgini ex abundantia gratiæ descendentis in ipsam, vt talis esset dispositio virium animæ in ipsa, quod inferiores nunquam mouerentur sine arbitrio rationis, ita quod quantum ad hoc gratia sanctificationis in Virgine habuit vim originalis iustitiæ*. In quo S. Doctor explicet posse consistere extinctionem fomitis.

77 Confirmatur ex Apocalypsi cap. 21. v. 19. vbi habetur: *Fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioso ornata. Fundamentum primum Iaspis: secundum Sapphirus*. Iaspis enim, vt habet Alcasar hoc loco Annot. 6. pag. mihi 727. impress. Parisijs lit. B. & Leonardus ad cap. 28. Exodi vim habet cohibendi motus concupiscentiæ in gestante (vt iam nos exposuimus in nostra Apocalypsi impress. Venetijs anno 1690. cap. 4. lett. 5. §. 9. col. 2.) Vnde significatur in Virgine fuisse extinctionem totalem concupiscentiæ.

78 Sapphirus verò gemma est cærulea aureis punctis collucens (vt etiam diximus in nostra Apocalypsi cap. 21. lett. 22. §. 28. col. 2.) Per quam significatur mentem Virginis fuisse in intellectu velut cœlum per iugem Dei contemplationem, & per voluntatem amoris frequentissimis actibus copulatam; adde quod Sapphirus ineptus est sculpturæ, vt significaretur Animæ Virginis nullum phantasma imprimi potuisse quod eam vllo modo turbaret, iuxtà illud Psal. 75. *Factus est in pace locus eius*.

79 Fuit autem B. Virgo obnoxia fatigationi, morti, tristitiæ, & doloribus, quæ non habuissent ratione Iustitiæ originalis homines in statu innocentiæ, vt hinc vberior materia meriti in ea haberetur, & per hoc similior esset suo Sanctissimo Filio. Per quę possunt conciliari Doctores dissidentes, quorum alij affirmant fuisse decoratam Iustitia originali, vt Canisius lib. primo de Maria Deipara cap. 9. & alij, quos citat Vasquez tomo 2. in 3. partem disp. 99. cap. 2. Nam quoad præcipuos effectus, vt habet Suarez tom. 2. in 3. partem disp. 3. sect. 6. & Nouatus primo tom. de Emin. Virginis cap. 3. quæst. 13. Admittendum est in ea hoc donum, sed non adæquatè quoad omnes, nam defuit hìc posterior effectus.

80 Dico XI. In prima sanctificatione Beatissimam Virginem habuisse donum confirmationis in gratia, quam probat Suarez tom. 2. in 3. p. disp. 5. sect. 3. Ex consensu, & traditione Ecclesiæ, quæ hoc modo intelligit in ea plenitudinem gratiæ, quod donum est ita magnum, quod in statu innocentiæ non fuisset collatum infantibus, vt habet D. Thomas quæst. 100. art. 2. & S. Augustinus lib. 4. de Ciuit. Dei cap. 10. quod significatur 3. lib. Regum cap. 5. Vbi habetur quod *Præcepit Rex Salomon, vt tollerent lapides grandes lapides pretiosos in fundamentum templi, & quadrarent eos*. Nam figura quadri est simbolum firmitatis. Explicat etiam D. Bernard. illud

illud Isaiæ cap. 6. *Vidi Dominum sedentem super solium*; nam tomo 3. Conc. serm. 2. artic. 1. cap. 2. habet *Exaltatio Virginis præuisa fuit*, Isaiæ cap. 6. *Vidi Dominum sedentem super solium quia immobiliter requieuit super Virginem Gloriosam Mariam*, esto enim in animabus aliorum iustorum aliquando requiescat, iuxtà illud *Anima Iusti sedes est Sapientiæ*, non tamen vt in solio firmo, & Regali quod est firmatum vndique iuxtà illud Psal. 45. *Deus in medio eius non commouebitur*, inhærebat enim firmissimè in ea per gratiam.

81 Sic etiam intelligit Guerricus Abbas serm. 2. de Annunc. illud Isaiæ cap. 16. *Emitte Agnum Domine dominatorem terræ de petra deserti*, vbi scribit: *Sic ergo Petra Christus, vt ait Apostolus, non degenerat à Matre Filius, quando, & ipsa Petra nomine censetur. An non rectè vocatur petra, quæ est in amorem integritatis proposito. Firma, affectu solida; sensu quoque ipso aduersus illecebram peccati tota insensibilis erat, & lapidea.*

82 Sic & D. Bonauentura in serm. de B. Maria ad illa verba Genesis cap. 1. *Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis*. Ait: *Omni firmamento firmior est Maria*. Item S. Bernardus in Salue Regina serm. 3. *Omnibus firmamentis firmius firmamentum tu Domina tu in medio aquarum diuisisti aquas ab aquis, affectus videlicet æternorum ab affectus temporalium*. Idiota lib. de Contemplat. cap. 4. *Per te ò Benedicta Vita Angelica reducitur, humana reuocatur; sed quia corrupta erant, & peccato vacillauerant, ideò te Gloriosissimam Virginem ædificauit in domum solidam, & fortem, quæ nullo modo vacillare posses, quæ stetisti firmiter, & perseueranter in omni gratia, & virtute*. Similiter Incognitus Psal. 86. *Et ipse fundauit eam Altissimus. Nota quod creationem B. Mariæ dicit fundationem: fundamentum est fortitudo Dei, & sic rem fundare, est ipsam fortem facere, & firmam: Quando igitur anima B. Virginis fuit creata tunc fuit fundata, quia per Filium Dei sic fuit consecrata, & in gratia stabilita, vt nunquam peccare posset*.

83 Dico XII. Ita fuisse B. Virginem M. in bono confirmatam à primo instanti, vt nunquam venialiter peccaret.

Pro cuius intelligentia sciendum est, quod tria maxime adimunt libertatem peccandi. Primum est vnio hypostatica. Secundùm Visio Beatifica. Tertium vehemens animi perturbatio. Et quidem quoad primum, & tertium certum est non fuisse in B. Virgine. Secundum esto fuerit nempè visio Beatifica non tamen potuit esse, causa vt adimeretur ei libertas peccandi per totam vitam, cum tantum esset aliquando per transitum. Quo posito.

84 Probatur, & explicatur supradicta Conclusio, nam fundatur in Auctoritate PP. & in Concilio Tridentino sess. 6. cap. 23. Imò Vega lib. 14. in Tridentinum cap. 18. Ait idem affirmari in Concilio Claramontano sub Vrbano II. Verba Concilij Tridentini sunt .... *Nisi ex speciali priuilegio quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia*. At quidem quod B. V. non peccarit venialiter est de fide vt habet Vasquez tomo 2. in 3. partem cap. 5. & Suarez in 3. p. tomo 2. disp. 4. sect. 4. Nam illud Verbum *Tenet Ecclesia* significat non relationem sententiæ piè credendæ; sed traditionem iam amplexatam ab Ecclesia indubitanter.

85 Dices ex D. Ioanne Chrysostomo homil. 20. In Ioannem in illa verba. *Vinum non habent. Optabat enim vt eam hominum gratiam conciliaret, & ipsa*

ipsa clarior Filij gratia efficeretur: & *fortasse aliquo humano afficiebatur affectu quærendo vinum*, &c.

86 Dices Secundo ex S. Aug. libro veteris, & noui Testamenti habet: *Beatissima Virgo in morte Domini stupore quodam dubitauit*.

87 Respond. D. Thomas 3. parte quæst. 27. art. 4. ad 5. D. Ioan. Chrysostomum excessisse; ait tamen potest exponi, vt intelligatur Dominum cohibuisse non inordinatum inanis gloriæ motum quantùm ad ipsam Virginem; sed id quod ab alijs posset æstimari. Quod confirmare possumus quia Christus Dominus moueri poterat ex vehementi charitate ad tollendum etiam scandalum passiuum, quod etiam esset sine peccato; sed non ait à dictis verbis non admitti hanc explicationem; vndè ait S. Chrysostomum non affirmare apertè Virginem venialiter peccasse; sed tantum aliquo ex affectu humano fecisse quod non semper est peccatum veniale maximè si in finē bonum referatur. Vndè licèt D. Iræneus lib. 3. aduersùs Hæreses c. 18. appellet eam intempestiuam festinationem, tamen potest dici, quod erat Excessus charitatis ex vehementi desiderio subueniendi proximo.

88 Ad Testimonium ex S. Augustino cum Nouato, & D. Thoma loco citato. Respondeo loqui de dubitatione non infidelitatis, sed admirationis, & discussionis. Liber enim ille non est S. Augustini cum sit reiectus in appendice. Nam idem S. Doctor lib. de Natura, & Gratia (vt iam superius dedimus) ait de S. Maria, *Propter honorem Domini nullam prorsùs cum de peccatis agitur habere volo quæstionem*: *indè enim scimus quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum in omni parte peccatum*.

89 Vndè Beatissima Virgo in recitatione orationis Dominicæ ad illa verba: *Dimitte nobis debita nostra*. Loquebatur pro Vniuersa Ecclesia, quemadmodum ex vehementi charitate Filius eius Sanctissimus transtulerat super humeros suos peccata nostra; iuxtà illud Psal. 128. *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores*. Ad Galat. cap. 3. *Factus pro nobis maledictum*. Et ad Corinth. cap. 5. *Qui non nouerat peccatum pro nobis peccatum fecit*.

90 Dico XIII. Hoc priuilegium non ademisse illi libertatem, & fuisse adeò eminens, vt hæc omnia contineret. Primò, extinctionem fomitis. Secundò, continuum Diuinarum illustrationum illapsum. Tertiò, ardentissimum amorem erga Deum. Quartò, externam protectionem Diuinam per quam remouebantur omnes occasiones.

91 Probatur prima pars, Quia Beatissima Virgo multum meruit pro victoria venialium; sed posset aliquis dicere habuisse hoc quidem quod venialiter peccare non posset ex necessitate antecedenti: sed posteà in hoc vel illo peccato veniali vitando, pro hoc vel illo motiuo fuisse liberam, & potuisse vel pro affectu ad virtutem, vel pro odio ad tale peccatum; Verumtamen quia arbitror, semper operatam fuisse propter eminentissimum Dei amorem, non videtur satis commodè sic explicari.

92 Vndè 2. probari potest ex eo quod qui habet auxilium sufficiens ad vitanda singula peccata venialia in particulari necessariò debet incidere in aliquod ex illis; vndè auxilium illud quod in ordine ad singula, & physicè, & moraliter dicitur sufficiens, in ordine ad totam collectionem siuè ad omnia collectiuè sumpta

pta moraliter non dicitur sufficiens, quia appetitus Rebellio viget, & amor proprius non est oppressus; sed facta distributione per singula peccata venialia de nullo in particulari verum est dicere quod non possit eccitari; quemadmodum ad nauigandum aliqua nauis est necessaria, non tamen potest de vlla determinatè dici quod sit necessaria. At hoc currit apud eum qui non habet priuilegium speciale, quod consistat in eo, quod tollatur illa necessitas, etiam in communi, quod fit sublata rebellione sensuum, & oppresso amore proprio per quam liberationem à tali oppressione, & sublationem: creatura quasi deonerata per illud auxilium, quod erat sufficiens ad singula, fit etiam sufficiens ad totam collectionem, quæ liberatio, & Sublatio cum fuerit in Beatissima Virgine, vt dictum est manet in hoc priuilegium ipsius consistere, & non fuisse ei ablatam libertatem cum nullum ex illis tribus quæ adimunt libertatem habuerit, nempè visionem Beatificam, vnionem Hypostathicam, aut vehementem animi perturbationem. Vndè manet in prædictis quatuor in 2. parte conclusionis contentum fuisse hoc priuilegium nam de illa singulari protectione habet S. Anselmus de Excellentia B. Virginis cap. 3. satis abundè.

93 Dico XIV. B. Virginem proprio actu conuersionis in Deum ex auxilio gratiæ in vtero matris fuisse sanctificatam (more adultorum, qui secundum proprium actum sanctificantur, non puerorum, qui sanctificantur secundum fidem parentum, vel Ecclesiæ, ex D. Thoma 3. parte quæst. 34. artic. 3.) habetur ex D. Bernardino Senensi serm. 51. de B. V. Vasquez tom. 2. in 3. partem disp. 3. sect. 8.

94 Probatur primo. Quia nullum habuit impedimentum, & fuit magno lumine gratiæ illustrata, & auxilijs Diuinis suffulta. Ergo, &c.

95 Probatur 2. Quia connaturalior modus sanctificandi naturam rationalem, quando potest est per consensum illius. Vndè Threni vltimo *Conuerte nos Domine ad Te, & conuertemur*. Sic ex Suarez de Angelis lib. 5. cap. 7. Fuerunt sanctificati Angeli, & ex alijs; Ergo multo magis Regina Angelorum debuit hoc modo sanctificari.

96 Probatur 3. Per sanctificationem celebratur quodammodo spirituale matrimonium, & contrahitur speciale vinculum amicitiæ, de quorum ratione est quod adsit mutuus voluntatis consensus: Ergo, &c.

97 Ad quam Conclusionem præsupponitur B. Virgini à primo Conceptionis momento affulsisse lumen rationis, & vsum. Primo ex D. Bernardino Senensi serm. 51. de B. Virgine cap. 2. artic. 1. Caiet. opusc. quæst. 27. artic. 3. Viguerio in libro Institutionum Theologicarum cap. 5. §. 3. vers. 9. Suarez in 3. partem tom. 2. disp. 4. sect. 7.

98 Probatur 2. Quia si Eua condita fuit ex communi sententia cum actuali vsu rationis; Et S. Ioannes Baptista in vtero matris cum fuit sanctificatus illum habuit: Exultauit enim infans, &c. Et Angeli in primo instanti: Ergo & Regina Angelorum potiori iure illum habere debebat. Vndè B. Albertus Magnus in Mariali cap. 191. sic habet. Dionysius de cœlesti Hierarchia sic ait: *Ipse quidem superfirmata dispositiones abundanter habent minorum sacras proprietates*. Ergo cum Sacratissima Virgo Regina esset, & superior omnibus cœlestibus dispo-

dipositionibus, ipsa habebat proprietates omnium abundanter. Potestas enim imperialis incomparabiliter est supra omnem potestatem ministerialem; sed potestas Virginis est imperialis, omnium autem Angelorum potestas est ministerialis. Ergo potestas eius est super omnem potestatem Angelorum, sed in perfectè ordinatis ad maiorem potentiam, sequitur maior scientia, & ad maiorem scientiam maior operatio, ergo & hæc in B. Virgine fuere in summo.

99 Porrò hæc facultas vtendi semper durauit in Beatissima Virgine; est contra eos, qui opinantur non se semper perdurasse talem facultatem, vt Caietanus 3. p. quæst. 27. art. 4. Probatur primo quia nulla ratio conuincens, nec probabilis assignari potest cur ei fuerit sublata. Secundò. Quia non solùm per modum Reuelationis; sed etiam per attemperamentum humorum (cuius carentia in infantibus est causa quod non vtantur eo quia species diffluunt quemadmodum in aqua nequit imprimi sigilli effigies) affulsisse B. Virgini vsum rationis. Tertio quia multi PP. citati à Suarez loco citato, & Vasquez tom. 2. disp. 316. cap. 4. num. 38. Censent durasse in Baptista. Quarto quia quando Triennis fuit in templo præsentata consensit tali oblationi, vt cum alijs tenet Suarius loco citato. Ergo dicendum est durasse.

100 Dices hoc est priuilegium solius Christi; ergo non est extendendum.

Respondet Suarius Christo fuisse proprium habere vsum rationis ab instanti SS. Conceptionis in clara Dei visione pro suo arbitrio ad quamlibet materiam, & in omni scientia, & in tali casu posse perpetuò vigilare præueniendo omnem motum inferiorum potentiarum, de quo videtur loqui D. Thomas art. 4. Et Beatissimam V. M. tantum habuisse facultatem vtendi ratione in ijs, quæ ad Dei, & Christi Domini cognitionem pertinebant.

101 Nouatus parte prima cap. 3. quæst. 17. In fine eam rationem non approbat, nam facta tali temperie vult, quod pro sua libertate potuerit vti eo in qualibet materia; maximè stante scientia infusa, & quod vsus erat quandoque necessarius ad euitanda noxia corpori. Vnde Respondet habuisse Christum in vtero SS. Matris vsum rationis permanentem, quia debitum ratione vnionis hypostaticæ. Beatissimæ verò Virgini solùm gratiosè à Deo concessum, quod etiam in honorem Christi Domini redundat, nempe habuisse matrem in multis priuilegijs similem, licèt diuerso modo.

102 Dico XV. Beatissimam Virginem meruisse primam gloriam per actum conuersionis in Deum; qui fuit vltima dispositio ad sanctificationẽ, & fuit simul tempore cum illa, non prout durauit in tempore immediatè sequente post instans primæ sanctificationis; sed prout fuit in illo instanti primo temporis.

103 Probatur hoc ex Doctrina Concilij Tridentini sess. 6. cap. 16. Vbi docet, Actum contritionis cum coniunctione gratiæ sanctificantis esse opus hominis iusti: ergo nihil ei deest, vt sit actus meritorius vitæ æternæ. Præterea Can. 32. distinctè ponit hominem mereri gloriam, & mereri augmentum gloriæ, nam frustrà esset nominatio gloriæ seiunctim ab augmento gloriæ si non posset quis promereri primam gloriam. Quo modo hæc Doctrina applicanda sit huic primo instanti, in quo fuit

Sanctificata B. V. probat Suarez tom. 2. in 3. partem disp. 3. sect. 8. Quam etiam Doctrinam deducunt ex D. Thoma 2. parte quæst. 112. art. 2. ad primum, & 1. parte quæst. 63. artic. 5. docente Angelum in gratia primo instanti meruisse beatitudinem non autem gratiam. Vasquez in p. 2. disp. 216. Suarez lib. 2. de Gratia cap. 14. Bellarm. lib. 5. de Iustific. Non potest autem mereri primam gratiam, quia est principium meriti, quod non cadit sub merito. Probatur modo de B. Virgine per illum actum meruisse primam gloriam, quia ille actus habuit omne id quod requirebatur ad hoc vt esset meritorius; non prout durauit in signo præcedente ipsam gratiam, quia non intelligitur pro illo instanti rationis adhuc esse gratiam quod est principium meriti; sed prout in secundo signo fuit informatus gratia sanctificante; Vndè si Angeli iuxtà prædicta eam meruerunt vt tradit D. Thomas etiam 1. parte quæst. 62. artic. 4. ad 2. Multo magis Regina Angelorum.

104 Dices primò. Si fuit meritorius fuit augmenti gratiæ, & non primæ gloriæ. Ergo, &c. Probatur prima pars antecedentis: quia meritum magis immediatè ordinatur ad gratiam, quàm ad gloriam.

Respond. Negando primam partem antecedentis, nam cum ille actus ponitur meruisse de congruo primam gratiam, si posteà in secundo signo ponatur idem actus mereri augmentum gratię præmium excederet meritum; non sic si ponatur mereri primam gloriam, quæ correspondet primæ gratiæ.

105 Obicies secundò. Si iustus quando meretur augmentum gratiæ, ille actus esset meritorius ex duplici capite. Primo, quia præcedit illud augmentum. Secundo, quia si in posteriori signo esset informatus illo nouo gradu augmenti daretur processus in infinitum. Ergo ille actus non potest esse magis meritorius quàm fuit antequam intelligatur coniunctus cum tali prima gratia.

Respond. Esse disparem rationem, nam quando iustus meretur augmentum gratiæ iam habet tanquam præmium adæquatum ipsum augmentum gratiæ, quare ille actus etiam informatus tali augmento est condignè remuneratus; aliàs si daretur quid maius successiuè, daretur inæqualitas inter præmium, & meritum, quod non euenit in primo casu, nam illud præmium gloriæ datur ei de condigno, & prima gratia tamquam dispositioni, quare adueniente prima gratia potuit fieri meritorius primæ glorię.

106 Obicies tertiò. Qui meretur de condigno finem, meretur etiam de condigno media necessaria ad talem finem, nihil enim conducit mereri finem si non merentur media sine quibus ille finis haberi nequit. Ergo, &c.

Respod. Media in hoc sensu esse in duplici differentia; alia præsupponuntur iam data ante meritum finis; alia præsupponuntur nondum data, vndè necesse est quidem promereri ista, quæ non sunt data, non tamen illa quia si iam habentur, non est necesse quod promereantur: Quod currit de prima gratia non verò de augmento gratiæ.

107 Hìc aduerte sufficere ad hoc vt actus accipiat condignitatem à gratia habituali, quod ille actus adscribatur gratiæ habituali, adscribitur autem ex eo quod elicitur ab auxilio gratiæ actualis ex se debito gratiæ habituali; nam huic gratiæ habitua-

bituali debetur auxilium gratię actualis in ordine ad producendos proprios actus supernaturales; vndè in secundo signo illud auxilium, quod in primo non erat debitum, incipit esse debitum. Adde quod ille actus est vltima dispositio ad gratiam habitualem, vndè ex hoc capite ad illam pertinet, & sic quando aduenit gratia habitualis potest illud dignificare, eique suum valorem tribuere.

108 Disputarem hìc libenter; An Beatissima Virgo in instanti suæ Conceptionis viderit essentiam Diuinam; sed quia cum apud neminem antiquorum, & recentiorum hoc disputatum inuenio; idcircò solùm insinuò quid piè credam in re: Sentio enim Animam purissimam huius Sanctissimæ Reginæ in eo instanti vidisse essentiam Diuinam: Moueor ad hoc, quia D. Thomas concedit in prima parte quæst. 12. artic. 11. ad 2. Moysem, vt Magistrum Iudæorum, & Paulum vt Magistrum Gentium vidisse Diuinam essentiam, & hoc habet S. D. ex S. Augustino lib. 12. super Genesim ad literam, & in libro de videndo Deum, & Epist. 112. ex qua doctrina, sic arguo. Si D. Paulo eo instanti, quo vocabatur à tenebris ad lucem, à peccato ad gratiam, quando adhuc spirabat minarum, & cædis in discipulos Domini, & erat Persecutor Ecclesiæ actu; ex eo solum, quod erat futurus Magister, & Doctor Gentium hæc singularis prærogatiua concessa fuit in primo instanti suæ conuersionis, vel saltèm immediatè post illud, quanto magis hoc debet affirmari de Beatissima Virgine iam electa, & præordinata ad dignitatem Matris Dei; & ad Magisterium omnium Angelorum, ac hominum, & eorumdem Imperium; & per consequens designata Filia Patris æterni, & Sponsa Spiritus Sancti; maximè cum sit Regula infallibilis SS. PP. & Theologorum, quod omnia priuilegia gratiæ reliquis concessa, perfectiori, & abundantiori modo fuere Sanctissimæ Virgini collata?

109 Reddunt hanc opinionem probabilem, quæ affert Suarez tomo 2. in 3. partem disp. 19. sect. 4. §. Dico ergo primo nempe esse sententiam S. Antonini quarta parte titulo 15. capite decimò septimo paragrapho primo. Beatissimam Virginem in Conceptione sui Sanctissimi Filij habuisse hanc gratiam videndi essentiam Diuinam. Ex D. Bernardo homilia quarta super *Missus est*, pro qua sententia citat etiam Albertum Magnum, Dionysium Richelium super Dionysium Areopagitam de cœlesti hierarchia articulo decimo octauo. Gersonem Alphabeto decimo quinto Alphabeto octuagesimo octauo titulo nono. Vbertinum Cassalium lib. primo arboris vitæ Crucifixi capite nono circa finem. D. Thomam de Villanoua in serm. de Resurrectione, & Medinam 3. parte in quæstione vigesima septima articulo quinto in fine; quam ait etiam insinuari à D. Cypriano serm. de Natiuitate, & Ruperto lib. 3. in Canticis.

Vndè si communiter admittitur ei concessum hoc priuilegium eo tempore Incarnationis, non videtur cur ei denegandum sit in instanti Conceptionis; maximè cum hìc videatur modus magis idoneus ad confirmãdum aliquem in gratia, quo pacto diximus B. V. fuisse confirmatã.

Quæ tamen dicta volo cum ea submissione iudicij, quam Sanctæ Ecclesiæ, & omnibus alijs Theologis, vt infimus discipulus voueo, & profiteor. Et hęc pro nunc sint satis de præsenti tractatu.

DISPVTATIO III.

De Stirpe, Origine, & Parentela B. V. MARIAE.

§. III.

An ex Regia stirpe Iudæ Beatissima Virgo MARIA originem traxerit?

110 Dico communem esse Doctorum Catholicorum sententiam Beatissimam Virginem Mariam ex Regia stirpe Iudæ originem traxisse: Et

Probatur primo ex capite primo Euangelij S. Matthæi in quo describitur Genealogia Sanctissimi Patriarchę Ioseph: vbi etiam asseritur eum fuisse Virum, & Sponsum eiusdem Sanctissimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ: cumque ex capite vltimo libri Numerorum habeatur præceptum, ne in coniugijs vna Tribus misceretur cum alia; sed vnusquisque volens nubere acciperet vxorem ex sua Tribu, expressum illis verbis; *Omnes viri ducent vxores de Tribu, & cognatione sua, & cuncta fæmina maritos de eadem Tribu accipient, vt hæreditas permaneat in familia, nec sibi misceantur tribus; sed ita maneant, vt à Domino separata sunt*. Sequitur, & Sanctissimum Patriarcham Ioseph, & Beatissimam Virginem, qui singulari Sanctitate, Religione, & Pietate præditi erant, etiam in hoc legis Diuinæ prę-scriptum seruasse, & consequenter ex eadem Tribu vtrumque fuisse.

111 Hoc argumentum expendit Abulensis quæst. 28. in cap. primum Euangelij S. Matthæi, & aduersus illum mouet hanc difficultatem dicendo, non fuisse contra legem, quod Tribus Iuda misceretur cum Tribu Leui: præceptum enim illud latum fuit ne possessiones tribuum transirent ex vna ad aliam vt patet ex ipsis verbis præcepti. At Tribus Leui cum esset Tribus Sacerdotalis non habebat possessiones, seu campos: sed viuebat ex Decimis: ac proindè ex mixtione eius cum alia Tribu non oriebatur imminutio facultatum: Imò, & de alijs tribubus docent communiter Doctores, quod quando non ferebant secum hæreditatem miscebantur: & hoc maximè post Captiuitates illas, quarum meminit Sacra Scriptura.

112 Validius ergo argumentum ad probandum intentum est, quod S. Matthæus scribit ibi: *Liber generationis Iesu Christi Filij Dauid, Filij Abraham*, &c. At Iesus Christus non fuisset Filius Dauid, nisi Beatissima Virgo fuisset ex eadem Tribu; cum S. Ioseph non esset Pater naturalis ipsius Christi Domini: Ergo per necessariam illationem manet Beatissimam Virgi-

Virginem fuisse ex Tribu Regia Dauid.

Hoc totum confirmatur ex omnibus illis locis, in quibus Christus Dominus vocatur Filius Dauid, & ex semine Dauid. Videantur de hoc puncto Pineda de Rebus Salomonis libro septimo capite vigesimo octauo, & Vasquez in tertiam partem Disputatione 121. capite primo.

§. IV.

Vtrum B.V. MARIA ex Tribu Sacerdotali originem duxerit.

113 COmmunis est sententia, quod B. Virgo etiam ex Sacerdotali stirpe originem traxerit.

Probatur ex Euangelio S. Lucæ capite primo. Vbi habetur dictum eidem Sanctissimæ Virgini ab Angelo: *Et ecce Elisabeth cognata tua*, &c. (& ibidem) *Hæc autem erat ex filiabus Aaron*.

114 Obicies. Plures, & graues Auctores docuisse, & S. Annam, & S. Ioachim fuisse de stirpe Regia: ergo non potuit B. Virgo esse ex tribu Leui, seu ex illa originem ducere. Ergo.

Respondet Vincentius Regius in dictum Euangelium S. Lucæ libro primo cap. 3. Theor. 5. Quod potuit, vel alter, vel vterque eorum habere progenitorem ex tribu Leuitica. Quod etiam videtur indicare S. Hilarius in Matthæum cap. primo, & Refertur in homilia diei quartę infrà octauam Natiuitatis B. Virginis Mariæ.

115 Obicies 2. Sanctum Paulum in Epistola ad Hebræos cap. 7. negare Christum Dominum esse ex Tribu Leui; & satis prolixè ad hoc demonstrandum protrahit sermonem. Ergo.

Respond. cum Toleto in cap. 3. Lucę annot. 58. Apostolum negare Christum Dominum esse ex Tribu Leui absolutè, & per lineam masculinam; ita vt posset ex hoc capite esse Sacerdos legalis; nam de cætero, vt obseruat S. Hilarius loco citato: *Matthæus paternam originem* (idest Iesu Christi) *quæ ex Iuda proficiscebatur recenset: Lucas verò acceptum per Natham ex Tribu Leui genus edocet; suis vterque partibus Domino Nostro Iesu Christo, qui est æternus Rex, & Sacerdos etiam in carnali ortu vtriusque generis gloriam probauerunt*. Ex quibus verbis clarum manet, tàm ex Regia, quàm ex Sacerdotali Tribu, & Beatissimæ Virginis, & Domini Nostri Iesu Christi in carnali ortu gloriam illuxisse.

§. V.

§. V.

Vtrum B. Virgo MARIA fuerit vnica filia S. Annæ eius Genitricis.

116 QVæstio hæc excitatur ob varias, & diuersas sententias in hoc puncto; in quo tamen affirmatiua sententia alijs præferenda videtur, & suaderi potest.

Primò, ex communi consensu eorum SS. PP. qui exponentes cap. primum Euangelij S. Matthæi supponunt eam fuisse vnicam hæredem suorum parentum.

117 Secundò, ex lib. Canticorum cap. 6. vbi habetur, *Vna matri suæ .... electa Genitrici suæ*; Quem locum Psellus apud Theodoretum, & Rupertus Abbas de Beatissima Virgine exponunt. *Vnam* quia similem nullam habet, *Vnam matri suæ* cœlesti Hierusalem, & *electam* Ecclesiæ Patriarcharum, Prophetarum, & Regum iustorum, quorum de carne progenita est: vbi addit Rupertus: *Matri huic Genitrici vna, & electa est; quia nec inter Angelos, nec inter homines similem, vel primam habet, vel sequentem habitura est*. Hæc expositio verò magis declinat in sensum mysticum, quam literalem.

118 Probatur tertiò. Quia S. Anna erat similis ætatis, & Ioachim, & sexagenaria (vt communiter supponitur) ac proindè ex speciali gratia, & priuilegio hanc Sanctissimam Virginem genuit; & non vlterius generationi filiorum intentam fuit; nec alium virum carnaliter cognouit, quàm S. Ioachim. Est enim laus specialis viduæ tàm Sanctæ quod fuerit vnius viri vxor; vt habetur Epistola ad Timothæum: *Vidua eligatur, quæ fuerit vnius viri vxor*.

Hanc sententiam docuerunt P. Franciscus Suarez Tom. 2. in tertiam partem disp. 5. sect. 4. Medina ibid. quæst. 35. art. 5. Petrus Morales in caput primum S. Matthæi lib. 2. tract. 7. num. 3. Et Eminentissimus Cardinalis Baronius in Apparatu pagina 15. & est communis inter recentiores.

119 Obicies S. Antoninus prima parte suæ summæ histor. Glossa ordinaria in cap. primum Epistolæ ad Galat. Hugo de S. Victore ibidem. Ekhius in serm. de S. Anna. Venerab. Beda Actorum cap. 1. Glossa Interlinealis Act. cap. 1. S. Hieronymus cõtrà Heluidium in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis. Isidorus in lib. de vita, & morte SS. PP. Alphonsus Villegas, & Alij, docent S. Annam tres viros habuisse, & ex singulis ipsorum vnam filiam, & duabus alijs etiam nomen Mariæ imposuisse: quod aliqui probant ex illo Euangelio S. Ioannis cap. 19. *Soror matris eius Maria Cleophæ*. Ergo, &c.

Respond. cum Petro Morales fuisse vsum in Scripturis Sacris consanguineos vocare fratres, & consanguineas sorores; qui vsus etiam nunc apud plures nationes seruatur; Ideoque Genesis cap. 29. habetur quod Laban Socer Iacobi vocatur eius frater. Proptereà Theophylactus relatus à Petro Morales docet Mariam

riam Cleophæ quæ Sanctissimę Virginis Dei Genitricis Mariæ Soror dicitur non fuisse eius sororem vterinam; sed tantum eius consanguineam, seu affinem. Sic etiam certum est illos qui à S. Marco cap. 6. dicuntur fratres Domini, fuisse solùm consanguineos.

§. VI.

Quinam, & quales fuerint Parentes SS. Virginis.

120 Ratio dubitandi est quia in Sacris Scripturis non exprimuntur eorum nomina, & prætereà Ioannes Annius in Commentarijs Breuiarij temporum, qui liber falsò à pluribus Philoni attribuitur docet illum Heli cuius meminit S. Lucas cap. 3. fuisse Patrem naturalem Beatissimæ Genitricis Dei Mariæ. His tamen non obstantibus.

121 Dico primò. Certum esse parentes Sanctissimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ fuisse SS. Ioachim, & Annam.

Probatur hoc ex consensu totius S. Romanę Ecclesię, quæ in officio S. Ioachim in prima lectione secundi nocturni desumpta ex S. Epiphanio; oratione de laudibus Virginis docet, quod: *De radice Iesse ortus est Rex Dauid, & de tribu Regis Dauid Sancta Virgo: Sancta inquam, & Sanctorum virorum filia, cuius parentes fuerunt Ioachim, & Anna*, &c. Sic etiam de S. Anna testatur in eius officio eadem S. Mater Ecclesia verbis S. Ioannis Damasceni ex oratione secunda de Natiuitate B. Virginis, ac proindè vt talium celebrat eorum festa.

122 Ad primam rationem dubitandi respondent Ambrosius Catarinus in Commentarijs Genesis cap. 3. & Spinellus in libro, cui titulus Thronus B. V. cap. 88. num. 4. Non exprimi in Sacris Scripturis nomina parentum B. V. Marię, vt tota eius nobilitas non ex parentibus; sed ex prole Sanctissima, & Diuina dignoscatur expressa illis verbis S. Matthæi cap. primo: *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus*.

123 Ad secundam rationem dubitandi, Respondet Suarez tom. 2. in 3. partem disput. 2. sect. 3. Eumdem fuisse Ioachim, qui, & Heli, siuè quia binomius fuit, siuè quia in Scriptura, & vsu Hebreorum nomina Ioachim, & Heliachim vt Sinonyma vsurpabantur vt habet lib. 4. Regum cap. 23. & ex libro 2. Paralipomenon cap. 36. Eliachim autem breuitatis causa dici potuit Heli. Ita Ioannes Annius in præcitato Commentario Breuiarij temporum. Addit etiam Suarez prædictum Annium multa falsa, & improbabilia de his Genealogijs docere, quæ Scripturæ Sacræ repugnant, & à Iansenio Gandauensi Episcopo, & alijs satis refutantur.

124 Dico secundò. Hos duos Beatissimæ Virginis parentes duxisse originem ab Abrahamo, & Iacob ex tribu Iuda per familiam Dauid.

Pro-

Probatur ex Scripturis Sacris, ex illis enim constat Christum fuisse promissum Abrahæ Genesis cap. 18. & 22. & Iacob Genesis cap. 28. Constat etiam fuisse de Tribu Iuda Genesis cap. 49. & ad Hebræos cap. 7. & filium Dauid Matthæi cap. primo ad Romanos cap. primo. Et ex varijs locis Euangelistarum constat communem sententiam Hebræorum omnium fuisse Messiam futurum fuisse filium Dauid. Quod etiam satis conuincitur ex promissionibus factis Dauid lib. 2. Regum cap. 7. & Psal. 131. quas in Christo fuisse impletas testatur Angelus Lucæ cap. primo, Denique, quia etiam inter gentes adeò hæc fama percrebuit, vt Domitianus, & Vespasianus, omnes qui erant ex stirpe Dauid interficere tentauerint; eo quod ex illa progenie Regem nasciturum audissent qui omnibus dominaretur. Ita Eusebius lib. 3. Histor. capit. 11. & 15. Quæ omnia non possunt in Christum conuenire nisi ratione Matris; cum secundum carnem Patrem non habuerit. Plura de hoc argumento vide apud præcitatum P. Franciscum Suarez loco citato disp. 3. sect. 3.

125 Dico tertiò. Parentes Sanctissimæ Virginis fuisse personas Sanctas, & vt tales à tota Sancta Ecclesia venerari eorum festa, & coli (nos die 20. Martij festum S. Ioachim celebramus; Græci verò die 9. Septembris, vt habetur in eorum Menologio; S. Annæ nos celebramus die 26. Iulij; Græci autem pridie ad diem 26. celebrant) & à SS. PP. tàm Græcis, quàm Latinis celebrari. Et præcipuè à S. Epiphanio, qui res Hebræorum præ cæteris calluisse videtur in Pan. hæresi 79. & in oratione de laudibus SS. Dei Genitricis V. M. S. Ioannes Damascenus, qui pluribus agit de laudibus S. Annæ, & S. Ioachim in quibus orationibus, quas habuit in die Natiuitatis B. V. Mariæ. S. Augustinus etiam ipse libro 23. contra Faustum Manichæum cap. 9. aduersùs hunc hæreticum dicentem S. Ioachim ex tribu Leui, & Sacerdotum fuisse probat ex Tribu Iuda prouenisse irrefragabili argumento.

126 Aduertendum hìc est Gnosticos Hæreticos excogitasse portentosum quemdam librum (vt notat Baronius in notis ad Martyrologium die 20. Martij) inscriptum *Stirps Mariæ*, quem vt alienum à S. Ecclesia S. Epiphanius procul reicit in Panario hæresi 26. ex quo libro nihil SS. Patres accepisse ait ibi Baronius certum esse, & loca ipsius S. Epiphanij ab eo ibi citata satis indicare.

127 De S. Annæ pietate, & sanctitate præter supracitatos PP. agunt, Antiochus Monachus sanctitate, & doctrina clarus tempore Heraclij Imperatoris, Andreas Cretensis in die Natiuitatis B. V. Mariæ, & in Sacris Hymnis.

Multa etiam extant de ea apud Cyrũ Prædromum. Fulbertus Episcopus Carnotensis de ea sermonem habuit. In Bibliotheca PP. Congregationis Oratorij tom. 7. habetur sermo, qui incipit: *Beatissima, & multiplici*. Et quædam carmina in Ecclesia cani solita ait Baronius ad diem 26. Iulij in notis. Extat etiam Apocryphum quoddam opus sub nomine S. Hieronymi incipiens *Postulatis filia*, &c.

128 De miraculis S. Annæ scripsit Trithemius, plura alia habet Em Cardinalis Baronius de hoc argumento in notis, vt mox diximus, ad Martyrologium ad diem 26. Iulij, sicut etiam de Basilicis ædificatis à Iustiniano Imperatore. Ex quibus omnibus constat tàm in Orientali, quàm in-

in Occidentali Ecclesia peruetustum fuisse S. Annæ cultum, quem Summus Pontifex Felic. Record. Gregorius XIII. Literis datis Anno Domini 1584. Kalendis Maij firmauit, & auxit, præcipiens, vt in perpetuum B. Annæ dies Festus septimo Kalendas Augusti per totius Orbis Ecclesias duplici officio quot annis recolatur.

129 Probari etiam potest horum SS. Progenitorum sanctitas ex Reuelatione Diuina facta S. Birgittæ, quæ habetur libro primo cap. 9. Reuelationum illius vbi dicitur, quod non inueniebatur: *Castus Coniugium*. Et libro sexto capite 9. & in sermone Angelico capite decimo, vbi huiusmodi coniugium, vt SS. celebratur, & S. Anna *Omnipotentis Gazophylacium vocatur*.

130 Hoc idem indicant nomina ipsa, quibus à Deo hi Sancti Progenitores insigniti fuere *Ioachim* enim, *Præparatio Domini* dicitur, vt explicat S. Epiphanius serm. de Laudibus Virginis, & *Anna Gratia, & Misericordia* interpretatur ex eodem S. Epiphanio serm. de dormitione Virginis.

131 Præterea orationes, quas assiduè exercebant, hoc idem demonstrant, vt testantur SS. Cyprianus, Damascenus, Gregorius. Dam. Germanus, & Nicephorus; S. Ioachim quidem in deserto, & in monte, S. Anna verò in horto. Hoc etiam ostenditur ex conformitate, quam vterque habuit in sua sterilitate cum Diuina voluntate.

132 Licèt enim S. Antiochus homil. 107. quæ est de compunctione affirmet S. Annam fleuisse, ait tamen. *Anna Ioachim vxor flens in horto suo cum petitionem suam obtulisset pro impetrando filio, promeruit accipere Sanctam Virginem Mariam Domini, ac Dei, & Saluatoris Nostri Iesu Christi secundùm carnem matrem*. Fuerunt igitur lacrymæ illę tàm sanctæ, & Deo acceptæ vt tantum donum à Deo accipere meruerint.

133 Deniquè hoc suadetur ex electione Diuina, qua has duas personas assumpsit ad hanc dignitatem, vt essent Progenitores, & Parentes Beatissimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ. Deus enim assumens aliquem ad aliquod officium facit illum idoneum tanto muneri, vt ait Apostolus Epist. 2. ad Corinthios cap. 3. vers. 6. *Qui, & idoneos nos fecit ministros noui Testamenti*. Cumque accepta maternitate B. V. qua facta est Mater Domini Nostri Iesu Christi nulla alia fuerit dignior Maternitas, aut Paternitas, manet hos Sanctos Progenitores ad eam sanctitatem fuisse euectos, quæ tales Parentes decebat. Ex hoc capite etiam S. Vincentius Ferrerius serm. de S. Anna arguit insignem, & magnam sanctitatem in S. Anna. Pium, & sanctum affectum suum erga Deum demonstrarunt hi duo Sancti Progenitores, quando Sanctissimam Virginem vix triennem in templo Deo obtulerunt; cum enim eam summè diligerent, magnum amoris Diuini indicium dederunt eiusdem Sanctissimę Filiæ consortio se priuantes, eamque Deo offerentes. Ex his colligunt viri pij, & deuoti rem gratissimam præstare SS. Virgini Deiparæ eos, qui deuoto affectu ipsius Sanctissimos Parentes colunt.

DISPVTATIO IV.

De Natiuitate B. Virginis MARIAE.

§. VII.

De Fausto, ac felicissimo B. MARIÆ Virginis Natali.

134 Dico primo: Probabilem esse sententiam Abulensis in caput 2. D. Matthæi B. V. natam fuisse anno à creatione mundi 3947. a transmigratione in Babyloniam 576. & ab Vrbe condita 738. Esto iuxta Martirologij Romani computum sit Anno à creatione mundi 599. Mense Septembri, vt liquet ex communi Ecclesiæ consuetudine eo potissimum tempore, vt notat Canisius lib. primo de Deipara cap. 11. quo Herodes Regium Dauidis genus extinguere, ne quisquam Messias procreetur vi summa conabatur Septembris mense. Quia, vt ait Damascenus oratione prima de Natiuitate Virginis. *Vinea vberrima ex Anna pullulauit, atque vuam Sanctissimam protulit festiuissimo apud Hebraos mense*. Primus Neomeniæ Tisri. 2. Tubarum Clangorum. 3. Festi expiationis. 4. Scenophegię. 5. Cętus. 6. Collectarum. 7. Legis solemnitatis. Die, vt notat Carthagena lib. 2. homil. 2. de Natali B. V. Sabbathi, quia facta supputatione à Martio, vndè Hebræi incipiunt Annum, *Venit*, ait ille, *quod nascens octauo die Septembris nascebatur die Sabbathi, dies festi apud Iudaos*; Quòd posteà in octauum, idest, dominicum diem mutatus est.

135 Nata est autem illuscescente aurora, vt notant Durandus lib. 7. cap. 28. Spinellus tractato de festis num. 3. Azorius parte 2. lib. 1. cap. 19. q. 8. Ex Reuelatione facta Religiosissimo viro. Nata, vt ait S. Petrus Damianus serm. de Assumptione; *Sicut aurora terminum noctis diei principium adesse testatur, sic & Virgo noctem expulit sempiternam, & de die diem terra sua Virginitatis exortum infudit*. Sic quadrat illud Genesis 32. *Dimitte me iam enim ascendit Aurora*, & illud Isaiæ: *Custos quid de nocte*.

136 Dico secundo. Quod B. Virgo, ait S. Ioannes Damascenus lib. 4. de fide orthodoxa cap. 8. Edita fuit in domo propinqua Probaticę Piscinæ. Sic, & oratione prima de Natiuitate: qui magnæ debet esse auctoritatis, quia vt habet Ioannes Patriarcha in eius vita Palæstinam perlustrauit. Sic & Guillelmus Bland. libro de terra Sancta, & Cotriucius lib. 2. sui itinerarij ait, à veteribus acceptum, ibi natam esse B. V. apud Probaticam Piscinam; fortasse quia in se lauacrum curatiuum nostræ infirmitatis nobis erat allatura. Baronius tamen in apparatu numero 48. cum alijs tenent natam in Nazareth.

137 Di-

137 Dico tertio. Piam esse, & tenendam opinionem Stephani Mendez Ordinis Prædicatorum in Mariali lib. 4. cap. 3. & Nouati parte prima cap. 4. quæst. 3. Beatam Virginem natam esse absque dolore S. Annæ. Fauet S. Idelphonsus serm. de Natiuitate Virginis dum ait Maria non sic est nata sicut solent pueri, & puellæ nasci; quod suadetur ex eo quod si aliqui Sancti suis præcibus impetrarunt partum absque dolore matris, vt de B. Stanislao refert Sacchinus impetrasse Annæ ducissæ suæ matri, & P. Ioannes à Iesu Maria de S. Teresa, & de S. Lyduuina. Thom. à Kempis prima parte cap. 1. hoc scribit; quare non etiam B. V. M. hoc impetrarit suis parentibus, maximè cum, (vt scribit S. Birgitta lib. 1. cap. 9.) S. Anna, & Ioachim conuenerunt carne verbo Angeli nunciantis, non ex concupiscentia aliqua voluptatis; sed contra suam voluntatem, & diuina dilectione, vt ait S. Augustinus lib. 14. de Ciuitate Dei cap. 26. & Suarez de operibus sex dierum lib. 5. cap. 1. n. 15. quod abesset alteratio, & fieret partus per solam viscerum facillimam relaxationem. Adde quod ait Damascenus orat. 1. de Natiuitate quod ad Incarnationis summum miraculum per aliud sterilitatis miraculum fieret gressus. Vndè Pelbartus de Themesuuar lib. 5. p. 2. art. 2. scribit: *Quod Mariæ Natiuitas fuit portentis, & signis clarificata, quoniam secundùm Theophilum Histor. ipso die, quo nata est B. V. Maria plus solito Sol refulsit in duplo, illa nocte Luna clarior coruscauit, adeò quod penè solari splendore radiarit, & illa nubecula, quæ Lunam offuscat per tempus à die Natiuitatis Mariæ non comparuit; sed circa globum lunarem medium quasi vna stella magna claritate apparuit*. Hæc Theophilus relatus à Themesuuar. *Et quid mirum*, cum ait S. Germanus Patriarcha in oratione de Zona Virginis, *Omnia in Virgine sunt admirabilia, & naturæ vires excedentia*: Et ex D. Bonauentura in speculo: *Quantò humana consuetudini inaudita tantò Mariæ dignitati congrua*.

138 Dico quarto. Festiuum Natalem B. V. gaudium attulisse mundo ob septem præcipuas causas.

Prima. Quia vt ait S. D. Anselmus libro de excellentia Virginis cap. 10. *Omnes rerum formæ informi quadam offuscatione tegebantur eo quod ipsis, qui Deum incessanter offenderant ministrare, ac subdi sine intermissione cogebantur. Durauit autem hæc iniuria quousque venit in carnem illa de qua loquimur Virgo Maria*. Et alia plura ibi pro hoc argumento legi possunt.

Secunda. Quia per Virginem noua quædam nobilitas rebus adiuncta est; *Nam* vt ait Arnoldus Carnotensis relatus à Salazar 8. cap. Prouerb. vers. 30. num. 381. *cum creaturæ in se ipsis caducæ sint debiles, & instabiles, & alia huiusmodi vitia naturæ, vel motum habeant; in Maria omnis vitij expertes stat*. Vndè & D. Bonauentura in speculo cap. 7. *Præter assumptam à Verbo naturam nullum est opus, nulla creatura in qua tanta Diuinæ gloriæ materia reluceat*. Et cap. 16. *Post Deum maior gloria nostra maius gaudium nostrum de Maria est*.

Tertia. Quia iam tamdiù expectata. Vndè Rupertus lib. 6. in Canticis: *Natiuitas tua ex semine Abrahæ clara ex stirpe Dauid ad quos cum iuramento facta est repromissio benedictionis finis dolorum, & consolationis fuit initium, finis tristitiæ, & lætitiæ nobis extitit principium*.

Quarta. Quia virtutis normam attulit contra vitia. Vndè, & S. Petrus Damianus sermone de Assumptione, & Andreas Cretensis oratio-

ne de dormitione Deiparæ, & Andreas Hierosolymitanus serm. de Annunciatione ait; *Senio quasi confectus mundus per Mariam peccatorum senectam exuit*. Hæc ille.

Quinta. Quia nata est gratiarum dispensatrix: Vndè tota Ecclesia meritò eam appellat Matrem gratiæ, Matrem misericordiæ.

Sexta. Quia ait D. Antoninus 4. parte titulo 15. cap. 14. § 3. *Angeli recipiunt illuminationem, perfectionem, ac Beatificationem à Iesu per quem omnia restaurantur in cælo, & in terra*. Ergo Beatissima Virgo cum sit mater Iesu Christi causa est aliquo modo gloriæ Angelorum.

Septima. Quia, vt ait Osorius concione de Natiuitate. *Lætatur Deus velut solet artifex gaudere cum perficit opus optimum; lætatus est cum fecisset terreno Adamo domum conuenientem: Quid mirum si delectetur constructa domo secundo Ada cælesti?*

139 Dico quinto. Probabilissimum esse quod B. V. habuerit perfectissimum temperamentum, nam vt habet Sophronius in Epistola Synod. quæ seruatur in sexta Synodo act. 11. toto vitæ decursu ab omni ægritudine propriè dicta, & contagione fuit immunis, vndè nulla vehemens alteratio in ea fuit, &c. Qua super re videndus est Ruuius libro secundo de Gener. cap. 8. tractatu de temperamento mixtorum quæst. 2. num. 15.

140 Dico sexto. Beatissimam Virginem fuisse eximiæ pulchritudinis.

Probatur primo ex Scriptura, & maximè in Canticis Canticorum. Secundo ex admirabili humorum, & qualitatum temperamento, ex quo oritur illa decens partium, & lineamentorum proportio cum suauitate coloris. Tertio ex D. Ambrosio lib. 2. de Virg. *Species corporis simulacrum est mentis figuraque probitatis*. De qua Virginis pulchritudine ait Gerso Alphabeto 82. litera A. *Sic est pulchritudo, & specialiter qualibet experta in creaturis omnibus sparsim, tota colligitur in Beata, & pulcherrima mulierum, vel formaliter, vel eminenter; hæc est enim Regula D. Dionysij hierarchias ordinantis*. Vndè & Salazar in cap. 31. Prouerb. nu. 209 habet; *Pulchritudinem Virginis non solùm naturæ, sed miraculo tribuendam esse*.

141 Dico septimo. Cum D. Dionysio Areopagita in Epist. ad S. Paulum relata à Ferçolo lib. 5. de Maria Augusta cap. 6. Corpus B. Virginis suaueolentiam emisisse, sic enim scribit: Tanta etiam me omnium odoramentorum superabundauit fragrantia, vt nec corpus infelix, nec spiritus posset totius, ac tantæ felicitatis insignia sustinere, iuxtà illud Eccles. cap. 24. *Sicut Cinnamomum*, &c. Quæ tamen suaueolentia non à naturali temperamento emanauit; quia debet esse maxima siccitas prædominans, vt habet Aristoteles de sensu, & sensib. cap. 5. quæ non potest stare cum perfectissimo temperamento, quale ponimus in B. V. M. præthereà hunc odorem non ab omnibus participatum fuisse putat Nouatus cap. 4. quæst. 8. sed ab eis, qui ad eam amandam deuotèque venerandam incitabantur. Quod si Alexander Magnus tanta suauifragrantia perfundebat naturaliter vestes, vt scribit Plutarcus in eius vita, hoc ideo quia temperamento calidissimo, & sicco maximè erat.

142 Alias perfectiones enumerat Ioannes Gerso tract. 4. not. 1. super Magnificat, vtpotè quod aliquo modo participaret inchoationem dotium corporis gloriosi, ita vt Spiritus

tus dominium haberet super animam, & corpus, vt esset agile secundum omnes vires motiuas, & cognitiuas subtile, & clarum nec ita passibile vt à primis motibus præueniretur. Addit Carthusianus tom. 1. lib. 2. homil. 5. ex Galatino libro septimo de Arc. eo spiritu prophetiæ donatam fuisse, vt si fortè aliquid illicitum auditura, vel visura esset illicò eius aures, clauderentur, ità vt eius membra, & sensus solùm diuinæ voluntati deseruire viderentur.

143 Dico octauo. Apud me probabilius esse vna excepta anima Christi Domini B. V. Mariæ animam alijs omnibus fuisse nobiliorem, & perfectiorem, cui fauent omnes illi Doctores dicentes esse inconueniens asserere animam Christi non esse perfectiorem in naturalibus anima Iudæ. 2. illud Sapientiæ cap. 8. *Sortitus sum animam bonam*. 3. Quia anima dicit ordinem essentialem ad corpus organicum in indiuiduo; quæ sententia est Capreoli in 2. distinct. 32. quæst. prima. Caietani prima parte quæst. 85. art. 7. Iauelli 8. Metaphysicorum quæst. 6. Alberti in 2. dist. 32. art. 6. Ferrariensis 1. contra Gentes cap. 3. Licheti in prima distinct. 3. Fonsecæ 5. Metaph. cap. 28. quæst. 16. Magistri in 2. distinct. 52. S. Bonauenturę ibidem, & S. Thomæ in 2. distinct. 32. quæst. 2. artic. 1. & prima parte quæst. 85. art. 7 vbi ait. *Quantò corpus fuerit melius dispositum, & complexionatum, tantò nobiliorem animam sortiri; cum omne, quod recipitur per modum recipientis recipitur*. Quæ sunt ipsa D. Thomæ verba.

144 Dico nono. Nomen B. V. M. à Deo fuisse assignatum, & diuinitus intimatum Ioachim, & Annæ. Vndè S. Hieronymus libro de ortu Virginis sic habet: *Vxor tua* (loquitur in persona Angeli quem dicit missum) *pariet tibi filiam, & vocabis nomen eius Mariam; missus sum ad te ò Anna, vt annuntiem Filiam nascituram, quæ Maria vocata super omnes mulieres erit Benedicta*. Idem habet S. Antoninus 4. parte titulo 15. cap. 14. Sic & Fulbertus Carnot. sermone de Natiuitate Virginis. Christophorus de Castro in historia Deiparæ cap. 2. num. 10. innuit eam S. Petrus Damianus sermone 2. de Annunciatione; vndè in hoc est vsurpanda Regula S. Bernardi Epistola ad Can. Lugdunen. *Quod enim paucis mortalium* (ait ille) *constat fuisse collatum, fas certè non est suspicari tantæ Virgini fuisse negatum*. Vndè si S. Ioannis Baptistæ, Isaaci, & Sampsonis nomina ab Angelis missis nunciata fuerunt; multo magis de B. V. Maria dicendum est.

Secundo. Nomen Rebus congruens imponere solius Dei est; sed Virginem Mariam solus qui ipsam fundauit dimensus est, vt habet S. Bonauentura in speculo cap. 5. ergo ad eum spectat, &c.

Tertio. Probatur, vt ait Idiota libro de Contemplatione Virginis, quia *Est datum, vt post nomen Domini Nostri Iesu Christi sit super omne nomen, & in nomine tuo ò Beatissima Virgo omne genu flectatur cælestium terrestium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur Sanctissimi nominis gratiam, gloriam, & virtutem*.

Quarto. Quia vt habet S. Ambrosius lib. de institut. Virg. cap. 5. vndè, & speciale Mariæ Dominus nomen hoc inuenit, quod significat *Deus ex genere meo*.

Porrò hoc nomen multò antè fuit etiam gentibus prænunciatum. Vndè Sybilla Erytræa lib. 8. oraculorum cecinit.

Et

Et breuis egressus Maria de Virginis aluo,
Exorta est noua lux.

Et S. Procopius Martyr, vt scribit Surius die octaua Iulij protulit Flauiano oraculum Pythici Apollinis „ huiusmodi. Cum Iason princeps eo- „ rum qui dicuntur Argonautæ in „ templo, quod Athenis primo con- „ structum est in arce sciscitatus es- „ set delphicum Apollinem, & di- „ xisse: Prædic nobis Propheta Phæ- „ be Apollo cuiusmodi erit hæc edes, „ & ad quid futura sit imposterum. „ Sic Respondit. Quæcumque ad „ virtutem quidem, & honestatem „ vos incitant facite. Ego autem tres „ cupio. Deum viuum regnantem „ apud superos cuius Verbum ab in- „ teritu alienum, conceptum in sim- „ plice Virgine, quæ tamquam igni- „ tus Ancus percurrens mundi me- „ dium omnes capiens eos adducet, „ donum Patri Huius erit hæc ædes, „ Maria autem erit nomen eius. Sic ille. Quod Templum à Zenone Imperatore expiatum Deiparæ Sanctissimæ fuit dicatum. Sic Cedrenus in sua historia, & Canisius libro primo cap. primo.

145 Dico X. Hoc Sanctissimum nomen Mariæ quinque præcipuas habere significationes; nam ex Hebræo ly מר *Mar* significat guttam, & ים *Iam* verò Mare, & sic significat *Guttam maris*.

Secundò significat *Excelsam*, & *sublimem* ex Cano de locis testamenti cap. 13. nam ly *riam* sonat *eminuit*, *addit*. מ sonat Miriam, quod cum pronunciatur, vt Migdal Riboni, &c. vtpotè quę habent Iod. Syriacè pronunciantur cum A, vt Rabboni Magdalena.

Tertiò significat *Afflictam*, & *Amaram* ex Victorino, quia ex Hebraica combinatione literarum fit *Mar Mar*, quod significat *amarum*. Alij legunt *Mor* quòd idem est, ac *Myrrha*.

Quartò significat *Doctricem Magystram*, & *Dominam*. Sic Leonardus Marius in Exodum ad cap. 19. vers. 20. contra Caninum. nam ly *More*, vel *mora* Hebraicè reddit *Magistram*, & *doctricem*. Fauet Idiota libro de Contemplatione B. V. Mariæ cap. 5. dum ait. *Maria doctrix, & Magistra maris interpretaris*. Et Epiphanius libro de laudibus Virginis, ait: *Mariam interpretari solemus Dominam, atque etiam totius spem*. Peperit enim Dominum, qui est spes totius mundi. *Rursum interpretatur Myrrha maris*. Eo quod esset paritura gemmam immortalem in mari hoc est in mundo, & ipsa serenitatem, & tranquillitatem attulisset dum portum peperit Christum. *Rursum itaque preclara puella nomen Maria interpretatur Illustrata*, vtpotè quę illustrata sit à Filio, & cunctos vsque ad terminum terræ credentes Trinitati illuminaret.

Quinto significat *Stellam maris* ex D. Hieronymo in Psal. 18. & libro de nominibus Hebraicis.

146 Franciscus Venetus in Armonia Mundi Cant. 1. 10. 5. cap. 6. apud Carthagenam tom. primo libro primo homil. 2. habet: *Inter reconditissima Hebræorum arcana illud celeberrimum haberi, vnam apud Deum esse primam omnium creaturarum, qua reliquarum omnium perfectiones contineret, quam appellant, Mitatron, quàm esse Matrem Messiæ ex eo colligitur, quod Nomen Mariæ Hebraicè constituit numerum CCXC. quem etiam numerum reddunt extremæ literæ illius nominis Mitatron*.

147 Dico XI. Nomen Beatissimæ V. Mariæ deuotè ipsum proferentibus solamen, mentis tranquillitatem, & salutis spem afferre.

Præclarum est in hac re testimonium

nium D. Anselmi tractatu de Excellentia Virginis vbi sic ait: *Velocior est nonnunquam salus memorato nomine eius scilicet Mariæ, quam inuocato nomine Iesu Filij sui. Et id quidem non ideo fit, quod ipsa maior, & potentior eo sit (nequè enim ille magnus, & potens per eam, sed illa per ipsum) dicam quod sentio. Filius eius Dominus est, & Iudex omnium, discernens merita singulorum; dum igitur ipse à quouis suo nomine inuocatus non exaudit, iustè quidem facit: inuocato autem nomine matris, & si merita inuocantis non merentur vt exaudiantur, merita tamen Matris intercedunt, vt exaudiantur.*

148 S. Germanus oratione de Zona Deiparæ, ait, quod hoc Sanctissimum nomen Dęmones pellit, & seruat incolumes. Albertus Magnus in caput primum S. Lucæ ait valere contra illecebras carnis. In Reuelationibus S. Birgittæ lib. primo cap. 9. ipsa Deipara sic loquitur: *Audi quantum Filius meus nomen meum honorauit, dum Angeli audiunt gaudent. Qui in Purgatorio sunt gaudent nomine meo audito; sicut æger iacens in lecto cum audit verbum solatij. Angeli etiam boni audito hoc nomine Iustis magis appropinquant, & de eorum profectu lætantur, quibus sunt ad custodiam deputati. Omnes quoque Dæmones venerantur hoc nomen Mariæ, & statim relinquunt animam de vnguibus.* Paulò post. *Nullus etiam tàm frigidus est ab amore Dei nisi sit damnatus, si inuocauerit hoc nomen hac intentione, vt nunquam reuerti velit ad opus solitum, quod non discedat statim ab eo diabolus, & non reuertitur amplius ad eum nisi resumpserit voluntatem peccandi mortaliter.*

149 Celebre est etiam illud D. Bernardi homilia 2. super missus est. *Si insurgant venti tentationum si incurrant scopuli tribulationum, respice stellam, Voca Mariam. Si iracundia, aut auaritia, aut carnis illecebra nauiculam excusserit mentis, respice ad Mariam. Si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, Iudicij terrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abysso cogita Mariam. In periculis, in angustijs, in rebus dubijs Mariam cogita, Mariam inuoca, non recedat ab ore, non recedat à corde.*

150 Piam etiam existimo, & probabilissimam opinionem asserentem ex diuina institutione nomen Mariæ deuotè prolatum etiam ex opere operato valere in ijs, quæ nostram vel aliorum salutem concernunt. Sic Methodius in oratione in Styperpantem ait; *Tuum Dei Genitrix nomen diuinis benedictionibus, & gratijs omni ex parte refertum.* S. Petrus Chrysologus serm. 156. nomen Mariæ Dei sacrificium dicit. S. Ioannes Chrysostomus homil. 8. in cap. quartum ad Romanos ait: *Sunt nobis incantationes spirituales ipsum nomen Mariæ: huiusmodi incantatio non solùm Draconem à speluncis abigit, atque ita in ignem conijcit; sed, & vulneribus quoque medetur; hoc igitur ornemur.* S. Bonauentura in Cant. post Psalt. *Domina nostra omnipotens post Dominum nomen eius.* Sic & Idiota libro de contempl. B. V. M. cap. 5. vt nomine suo, &c. *Hoc nomen super omnia nomina Sanctorum reficit lassos, sanat languidos, illuminat cæcos, penetrat duros, vngit agonistas iugum Diaboli incutit, tanta virtutis est, & excellentia, vt cœlum rideat, terra lætetur, Angeli congaudeant, Dæmones contremiscant, & infernus conturbetur; tanta est virtus tui Sanctissimi nominis ò Maria semper benedicta, quod mirabiliter emollit, & penetrat duritiem cordis humani; vngit agonistas.* Vltimo S. Bonauentura in Psal. *Gloriosum, & admirabile nomen tuum, qui illud retinent non expauescunt in puncto mortis.*

151 Ex quibus omnibus videtur, quod

quod si habet prædictas virtutes, & maximè emolliendi cor humanum sit aliquid distinctum ab opere operantis; & licèt non constet de diuina Institutione,in hoc tamen vti debemus regula tradita à Nicolao Monacho S. Albani S. Bernardi à secretis Epistola 9. lib. 9. inter Epistolas Petri Cellensis idest: *Multa præsumuntur de Virgine, quæ nunquam leguntur, & præsumptionibus standum donec probetur contrarium*.

152 In supradictam confirmationem scribit Vincentius Bellouacensis in speculo histor. lib.7. cap. 110. Illud exemplum de Monacho,qui recitabat quotidiè Psalmos quinque,nempè, *Magnificat*, *Ad Dominum*, *Retribue*, *In conuertendo*, & *Ad Dominum leuaui*. Ex cuius ore iam defuncti rosa egrediebatur SS. nomen Mariæ inscriptum præseferens. Discipulus etiam in miraculis B. V. exemplo 39. refert in quodam naufragio Episcopum quemdam vidisse naufragantium animas, ceu columbas ab aquis emergentes ad cœlum aduolare, & postremum quemdam viuum de medijs vndis ad littus venire, qui sciscitanti Episcopo respondit: Reginæ cœlorum, & terræ Dei Genitricis cum in aquam cadentem nomen exclamaui, sicque cum eius memoria, & SS. Nomine ad maris ima perueni, & illa misericordiç Mater V. Maria, quæ memorum suorum immemor nullatenus esse potest mihi sub vndis astitit pallioque suo me demersum contexit, & sub aquis ad littus reduxit. Vincentius in speculo Histor. cap. 88.

153 Similiter refert ex 76. de puella cui frequenter apparens quasi in amentiam adduxerat, & dum hæc Religionis Cisterciensis voto teneretur quadam nocte Diabolus ei delitias sæculi suadebat; cui illa, *Et quid mihi postremum erit si in delicijs mortua fuero*? Cui Diabolus non respondit; sed rapuit illam vsque ad fenestram adducens, & eam præcipitare conabatur, quæ cum recitaret salutationem Angelicam dimissa fuit, cum hac voce, si ieris ad Religionem tibi semper aduersabor, & si modò mulierem illam non inuocasses te occidissem. Et de fenestra exiliens non comparuit.

154 Quare concludo cum Petro Damiano; quod *Sollicitus erat Pater cui Filium mitteret generandum, & statim de Thesauro diuinitatis Mariæ nomen euoluitur*. Quod ad differentiam nominum aliorum Sanctorum dictum puto, quæ de communi penu eruta dici possunt.

Non placuit tamen hæc assertio supradicta aliquibus putantibus veriorem eorum esse sententiam asserentem Sacramentalia ex opere tantùm operantis concurrere ad effectus suos, ne videatur Ecclesia nullo modo potestatem principalem habere dimittendi peccata; ac proindè nomen inuocatum B. V. M. quod Sacramentale tantùm est non habere maiorem virtutem.

DISPV-

DISPVTATIO V.

§. VIII.

De Præsentatione, & virtutibus B. Virginis in templo exercitis.

155 Certum est contra hæreticos pertinaces diuina mysteria irridentes Beatissimam Virginem tertio suæ ætatis anno in templo fuisse præsentatam sic S. Ioannes Damascenus libro 4. de fide orthodoxa ca.13. S. Gregorius Nissenus serm. de Natiuitate Christi. B. Euuodius Præsul Antiochiæ apud Nicephorum lib. 2. cap. 3. Epiphanius Monacus, & Præsbiter Const. lib. de B. V. Greg. Nicom. homil. de præsent. Greg. Thess. homil. de præsentatione. Nicephorus libro primo cap.7. S. Bonauentura in meditat. S. Antoninus prima parte cap. 1. §. 8. tit. 5. S. Gregorius Nazianzenus in tragedia de Christo patiente, & alij plures apud Carthagenam tom. 1. lib. 3. homilia prima, & Petrus Morales in caput primum S. Matthæi libro 1. tract. decimo numero septimo. Et hoc diuino impulsu spiritus (communi Parentum voto oblatam) impletum esse dicendum est iuxtà illud Oseæ cap. 2. *Ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor eius*. Quo posito.

156 Dico primo Beatissimam Virginem ob multiplicem causam fuisse præsentatam.

Primo, quia amor diuinus ipsam zelabat, & ideò voluit eam omninò à parentum conuersatione seiunctam.

Secundo, vt suis precibus Deum ad sumendam carnem humanam attraheret; sic Osorius in festo Præsentationis §.3.

Tertio, vt antesignana cæteris sanctimonialibus sic earum statum fundaret iuxtà illud Psalm.44. *Adducentur Regi Virgines post eam*. Vndè S. Hieronymus Epistola 74 ad Pammachium *Igitur Christus, & Virgo vtriusque sexus Virginitatis dedicauere principia*. Et S. Ambrosius libro 2. de Virg. *Tunc Maria tympanum sumens choros virginales excitauit cantantes Domino, quod mare sæculi sinè fluctibus sæcularibus transierunt. Oh quantis illa Virginibus occurret, quantas complexa ad Dominum trahet dicens: hæc thronum filij mei hæc thalamos nuptiales immaculato seruauit pudore*.

Quarto, vt ostenderet quantum Deo placet flos iuuentutis illi dicatus. Sic enim S. Matthæi cap. 19. vers. 14. Volebat, vt paruuli ad se adducerentur: *Sinite paruulos venire ad me*. Sic Exodi cap.16. matutino tempore colligi manna volebat, sic primitias sibi dicari præcepit.

157 Dico secundo B. M. V. se offerendo in templo probabile esse quod de congruo promeruerit, quod tot agmina puellarum Deo virginitatis florem dicarent, & Religiosorum cætus se votorum obsequijs Deo adstringerent. Ex Psalm. 44. *Adducentur Regi Virgines post eam, & proximæ eius afferentur tibi*, & illud Eccl. cap.24. *Et flo-*

rei mei fructus honoris, & honestatis: Illius Rei figura fuit Virga Aaron, quæ numer. 5. Tergeminis gemmis eruperant flores, qui folijs dilatatis in amygdalas deformati sunt. Sic, & hæc Virga Iesse Deo oblata, ita virtutibus floruit, vt postmodum omni tempore fructus protuleret eorum, qui vitam cælibem elegerunt: Quod si D. Thomas prima secunda quæst. 114. ait, quod congruum est vt Deus impleat iustum desiderium sui amici de salute alterius; multo magis hoc dicendum venit de Sanctissima Virgine.

158 Dico tertio, cum Diuo Anselmo de laudibus Virginis, quod Beatissima Virgo Maria Dei Genitrix didicit hebraicas literas, erat docilis, amans doctrinam, & circa sacram Doctrinam perseuerabat; opus verò manuum eius erat lanæ lini, & serici. Erat itaque locus distans in domo Domini scilicet in templo propè læuam altaris: ibi stabant Virgines solæ, & Diuino officio peracto ibant omnes ad propria: Maria verò perseuerabat, & custodiebat altare, & templum sacerdotibus ministrans.

159 Ex quo colligit Nouatus, quòd licèt non habitasset in Sanctis Sanctorum cum ibi non liceret, nec manducare, nec bibere, nec laborare sericum, aut lanam, licuisse tamen ex speciali priuilegio illum locum adire, & ibi iugiter perseuerare in oratione; quod ex D. Paulo ad Hebræos cap. 9. constat semel in anno solum Pontifici cum sanguine ingredi licuisse; quem tamen locum adire ex speciali priuilegio permittebant S. Iacob vt habetur in lect. Breuiarij. Et hoc indicant Auctoritates B. Euodij Episcopi Antiocheni apud Nicephorum in Epistola cui titulus *Lumen*. Et B. Germani Episcopi Constantinopolitani sermone de Præsentatione, & Gregorij Nicomediensis Episcopi, ex quibus Carthagena tom. 1. lib. 3. homil. prima vult ibi habitasse semper in Sanctis Sanctorum, quod non esset admittendum nisi nomine Sancta Sanctorum totum templum accipiatur, vt accipit D. Gregorius Nyssenus in oratione de Natiuitate referens D. Annam in Sancta Sanctorum ad orandum ingressam.

160 Pro cuius rei intelligentia sciendum ex Baronio in apparatu numero 50. ex Ioseph colligit in circuitu templi fuisse constructas nonaginta amplissimas cellas, in quibus, & feminæ Deo oblatæ, & aliæ diuersi ordinis viuere poterant. Vndè lib. 4. Regum cap. 11. habetur quod Iosaba abscondit Ioas à facie Athaliæ in necem filiorum Ochoziæ furentis, eratque cum ea sex annis in domo Domini. Et libro primo Regum cap. 2. Sacrilegi filij Heli contaminare ausi sunt pudicitiam illarum mulierum. Erat, & alter locus, vt notat idem Baronius ibidem num. 51. in interiori templi muro, quo feminæ tàm indigenæ, quàm peregrinæ ad orandum veniebant; vbi tamen non habitabant, sed tantum orabant, quia nec vas inferre, nec comedere ibi fas erat, vt scribit Ioseph contra Apionem libro secundo.

161 Dico quarto B. V. M. vitam mixtam, ac præcipuè contemplatiuam duxisse in templo: nam Sabellius lib. 2. exempl. cap. 4. & 9. & lib. 8. cap. 4. ex antiqua traditione scribit consueuisse à prima luce vsquè ad tertiam diei horam contemplationi, ac rebus sacris vacare; deindè vsquè ad meridiem aliquod opus exercere; à meridie verò vsquè ad finem diei sacræ lectioni, & orationi incumbere;

re;

re; idem testatur Diuus Anselmus libro de laudibus B. V. S. Bonauentura in meditationibus cap. 3. vbi citat etiam S. Hieronymum. Vndè S. Petrus Damianus sic scribit: *Vt nec actio contemplationem minueret, nec contemplatio actionem desereret. Considera quia ipsa est, quæ in contemplatiua dignitatis superuecta dulcedinem, in ipsius Dei substantia lucidiores infixit obtutus*. Hunc statum S. Thomas 2. 2. quæst. 118. articulo 6. alijs præfert; quod etiam confirmat, quia Christus illum elegit.

162 Dico quinto B. V. in templo votum virginitatis vel emisisse, vel renouasse, quod addo, quia probabile est, quod in sua Immaculata Conceptione illud emiserit.

Probatur primo ex Abdia Babylonia in vita S. Bartholomęi, vbi habet: *Hæc Virgo cum execraretur omnem virum prima Deo omnipotenti vouit. Hæc ergo prima inter fœminas constituit in corde suo, vt diceret: Domine offero tibi Virginitatem meam, cum hoc à nullo homine, nec verbo didicisset nec exemplo ad imitationem*.

Secundò sic, & Rupertus in caput 3. Canticę: *Dicunt, ait, & verè dicunt, quia votum Virginitatis Deo prima vouisti*.

Tertiò. Sic S. Augustinus tractatu decimo in Ioannem, *Virginum initium* eam appellat. D. Ambrosius de institut. Virg. c. 5. & 6. *Virginem vexilliferam, & Virginitatis magistram*. D. Anselmus de excellentia Virginis c. 4. *Totum amorem suum, totum studium suum ad hoc intendit, vt corpus, & animam suam Deo Virginitate perpetua consecraret*. Plura alia vide apud Carthagenam libro tertio homil. 5.

163 Dico sexto. B. Virginis contemplationes in templo fuisse maxime de SS. Incarnationis mysterio. Vndè S. Bonauentura tom. 2. opusculo de meditatione vitæ Christi inducit ipsam B. Virginem sic loquentem. *Petebam etiam vt faceret me videre tempus in quo esset nata illa Beatissima Virgo, quæ debebat Dei Filium parere, & vt conseruaret oculos meos, vt possem eam videre; linguam, vt poßem eam laudare; manus, vt possem ei seruire; pedes, vt possem ire ad seruitium suum; genua, vt poßem adorare Dei Filium in gremio suo*. Hinc Cedrenus in compendio historiarum, & Canisius libro primo de Deipara cap. 13. referunt, quòd cum B. V. M. ad annum 12. peruenisset media nocte audiuit hanc vocem diuinitùs: *Paries Filium meum, quam non reuelauit antè ascensum Christi Domini in cœlum*. Et licèt turbata fuerit in Annunciatione, non est turbata de mysterij substantia; sed modo illius.

164 Refert autem S. Bonauentura relatus à Carthagena in opusc. de vita Christi B. V. M. cuidam deuotæ fęminæ reuelasse, se quotidie in templo hæc septem a Deo postulasse dona.

Primum, vt sibi conferret gratiam, quia illum ex toto corde diligeret.

Secundum, vt amaret proximum, sicut seipsam, & omnia illa, quæ à Deo amantur.

Tertium, vt ea omnia odio haberet, quæ Deus detestatur.

Quartum, vt conferret sibi humilitatem, patientiam, & reliquas virtutes, quibus illam magis gratam redderet in occulis suis.

Quintum, vt liceret sibi hac felicissima sorte frui, vt videret, & coleret Virginem Filium Dei parituram.

Sextum, vt præstaret ei promptam obedientiam ad perfectè obediendum Pontifici, qui in templo præsidebat.

Septimum vt illi perpetuo inseruiret, Ex Carthagena lib. 3. hom. 1.

165 Dico septimo. Beatissimam Virginem ab Angelis in templo visitatam, & enutritam fuisse.

Sic D. Hieronymus relatus à D. Bonauentura in meditationibus cap. 3. vbi habet: *Ab oratione non recedebat, quousque dum illi Angelus apparebat de cuius manu escam accipere solebat*, Et inferius. *De esca quam de manu Angeli accipiebat pauperibus erogabat. Quotidie videbatur ei Angelus loqui, & quasi carissima sorori, vel matri obtemperabat ei*, Sic & Gregorius Nicomediensis homil. de oblatione B. Virginis in templo, subiungens. *Tu autem ò homo admirabilem, & nouam in templo viuendi rationem audiens Virginis noli de ea dubitare, noli existimare ratione ea, quæ non potest capere cogitatio. Vides ipsum Verbum modo ineffabili habitasse in eius vtero?* Fauent Andreas Cretensis de consideratione Virginis. Germanus Archiepiscopus Constantinopol. Suarez disp. 7. Baronius tom. 1. Canisius lib. 6. capit. 6. Petrus Morales libro primo tract. decimo num. 20. Gregorius Gallicanus in mariali quod si cibo regio vescebantur pueri (Danielis cap. 1.) qui in conspectu Regis astare debebant; quanto magis illa, quæ Angelorum Domino? Et si de alijs Sanctis, vt de S. Apoline, & de S. Onuphrio (scribit Palladius) contemplationi deditus ab Angelo quotidiano pabulo fuisse enutritos, quanto magis de Beatissima Virgine hoc credendum erit. Et cum Angelos aliquid vtilitatis ex Sacrosancto Incarnationis mysterio accepisse dicendum sit; par est vt dicamus eos vicissim tàm Sanctissimo Redemptori, quàm eius Sanctissimæ Matri ministrasse.

166 Confirmatur quia B. Virgo Maria S. Annæ mamillas spontè reliquerat, vt ad templum properaret Nicephorus lib. primo histor. cap. 7. Quod si vt habet S. Zeno sermone secundo de S. Abraham lac diuinitus S. Annæ est infusum; etiam in templo cibo ab Angelis parato: non enim erat deterioris conditionis ac Israelitæ in deserto, Vide Nouatum c. 3. quæst. 3.

167 Dico octauo cum D. Hieronymo libro de ortu B. V. quod cum Sanctus Ioachim, & Anna constituissent Beatissimam Virginem in vno exijs gradibus, vt se pararent, & cultioribus vestibus ornarent, ipsa Virgo Domini cunctos sigillatim gradus sine ducentis, & leuantis manu ita ascenderit, vt perfectæ ætati, in hac tàm tenera ętate nihil deesse putares, Iam quippè Dominus in Virginis suæ infantia magnum quid operabatur, & quanta futura esset huius miraculi indicio præmonstrabat. S. Antoninus 4. p. titulo 15. cap. 6. §. 2. ait, quod illa ijs gradibus Beatorum status 15. significabat; nempè nouem Angelorum 10. Patriarcharum 11. Prophetarum. 12. Apostolorum. 13. Martyrum. 14. Confessorum, 15. Virginum. Ex quo colligere potes ex tunc Beatissimam Virginem omnes dictos ordines gratia, & sanctitate superasse, & indicat quanta celeritate ad Religionem aduolandum ei, qui vocatur à Domino; iuxtà illud D. Hieronymi ad Paulinum. *Festina quæso, & hærentis in salo nauiculæ funem magis prescinde quàm solue.*

168 Petes quare in hac festiuitate legitur illud Euangelium Lucæ Beatus venter qui te portauit, & vbera, quæ suxisti?

Respondet Nouatus propter molta. Primò, quia in maternitate velut in ra-

in radice continentur innumerabiles excellentiæ.

Secundò, quia beati dicuntur ij, qui audiunt Verbum Dei, & custodiunt illud, quod profectò ipsam Virginem audisse constat.

Tertiò, vt ostenderetur ex tunc aliquo modo digna matrem extitisse; Vndè D. Petrus Chrysologus sermone 146. *Quomodò non antè conceptum Mater quæ post partum Virgo? Mater aut genitrix quando non, quæ sæculorum genuit auctorem.*

Quartò vt intelligeretur, vt ait Guillelmus in cap. 18. quod *Vbera Mariæ semper charitate turgent Dei, & proximi, murus ad protegendum, Mater ad nutriendum, murus infirmis Mater paruulis. Nullus me putet habere quo nutriam, & non habere quo muniam; Materna pietas mea quos nutrit, etiam munit.*

DISPVTATIO VI.

§. IX.

De Matrimonio Beatissimæ Virginis cum S. Patriarca Ioseph.

169 Dico primo cum S. Thoma tertia parte quæst. 29. artic. 2. Suarez disput. 7. sect. 2. Abulensi in caput primum S. Matthæi quæst. 32. & Petro Morales in cap. 1. S. Matthæi: Inter Beatissimam Virginem, & SS. Ioseph fuisse verum Matrimonium.

Probatur ex ijs locis in quibus B. V. M. dicitur coniux S. Ioseph: vt Matthæi cap. primo: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Lucæ cap. 2. *Cum Maria disponsata sibi vxore prægnante.*

Secundò probatur; quia Consensus est, qui facit Matrimonium C. cum locum de sponsf. c. in Matrim. 27. quęst. 2. in Reg. Nuptias ff. de Regulis Iuris. Concil. Tridentinum sess. 24. cap. 6.

170 Dico secundo quòd est opinio Sanchez tom. 1. de sponsf. disp. 28. Rebell. lib. 2. de Matrimonio quæst. 13. sect. 1. desumpta ex Origene non esse de fide quod dictum fuerit verum Matrimonium ex Can. Inuenta 27. quæst. 2. Canisius in Mariali libro primo cap. 5. vocat quæstionem arbitrariam, & sinè erroris periculo vnamquamque partem defendi posse. Henriquez libro 11. de Matrimonio cap. 15. num. primo. Medina libro 5. de Sacram. hominum contin. cap. 64. art. 71. multos SS. Patres affert fuisse sponsalia de futuro.

Tamen dicendum est opinionem negantem illud fuisse verum Matrimonium esse erroneam, & temerariam. Imò Suarez 3. parte dispur. septima sectione prima, & Petrus Morales in caput primum S. Matthæi tractatu tertio numero 8. volunt, quod sit de fide fuisse verum matrimonium.

171 Di-

171 Dico tertio. B. V. M. hac conditione siuè expressa, siuè tacita, & implicita, vt Virginitatem seruaret cum S. Ioseph Matrimonium iniisse, vel diuinitus præmonitos ambo sibi inuicem renuntiasse iuspetendi copulam.

Fauent Albertus Magnus lib. de Laudibus B. V. in 4. distinct. 30. cap. 2. & alij apud Rebellum lib. 2. de essentia Matrimonij quæst. 13. sect. 3.

172 Probatur quia pro certo tenetur eam emisisse votum; vndè non videtur dicendum, quod in eo fuerit dispensandum cum fuerit Deo gratissimum; & maximè conueniens puritati B. Virgini, vndè iustitia, & fidelitas videtur exegisse quod illud manifestaret suo Sponso, quem simile votum emisisse tenent Recentiores Theologi, præcipuè Petrus Morales in caput primum S. Matthæi lib. 2. tract. 6. conclus. 5 & sic ambo contraxisse cum tali conditione de non cognoscendo carnaliter.

173 Vndè non fuit quidem consensus in actualem obligationem copulæ maritalis; sed in aptitudinalem, sed radicalem, vt habet Rebellus loco citato sect. quinta num. 42. à quo non dissentiunt Suarez disp. 6. sect. 1. Sanchez lib. 2. de Matrimonij essentia disput. 28. nu. 4. Petrus Morales in cap. primum Matthæi lib. 2. tract. 7. n.8. Ratio est, quia matrimonium includit ex natura sua aliquam obligationem ad copulam nuptialem, quæ potentia semper est in Matrimonio, licèt posteà possit esse Matrimonium, & non obligare ad talem concubitum. Nam si duo ineant Matrimonium animo non consumandi; sed ingrediendi Religionem erit verum Matrimonium ratum ex C. cum locum de spons. 1. sufficiat cap. Matrim. 27. quæst. 2. sed in hoc casu nulla est actualis obligatio reddendi copulam, & Matrimonium adhuc durat, esto etiam non ingrediatur Religionem; sed mutuo consensu vouerent castitatem. Ergo, &c.

174 Non desunt tamen qui negent contractum Matrimonij sub expressa conditione ne teneantur contrahentes sibi reddere debitum nullum esse, eo quod vi contractus consensus implicitus in copulam excluditur. Sic D. Thomas in 4. distinct. 28. quæst. vnica art. 4. D. Bonauentura loco citato, & alij plures, quos sequitur Sanchez lib. 2. de Matrimonij essentia disp. 28. num. 3. 5. & confirmatur; sed magis anidet quod dictum est cum Rebello.

175 Pro maiori explicatione sciendum est, quod dupliciter potest intelligi (ex Sanchez loco citato) consensus implicitus ad copulam. Primo modo quantum est ex parte contractus, & hoc modo certum est requiri nam hic contractus intrinsecè ordinatur ad illam. Secundo modo ex parte contrahentis, & hoc modo non desideratur, imò licet haberent intentionem oppositam est verum Matrimonium; Vndè D. Thomas in 4. distinct. 30. quæst. 2. articulo primo q. 2. ad 3. ait: *Virgo implicitè consensit in copulam, & copula numquam fuit in proposito, erat enim à Deo certificata numquam subsequi debere*. Et ait Suarez, quod est intelligendus S. Augustinus capitulo B. Maria 27. quæst. 2. dum ait: *Beata Maria consensit in carnalem copulam non illam appetendo, sed diuinæ inspirationi in vtroque obediendo*. Sic S. Thomas 3. parte quæst. 29. articulo 2. dicit, non consentisse expressè, sed si Deo placeret, imò dicit P. Franciscus Suarez nec absolutè, nec sub conditione si Ioseph petiisset consentisse actu expresso in copulam, quia superuacaneus erat actus conditio-

tionalis, cum esset certa diuina Reuelatione S. Ioseph non petiturum.

176 Vndè non fuit consensus, & dissensus circa eamdem copulam, eam primo modo sumptam, vt aliqui obijciunt; nam fuit consensus in contractum Matrimonium aptè ad obligandum ad copulam, non tamen actu obligantis; imò in hoc secundo sensu fuit dissensus, quia certissima erat nunquam obligaturam ad actualem copulam, & hoc in diuina reuelatione, &c.

177 Dico quarto. Beatissimam Virginem ex Diuina Reuelatione contraxisse Matrimonium. Ita Hugo de S. Victore lib. de Virginitate B.V. Mariæ, S. Thom. Suarez tom. 2. in 3. partem disput. 7. sect. 1. §. dicendum. Petrus Morales in caput primum S. Matthæi lib. 2. tract. 2. num. 35. & 36. vndè grauissimi Auctores credunt, & recipiunt cum Nouato parte prima cap. 6. quæst. 4. successum illum quod habetur in libro S. Hieronymi de ortu Virginis, nempè cunctos de familia Dauid non coniugatos Virgas suas ex diuino oraculo attulisse ad Altare, & Virgam S. Ioseph floruisse, & in eius cacumine Spiritum Sanctum in Columbæ specie consedisse; quod ex picturis, & congruentijs redditur piè credendum, & ex Prophetia Isaiæ cap. 11. *Egredietur Virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini*. Vndè S. Hieronymus in epistola ad Marcellam tom. 1. ait *Vbi sit mentio ab Angelo de desponsatione Mariæ, & Iosephi nominatur Nazareth: Cur quæso hoc? nisi, vt indicetur florida desponsatio Iosephi cum Maria!*

178 Dico quinto. Fuisse diuinitus certam nullum ex Matrimonio periculum imminere suæ Virginitati. Nam si ab Angelo nunciante partum Filij Dei sciscitata est modum propter illud, quod hominem non nouerit, vndè non prius consentit, quàm periculum omne esset remotum: ergo non est credendum ipsam consentisse, vt fieret sponsa nisi diuinitus sciuisset nullum ad futurum periculum.

179 Dico sexto. Hoc Matrimonium fuisse celebratum ante Incarnationem quoad essentiam, ita communiter Theologi ex illo *Ad Virginem desponsatam viro*; nam vir significat Maritum. Probatur secundo. Quia ideò desponsata fuit ne aliquid mali de ea quis suspicaretur; sed non fuisset sufficienter prouisum si post Incarnationem fuisset celebratum Matrimonium; nam ante consuetum tempus accidisset partus. Ergo, &c.

Adde quod ly *desponsatam* est nomen commune tàm sponsalibus, quàm Matrimonio, & hic debet accipi pro eo quod iam esset Matrimonio tradita cum additur ly *viro*.

180 Dico septimo. Probabilem esse opinionem D. Ioannis Chrysostomi homil. 2. in S. Matthæum in opusculo imperfecto. Gregorij Nysseni oratione de Christi Domini Natiuitate. Epiphanij aduersus hæreses 78. S. Thomæ 3. parte quæst. 29. art. 2. ad tertium. Suarez in tertiam partem tomo 2. disput. 7. sect. 2. Beatam Virginem fuisse simul in eadem domo tempore Incarnationis Dominicæ, & hoc propter rationem allatam resolutione præcedenti, quæ est D. Thomæ loco citato: quia non esset sufficienter prouisum nam sicut conceptio domi habita censetur ex Marito, sic, quæ extrà domum est suspecta.

181 Obijcies cum Caietano in dictum locum D. Thomæ; ex illo: *Noli ti-*

li timere accipere Mariam coniugem tuam; & cum Abulensi in Matthæum quæst. 33. illis verbis: *Nolebat eam traducere*, videtur significari nondum fuisse ambo in eadem domo. Ergo, &c.

Respond. ad primum quod idem erat dicere *Noli timere accipere*, ac dicere *Noli eam dimittere*, seu recedere ab eius cohabitatione.

Ad secundum Respond. Quod *traducere* idem est ac *infamare* ex verbo quod correspondit ei texto Græco habet Παραδειγματίσαι, vt notat Suarez, quam infamiam non ei afferebat eam relinquendo, sicut nec attulit S. Alexius relinquendo suam.

182 Dico octauo. Probabile videri Virginem Sanctissimam Matrimonio iunctam paulo post inceptum 14. annum. Ita Nicephorus lib. 2. cap. 3. qui addit, quod post quatuor menses fuit annunciata. Illum sequuntur Suarez disp. 7. sect. 3. Petrus Morales lib. 2. in caput primum tract. 4. sed in numero decimo inclinat in sententiam S. Augustini libro de mirabilibus Sacræ Scripturę, affirmantis Virginem Sanctissimam fuisse duodecim annorum cùm Matrimonium contraxit. Balduinus Iunior in suis Chron. ætate quinta mūdi pagina 72. impressis Coloniæ vult, quod attigerit annum quintumdecimum.

183 Dico nono cum D. Thoma 3. parte quæst. 29. art. 1. ob plures rationes Sanctissimam Virginem fuisse Matrimonio iunctam; ex duplici capite: ex parte Christi, ex parte ipsius Virginis; & ex parte nostra.

184 Ex parte Christi. Primò, ne Christus Dominus à Iudæis tanquam illegitimus reciperetur.

Secundò. Vt generationis ordo texeretur quod apud Hebræos debebat fieri per viros, & sic ostenderetur Christus esse ex semine Dauid.

Tertio pro tutela Christi Domini; vndè S. Ignatius addit fuisse dispositum, vt partus eius celaretur Diabolo. Hanc rationem non recipit Scotus in 4. distinct. 30. quæst. 2. quem sequitur Tostatus quæst. 3. in caput primum Matthæi; Quia generatio, & integritas sunt res corporeę, quas Angelus potest euidenter cognoscere, vndè potuit Dæmon agnoscere, non habuisse copulam, & post partum Virginale claustrum illibatum permansisse.

Respondet tamen Suarez in comment. dict. quæst. 29. cum eodem D. Thoma loco citato ad tertium, & cum D. Augustino lib. 2. de Trinitate multa posse Angelum, & Dæmonem virtute naturali, à quibus tamen prohibetur virtute diuina; vndè Deus poterat prohibere illum; & de facto prohibuisse credendum est, ne prædicta agnosceret.

Quarta ratio esse potest, vt Christus Dominus nutriretur à S. Ioseph.

Quintò, vt in Ægyptum proficiscens, eum tàm ipse, quàm Sanctissima Mater haberent fidelissimum Socium.

185 Ex parte Virginis. Primò, nè lapidaretur, vt adultera.

Secundò, vt ab infamia liberaretur.

Tertiò, vt Sanctus Ioseph illam iuuaret in suo ministerio.

186 Ex parte nostra, vt S. Ioseph testimonio eius Virginitas innotesceret, & probaretur Christum Dominum de Virgine natum.

Secundò. Quia verba B. V. de Virginitate sua magis credibilia redderentur.

Tertiò, vt Virgines discerent quàm cautè famam seruare debeant.

Quar-

Quartò, vt significaretur spirituale Matrimonium inter Christum, & Ecclesiam.

Quintò, vt in persona Virginis Matrimonium, & Virginitas honorarentur.

187 Circa illam particulam *ne lapidaretur* sciendum est quod non solùm erat pęna statuta adulterio; sed etiam Virgini in domo patris inuentæ grauidæ; vnde Deuteronomij cap. 22. *Si non in puella inuenta virginitas lapidibus obruent illam viri Ciuitatis illius.*

188 Nouatus hìc non approbat rationem D. Thomæ dicentis, quod lapidatio præcauenda erat, quia erat de stirpe Aaron, *Vndè cognata Elisabeth, &c.* Lucæ cap. 1. Et Leuitici cap. 21. *Sacerdotis filia si deprahensa fuerit in stupro, & violauerit nomen Patris sui flammis exuretur*; nam solùm ex parte Matris erat descendens de stirpe Aaron, at lex pęnalis non extenditur ob solam similitudinem rationis. Glossæ in cap. in pęnis 49. de Regul. Iuris in 6. Vbi habetur; quod de pęnis non arguimus ad similia, quia pœnæ non excedunt proprium casum. Castro lib. primo de lege pęnali cap. 7. doct. 3. Antonius de Butrio cap. vltimo de cons. num. 57. & 58. Molina tract. 2. de Iust. disput. 176. §. 4.

189 Addi potest ex Nouato, quod ideò coniugata, quia sicut ex Adam, & Eua per fructum mortis perditio nostra, sic ex Sanctissimo Ioseph Patriarca, & Beatissima Virgine Deipara per fructum vitæ reparatio nostra fuit.

Secundò, vt Beatissima Virgo haberet quomodo in externa gubernatione exerceret obedientiam, & humilitatem; nam in cognitione mysteriorum Dei, & priuilegijs gratiæ non fuit subiecta S. Ioseph.

Tertiò, vt non solùm Virginibus; sed etiam coniugatis perfectam normam præscriberet.

DISPVTATIO VII.

§. X.

De Annunciatione Angelica.

190 Posito quod vera sit supputatio Abulensis in caput secundum S. Matthæi de Annis à Creatione mundi, dicendum est Angelicam Salutationem accidisse Anno MCMLXXI. Et secundùm Martyrologium Romanum dicendum est accidisse Anno 5198. Quoad diem verò.

191 Dico primo accidisse octauo Kalendas Aprilis. Ita Eugenius IV. in decret. fidei post vltimam sessionem Concilij Florentini ponit Dominicæ Incarnationis mysterium. Athanasius lib. quæst. ad Antiochum quæst. 17. Et tali die mundus creditur conditus Baronius in apparatu num. 76. Bald. Iun. ætat. 5. mundi, & hoc circa mediam noctem: Vndè B. Simon de Cassia scribit: *In Conclaui erat*

Virgo, eam vigilantem inuenit Angelus deditam lectioni, aut orationi vacantem; nox apprehendebatur ex medio, nec adhùc tenella virgo sua membra in quiete collegerat. Alij plutes quos sequuntur Suarez disput. 9. sect. 5. Baradius tom. 1. lib. 7. cap. 6.

192 Primò videtur etiam hoc innui ex illo Sapientiæ cap. 18. Dum medium silentium tenerent omnia.

Secundo Quia Exodi cap. 12. tali hora per Angelum exercuerat Deus iustitiam: Ergo par erat, vt tali hora per Filium exerceret misericordiam.

Tertio Quia tali tempore Christus Dominus natus est; Ergo si nouem integri menses supputandi sunt à media nocte dicti diei, &c.

193 Verum tamen est, quod Albertus Magnus super *Missus est*. D. Antoninus quarta parte summæ titulo 15. cap. 9. & alij dicunt quod fuerit primo mane, quia manna eo tempore descendebat. D. Bonauentura videtur sentire circa initium noctis accidisse Salutationem Angelicam, & media nocte peractum mysterium; tamen non assentitur Nouatus, quia arbitratur non decurrisse tantum temporis à Salutatione ad Incarnationem Dominicam: & licèt B. Bonauentura asserat se à summo Pontifice obtinuisse vt eo tempore pulsaretur Salutatio Angelica. Respondet idem Auctor quod idcircò fuit, quia media nocte homines somno sunt dediti: Verumtamen mihi semper placuit opinio D. Bonauenturæ.

194 Dico secundo locum fuisse Ciuitatem Nazareth, Domum verò eam, quæ modo dicitur Lauretana quæ Angelorum ministerio, primò Illyricum, secundò in Italiam translata fuit. Vide Canisium libro quinto de Deipara cap. 5. de qua Tursellinus his verbis scribit: *Tantam Deus mortalium animis inspirauit ædis Lauretanæ Religionem, vt quicumque ad Lauretanam ædem accedunt, non tàm ad ædem Virginis, quàm ad ipsam Virginem sibi adire videantur. Et sanè hìc Deus, Deique mater miro quodam modo præsentiam suam declarant. Hinc diuinus ille honor omnium pectoribus incutitur ad Sacrosanctæ domus ingressum. Hinc illud adeuntibus inspicitur eius reuisendæ desiderium. Hinc nobilis illa perditarum, profligaturumque mentium in diuersa mutatio. Quæ quidem perpetua ædis Lauretanæ miracula ita euidentia sunt, vt etsi deessent alta, quibus abundat cunctis facerent diuinæ Præsentiæ fidem.* Et quod etiam singulare notat Nouatus quod qui eam inuisisset semper nouo eam reuisendi desiderio inflammatur.

195 Est difficultas an hæc sit illa in qua etiam post reditum ab Ægypto Redemptor noster commoratus est. Nouatus ex Beda libro de locis Sanctis notat esse alteram in media Ciuitate in qua Christus infans post reditum nutritus est.

196 Dico Tertio Valdè conueniens fuisse, vt potius Angelus, quàm homo ad annunciandam B. Virginem mitteretur. D. Thomas 3. parte quæst. 10. art. 2. in corpore.

Probatur, vt omnis quæcumque etiam leuissima suspicio contra Virginis honestatem tolleretur. Fauet S. Bernardus dicens: Credo quod Angelus ad eam mittitur, ne vlli hominum ad eam pateret accessus.

Secundò, vt ostenderetur tantum esse dignitatem Matris Dei, vt non alia solùm ipsa, sed etiam nuncius immunis ab omni culpa originali, & actuali esse deberet, iuxtà illud: *Domus Cæsaris debet esse immunis non solùm à culpa; sed etiam à suspicione*: Sic Greg. Neoc. serm. 3.

Tertiò, vt palam fieret quod etiam in bo-

in bonum Angelorum erat Incarnationis Mysterium.

Quartò, si Angelus ad lapsum Euæ concurrit, Angelum bonum ad reparationem mundi cooperari decens erat. Beda hom. super caput primum Lucæ,& Tertullianus de carne Christi.

197 Dico Quartò Angelum visione corporali apparuisse. Ita S. Augustinus serm. 14. de Natiuitate antè medium, habetur tomo decimo. S. Hieronymus tomo 1. Epistola septima ad Lætam,& 22. ad Eustochium. S. Ambrosius libro primo de officijs cap. 8. & libro primo in Lucam. Origenes homil. 4. in Lucam.

Probatur Primò, quia ly *Ingressus* significat ingressum corporalem, & discessum.

Secundò ex illa collocutione quam sensibilem fuisse innuit. Quod ex D. Thoma 3. parte quæst. 30. artic. 3. est factum, quia Deus, qui erat inuisibilis per Mysterium, quod nunciabatur fiebat visibilis. Secundò quia sicut non solùm mense, sed etiam ventre Sanctissimo Deum concipiebat; sic non solùm eius mens; sed etiam oculi erant cælitùs recreandi. Tertiò propter certitudinem ortam etiam à sensibus. Quartò, ex Nouato, quia sic communis vtilitas tàm hominum, quàm Angelorum declarabatur. Quinto, vt maximum Charitatis exindè vinculum futurum inter homines, & Angelos monstraretur.

198 Dico Quinto Valdè probabile esse Gabrielem, qui ad Beatissimam Virginem missus est, fuisse vnum è supremis seraphim.

Probatur primo ex D. Ioanne Damasceno serm. de Dormitione Deiparæ, qui ait: *Clamamus cum Gabriele (qui primum locum obtinet inter Angelos) Aue gratia plena Dominus tecum*. Sic, & Salmer. tom. 3. tract, 3. in Euang. Hist. vbi citat etiam Andream Hierosolymit. qui serm. de Salutatione Angelica vocat eum vnum ex præcipuis Angelis, & qui primum locum obtinet inter Angelos, & Cedrenum qui in compendio historico eum appellat principem Angelorum.

199 Probatur secundo, quia ad Virginem amantissimam,& ardentissimam in amore Dei mittitur ad nunciandum summum diuini Amoris erga nos mysterium.

Tertio, quia Regem decet in solemnitate nuptiali mittere nō quemlibet Illustrissimum; sed Principem. Quartò, quia si Isaiæ cap. 6. ad purganda eius labia dicitur missus Seraphim, multo magis ad Beatissimam Virginem.

200 Obijcies Diuus Dionysius negat fuisse è supremis Spiritibus; sed ex deputatis ad porrigendas ei illuminationes, vel missum à Seraphim. Suarez sect. 6. de Angelis,& 10.

Respond. Ideo ibi negare, quia spectat ad communem prouidentiam illuminare Prophetam, sed ad annunciandum altissimum Mysterium ad Virginem Sanctitate superiorem omnes Seraphim dicebat quod ipsi Seraphim venirent legati, & non mitterentur inferiores Spiritus.

201 Dices esse valdè probabile, quia D. Thomas 3. parte quæst. 30. articulo 2. ad quartum ait traductione esse quod sit supremus in ordine Arcangelorum,quam sequuntur Suarez tom. 2. in 3. partem disput. 9. sect. 1. & tom. de Angelis lib. 6.& cap. 10. numero 30.& 46. Granat. in primam partem tom. 3. tract. 16. disput. 4. num. 10.

Primò, quia ab Ecclesia vocatur Archangelus; sed Respond. etiam

Michaelem, qui communiter dicitur Seraphim appellari Archangelum. Secundo quia si ob magnitudinem Mysterij erat mittendus Michael, qui communiter à Serrario in cap. 5. Iosue quæst. 45. à Terra in caput primum ad Hebræos diffic. vlt. sect. 5. & à Cosmo Magaliano in Cant. Moysi sect. 3. annotat. 4. dicitur Princeps omnium Angelorum.

Respond. (quod etiam notat Suarez lib. 6. de Angelis cap. 10. numero 26.) posse esse in eodem choro plures Spiritus æquales, vndè forte Gabriel, & Michael in choro Seraphim sunt æquales.

202 Nec est impossibile quod mittatur Seraphim; nam vt habetur Matthæi cap. 25. venient cum Christo Domino ad iudicium, *& omnes Angeli eius cum eo.* Et venisse ad Ascensionem Domini dicendum est cum Act. Apostol. cap. primo habeatur; *Sic veniet quemadmodum vidistis eum ascendentem in cælum.*

203 Notandum etiam ex Nouato non esse credibile fuisse eumdem Gabrielem, qui Danielis capite 8. 9. & 10. fuit missus, nam ex Magistro in 2. distinct. 10. nomen Michaelis vel Gabrielis non est vnius singulariter determinati.

204 Dico Sexto cum Suarez tomo 2. in tertiam partem disput. 9. sect. 2. Athanasio lib. quæst. quæst. 12. (Si tamen liber est Athanasii) & Nouato prima parte cap. 7. quæst. septima Beatissimam Virginem vidisse essentiam Gabrielis Archangeli dum ei apparuit.

205 Probatur Primo, quia perfectior erat in cognitione, quàm antiqui Prophetæ. Secundo, quia Regina Angelorum, & hoc erat tempus conuenientissimum. Tertio quia habuit scientiam infusam, qua poterat talia cognoscere. Quarto, quia ait Idiota lib. 6. Sanctorum: *Omnia priuilegia ò Virgo habuisti in te congesta.*

206 In contrarium est D. Thomas 3. parte quæstione 30. articulo secundo. Quia ait, quod hoc non patitur status viatoris.

Respond. etiam quod scientia infusa independens à phantasmatibus est supra statum viatorum, & tamen B. Virgini Mariæ conceditur, & ex eodem S. Doctore est supra statum viatoris videre diuinam essentiam, & tamen admittitur ab eodem Moysem, & S. Paulum vidisse per transitum ex priuilegio.

207 Obijcies Secundo cum S. Ambrosio lib. primo offic. cap. 18. *Turbata est* B. Virgo ad præsentiam Gabrielis; ergo non cognouit eius essentiam.

Respond. Prima fronte non cognouisse, sed posteà.

208 Dico Septimo ob tria potissimùm Angelum præmisisse laudes B. Virginis Mariæ. Primò ex D. Thoma loco citato artic. 4. vt eam attentam redderet, quia: *Animo humili* (ait) *Nihil admirabilius, quàm auditus suæ excellentiæ admirationem autem attentam causat.* Secundò, vt ad fidem, & assensum tanto Mysterio præstandum redderet, ad hoc enim cognoscere potuit illi concessa dicta priuilegia. Tertiò, quia heroicæ humilitatis est in honoribus se humiliare, vndè D. Bernardus homilia quarta super missus est: *Non magnum* (ait) *est esse humilem in abiectione, magna profectò, & rara humilitas honorata.* Et Tertullianus in Apologet. ait: quod Triumphant. suggereb. à tergo. *Respice post te, hominem memento te.*

209 Dico Octauo vocem græcam Χαῖρε, idest, *Proaue* vel gaude ab Angelo gratulabundo, primùm, in signum

gnum lætitiæ prolatam; Ita Andreas Episcopus Hierosolymit. sermone de Annunciatione; & Titus Bostrensis in Lucam. Secundùm, fuisse vocem affirmantis vndè S. Augustinus sermone de Natiuitate, ait, *Hæc vox Aue in hoc loco non est vox imperantis; sed annuntiantis, & exhortantis ad gaudium, & lætitiam.* Ita D. Ambrosius homil. de humanitate Christi generatione. Vndè S. Bernardinus Senensis Tomo V. Serm. 12. artic. 1. cap. primo; *Aue*, ait, *Beata Virgo sinè prima væ, idest, sine macula peccati originalis, quia sine eo concepta est.* Sic, & D. Bonauentura in speculo B. Virginis cap. 2. *Triplex est væ à quo immunissima fuit Maria, væ culpæ actualis, væ miseriæ originalis, & væ pœnæ gehennalis.* Sic, & D. Thomas in explicatione Salutationis Angelicæ, & B. Albertus Magnus lib. de Laudibus Virginis, & salut. Angel. D. Antoninus 4. parte titulo 15. cap. 2. §. 4. S. Gregorius Thaumat. sermone de Annunc. Pelbartus in Stellario. lib. primo artic. 2. Cum ista salutatio sit totius salutis inchoatio, quæ primo, & principaliter per se Beatissimæ nũciatur Virgini, & in ea, & per eam toti generi humano destinatur rectè incipit ab Aue, initium quidem Beatitudinis est, remotio miseriæ, quod notat Aue, quasi sine væ, vndè:

Porta salutis Aue, per quam datur exitus à væ.

In signum etiam obsequij, & seruitutis profertur; vnde Sophronius sermone de Annunciatione Angelica; *Se namque venisse*, ait, *ad annunciandum dominam esse omnium eam constitutam.*

210 Dico Nono quod cum Virgo appellatur *gratia plena*; indicantur sequentia.

Primò fuisse gratia gratum faciente cumulatam, est communis PP. apud Canisium lib. 3. cap. 4. quia gratia in sacris paginis, & Concil. primo significat gratiam gratum facientem.

Secundò quia erat cumulata virtutibus Theologicis, & Cardinalibus, cum omnibus partibus, seu speciebus eiusdem ordinis cum ipsa gratia, ac propterea supernaturalibus, & per se infusis quæ dantur liberi simul cum gratia ex Suarez tom. 3. de Gratia lib. 6. cap. 4. 5. 6. 7. & 8. Probatur ex Vincentio Regio in Euangelicis dilucidationibus lib. primo cap. 5. Theorem. 3. vbi habet hanc vocem Κεχαριτωμένη, quæ habetur in textu Græco esse participium quod significat, *omni gratia donatam*. Sic, & Patres præcipuè S. Athanas. tom. 3. sermone de S. Deipara ait: *Qua de causa factum est, vt gratia plena appellata sis, vtpotè, quæ omni gratia abundares.*

211 Tertio fuisse donis omnibus Spiritus Sancti locupletissimam, quæ, ex D. Thoma prima secundæ quæst. 69. S. Bonauentura, Ricardo in 3. distinct. 24. Et Henrico quodlibeto quarto quæst. 23. differunt à virtutibus, quod licet istæ in lata significatione possint dici etiam dona Spiritus Sancti, iuxtà illud Iacobi: *Omne datum optimum, &c.* Nihilominus in propria & expressa significatione nomen virtutis significat habitum per quem homo honeste operatur bonum, quasi ex propria motione & ordinario modo operaretur; sed nomen Doni significat habitum per quem homo redditur bene mobilis à Spiritu Sancto ipsum speciali ac singulari modo ad sanctè, & egregiè operandum inclinante.

212 Quæ dona ex SS. PP. constat fuisse in Beatissima Virgine altissimo modo. Ex D. Bernardino Senensi tom.

tom. 3. serm. 11. artic. 1. cap. 1. *In Virgine beata nullum fuit omnino retardatiuum; proindè rota volubilis fuit secundùm omnem Spiritus Sancti nutum*. Et serm. 11. artic. 2. cap. 3. *Spiritus Sanctus occurrit Virgini Gloriosæ eam recognoscens fornacem sui amoris, & officinam suæ stupendæ operationis, in qua, & de qua fabrefactum est corpus mundissimum filio suo.* (Infra) *Spiritus Sanctus ostendit electis expressè, quod in hoc officina, idest, in Beata Virgine, & per eam fabrefecit quidquid in gratia mirificum operatur, & quod in hac totum ignem operationis reclusit, quem nunquam dare disposuit creaturæ vniuersali*. Vnde, & Arnoldus Carnotensis de Laudibus B. V. *Eam officinam Spiritus Sancti appellat*, & Abbas Cellensis libro de panibus cap. 12. *Quia simul collata gratiæ plenitudo nullatenus creatura humana capacitate potest apprehendi, in quatuor capita dicitur diuidi: priuilegio tamen Filij sui supra totius creaturæ meritum Mater, Dei aspersione Spiritus Sancti tota deitatis gratia est superfusa*: Et S. Athanasius tom. 3. serm. de S. Deipara: *Ita quoque Spiritus in Virginem descendit cum omnibus suis essentialibus virtutibus imbuens eam gratia, vt in omnibus esset gratiosa, atque idcircò gratia plena cognominata est, eo quod adimpletione Spiritus Sancti omnibus gratijs abundaret*. Et Greg. Neocæsar. *Maria sic gratia plena dicitur, ex eo quod in illa Virgine totius gratiæ Thesaurus reconderetur*.

213 Quarto etiam gratijs datis repletam fuisse ostendunt rationes, & Auctoritates prædictæ. Quinto etiam innumeris priuilegiis; nam gratia sonat etiam Priuilegium. Vnde Glossa per litt. Verb. diret. de præb. Hinc S. Antoninus quarta parte titulo 15. *Priuilegia principum sunt latè interpretanda; cum ergo Dominus in priuilegio suo, quod ei mittit per Angelum dicat, gratia plena, nullam specificando, erit pro omnibus interpretandum*. Et quarta parte huius tituli 5. cap. 2. §. 15. Quod repleatur plena. Primò: quia omnes gratias generales, & speciales habuit. Secūdo, quia illas gratias habuit à quibus omnis creatura vacua fuit. Tertio, quia sua gratia tanta fuit quod pura creatura maioris gratiæ capax non fuit. Quarto, quia etiam gratiam increatam, idest, Deum in se tota continuit. Fauet dictio hebræa *Thaibuta*, quæ idem sonat, ac aggregatio gratiarum. Vide Salaz. de Conc. cap. 39. num. 7. plura afferentem.

214 Hinc colligitur immunitas Beatissimæ Virginis à peccato Originali; Vnde in Tractatu Thesiphonis discipuli S. Iacobi Maioris, qui repertus est in S. Monte Granatensi habetur: *Nunquam Angelus diceret Aue gratia plena si in originali peccato fuisset concepta*.

215 Sexto dicitur *Gratia plena*, quia initium gratiæ, ac Beatitudinis in humanum genus per ipsam transferendæ nunciabatur. Iuxtà illud Eccles. cap. 24. *In me omnis gratia viæ, & veritatis, in me omnis Spiritus vitæ, & virtutis*. Ita etiam Pelbartus in suo stellario lib. 1. p. 5. art. 5. & B. Albertus Magnus super missus est cap. 68.

216 Dico decimo *Dominus tecum* per modum affirmantis dici ab Angelo propter sequentia.

Primò per potentiam: Vndè S. Hieronymus habet: *Quod natura non potuit, ratio ignorauit, vsus nesciuit, hoc Deus stupendo miraculo in Maria opere compleuit, vt videlicet Deus fieret homo, & Mater esset Virgo*. D. Bonauentura in spec. cap. 8. Arnoldus Carnotensis de Laudibus Mariæ: *Nec à dominatione vel potentia filij Mater potest esse seiuncta; Vndè si ei non potuit committere potentiam, vtpote quæ est attributum essentiale voluit tamen sociam suorum operum*. Hinc Prouer-

uerbiorum cap. 8. *Cum eo eram cuncta componens*. Et si in quatuor potissimum, vtpotè quæ quamdam infinitatem participant maximè ostenditur diuina potentia nempe in visione Beatifica, vnione hypostatica, in maternitate Dei ex D. Thoma prima parte quæst. 25. artic. 6. ad quartum. Et in Sacerdotio quod consecrat, & offert rem infiniti valoris, hæc omnia fuerunt peracta in Vtero Virgineo, vt consideranti patet.

217 Secundò, Altissimo, & perfectissimo modo, vndè Damianus sermone primo de Natiuitate. *Inest vni creatura videlicet Maria Virgini idemtitate quia idem est, quod illa*: Hic taceat, & contremiscat omnis creatura, & vix audeat aspicere tãtæ dignitatis, & dignitatis immensitatem. S. Augustinus sermone de Natiuitate. *Dominus tecum magis quàm mecum: ipse enim in tuo est corde, in tuo est vtero; adimplet mentem, adimplet ventrem.* Arnold. Carnot. tr. de Laud. Virginis: *Vnitas diuisionem non recipit, nec secatur in partes, & licet ex duobus factum sit vnum, illud tamen vltrà scindi non potest, & Filij gloriam cum Matre, non tàm iudico communem, quàm eamdem*. D. Thomas opusculo 8. *Dominus Pater cum eodem Filio, Deus Filius in vtero, Dominus Spiritus Sanctus sicut in templo; Sic ergo familiarior est cum Deo Virgo quàm Angelus, quia cum ipsa Dominus Pater Dominus Filius Dominus Spiritus Sanctus, scilicet tota Trinitas; vnde cantatur de ea totius Trinitatis nobile Triclinium*. Similia habet S. Bernardus homilia 3. super missus est.

218 Tertiò, certum est esse etiam per essentiam, 2. per præsentiam 3. per potentiam, 4. per gratiam, 5. aliquo modo per vnionem hypostaticam saltem mediatè, & quia in vtero eius peracta, & quia aliquid de substantia Virginis nunc manet hypostaticè vnitum, 6. per particularem assistentiam, & gubernationem; Vndè S. Ioannes Damascenus oratione de Natiuitate ait: *O diuinum, ac viuum mundi simulachrum, ad quod opifex Deus inuentus est mentem, quidem diuinitùs gubernatam habens*. Septimo etiam, vt in aula Regia, & cælesti manifestando suam gloriam, primò quidem ipsi animæ Christi Domini, qui fuit simul viator, & comprehensor, secundò etiam ipsi animæ Beatissimæ Virginis.

219 Communis ergo modus reperiendi dominum est illum quærere cum Virgine S. Lucæ cap. 2. *Et venerunt festinantes, & inuenerunt Mariam, & Ioseph, & Infantem positum in præsepio*. Et S. Matthæi cap. 2. *Intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria Matre eius*: Idcircò dicitur: *Innixa super dilectum suum*.

220 Dico vndecimo Beatissimam Virginem nominari ab Angelo *Benedictam in mulieribus*.

Primo ob singularem, & SS. fecunditatem, vndè D. Bernardus sermone 3. de Annunciatione ait: *Tu singulorum consecuta es benedictionem, vt nec sterilis maneas, nec cum dolore parturias*. Ita etiam S. Petrus Chrysologus serm. 23. & alij apud Salaz. de Conc. cap. 39. §. 4 num. 19. sterilitas enim pro maledictione habetur.

221 Secundo, quia omnium benedictionum genere fuit repleta: Vndè S. Augustinus serm. de Annunciatione *Maledictio Eua in benedictionem mutatur Maria*. Sophronius serm. de Assumpt. *Benedicta tu in mulieribus, idest, plus benedicta, quàm omnes mulieres: ac per hoc quidquid est infusum maledictionis per Euam, totum abstulit benedictio Maria*. Et Hidelphonsus serm. primo de Assumpt. *Hæc est per quam maledictio soluta*

ta

ta est primorum parentum, & cælestis benedictio in toto cuncto mundo data fuit. Vide Pelbartum in stellario lib. primo parte 5. artic. 2.

222 Tertio, omnem excellentiam, & Sanctitatem fuisse in Virgine quæ conueniens erat Matri Dei. Vndè Salazarus loco citato colligit liberationem à miserijs, & præcipuè à peccato originali ex prædictis verbis. Hinc.

223 Dico duodecimo Salutationem Angelicam à nobis deuotè prolatam magno esse gratiæ emolumento. Ità D. Bonauentura in spec. cap. 4. ait: *Libenter nos salutat cum gratia, si libenter eam salutamus Cum Aue Maria.* Sic, *& Angelus*, ait S. Laurentius Iustinianus, *persensit Gratia plenitudinem, qua in Maria erat.* Vndè, & B. Alanus lib. de Psalt. B. V. M. cap. 69. scribit de Moniali, quæ deuotæ sorori apparuit, & dixit; *Si possem redire ad corpus, & vnum dumtaxat Aue Maria orando dicere, etsi sine magna deuotione; ego propter meritum illius vellem tantum rursus sustinere cruciatum, quantum ante mortem perpessa tuli.* Et D. Ansel. libro Mirac. cap. 17. dicit quod baculus peregrini à latronibus occisi, qui quotidie pluries deuotè recitabat Salutationem Angelicam, apud eum plantatus inuentus est in ore eius radices iecisse, & frondes protulisse cum inscriptione *Aue Maria.* Imò B. Alanus loco citato cap. 11. inquit: *Scias enim, & securè intelligas, quod, & indè latè omnibus patefacias quod videlicet signum reprobationis est, & propinquum æternæ damnationis horrere, & attediari, ac negligere Salutationem Angelicam totius mundi reparatiuam.*

224 Dico XIII. Virginis turbationem non impedisse eius altissimā contemplationem, sic D. Bernardus homil. 3. super missus est: *Turbata est; sed non perturbata.* Addit D. Bernardus ibidem *Turbatam esse, quia nesciebat an bonus, vel malus Angelus esset.* S. Ioannes Damascenus orat. prima de B. Mariæ Natiuit. Quia comparata erat vt ad se nullus viri pateret accessus. S. Hieronymus Epistola 6. ad Lætam, & S. Ambrosius libro 2. in Lucam idem habet.

225 Sed quidquid sit de his expositionibus, credo turbatam esse ob maximam laudis excellentiam qua celebrata fuit ab Angelo. Sic origenes libro 6. in Lucam. *Timorem ei incussit nimia salutationis praexcellentia, & præstantia ob timorem filialem; nam vt ait ille:*

Res est solliciti plena timoris Amor.

Fauet S. Petrus Chrysologus sermone de Annunciatione, qui est in numero 140. sic fatus. *Turbatur, quia venerat Angelus Blandus in specie, fortis in bello, mitis in habitu, in sermone terribilis, humana proferens, diuina repromittens. Vndè, & Virginem, quam leuiter visus sollicitauerat, nimium turbauit auditus: & quam nussi præsentia parum mouerat, concussio toto pondere mittentis authoritas. Et quid plura? Mox sensit in se supernum suscipi Iudicem, vbi ante iam cælestem vidit, & contemplata est mediatorem.*

226 Obijcies sciuit se in gratia confirmatam: Ergo non potuit timere incursum ingratitudinis.

Respond. Quod est incertam an sciuerit hoc; sed dato, quod sciuerit quemadmodum admittitur in Beatis quidam timor filialis detestans quodlibet peccatum possibile in sua natura, vt habet Suarez tract. 2. de Fide, spe, & Charitate disput. 1. sect. 4. numero 20. sic & B. Virgo Maria potuit elicere actum timoris fugæ, & detestationis ingratitudinis possibilis.

227 Dico Quarto decimo, Cogitas-

tasse qualis esset illa salutatio; quia si dubitauit, vt ait S. Bernardus loco citato, An bonus, vel malus Angelus esset, dono discretionis, quo erat prædita perpendit qualis esset salutatio: Ita Vincentius Reg. in Eluc. lib. primo cap. 5. Theorem. 5. numero 3. an scilicet adulationis insidiæ laterent; si vero agnouit esse bonum spiritum, quia prudentissima attentè considerauit circumstantias rei, & Personæ loquentis; quod est signum prudentiæ, ex D. Thoma prima secundæ quæst. 57. & quo tendebat, quod innuit illud verbum subsequens *Ecce* & quomodò posset respondere tot gratijs, quibus ab Angelo salutabatur.

228 Dico Quinto decimo idcircò Angelum dixisse quod inuenerat gratiam apud Deum (*inuenisti gratiam apud Deum*) propter sequentia.

Primo, cum Andrea Hierosol. quia nacta est gratiam apud Deum quam Eua perdiderat.

Secundò, quia inuenit gratiam præseruationis ab originali, quam nullus mortalium post peccatum inuenerat, vndè Idiota lib. de Contemplat. cap. 6. *Inuenisti Virgo Maria gratiam cælestem, quia fuerunt in te ab originis labe præseruatio, Angelica salutatio, Spiritus Sancti prauentio, & filij Dei conceptio*.

Tertio, quia inuenit gratiam maternitatis Lorinus in cap. 7. Act. Apostolorum vers. 46. Salmeron tomo 3. tract. 6.

229 Quarto, Hominum salutem. D. Bernardus sermone 2. de Annunciat. Dei, & hominum, ait, pacem mortisque destructionem, ac vitæ reparationem; hæc est gratia, quam inuenisti apud Deum: Sic, & Richardus à S. Victore cap. 26. in Cantic. *Charitatem Virginis non solum ad Iudæos, sed etiam ad omnes homines dilatatam fuisse, & pro his indesinenter orasse, & orando exauditam fuisse, dicente Angelo: Inuenisti gratiam apud Deum, quam quærebat, nam si prius plena gratia inuenit postea gratiam, aliquam aliam gratiam profectò indicat*; vndè per ly *Gratia plena* Significatur prima gratia à Deo Virgini infusa in primo Conceptionis momento; & per ly: *Inuenisti gratiam*, significatur eximia gratia, quam Virgo postea promeruit ex auxilijs gratiæ quibus cooperabatur. Probatur ex Verborum ethimologia nam *reperio* est casu rem aliquam ad nos peruenire, *Inuenire* verò est rem aliquam diu quæsitam tandem habere: vnde S. Bonauentura in Medit. Vitæ Christi cap. 3 *Nullam gratiam, nullum donum, vel virtutem habuit Virgo Sanctissima à Deo sine magno labore, continua oratione, ardenti desiderio, profunda deuotione, multis lacrymis, & multa afflictione, excepta gratia, qua primum in vtero fuit sanctificata*. Quod potest intelligi de augmento donorum, & virtutum propter dicta superius de instanti Conceptionis.

230 Quarto, Inuenit gratiam, quam creaturæ rationales omnes perdiderunt, vt Ecclesiastici cap. 24. *In me omnis gratia viæ, & veritatis*. Ratio esse potest, quia Deus est propensissimus ad commodandam gratiam, vbi non inuenit obicem; Sed in alijs creaturis, aut obicem, aut exiguam respectu Virginis inuenit capacitatem; ergo versus eam fluenta gratiæ pleno decursu irruerunt.

231 Hinc meritò agnoscunt Sancti in ea infinitum quid gratiarum. Vndè primò. S. Ioannes Damascenus oratione prima de dormitione Virginis ait: *Virginis Dei Matris, & seruorum Dei infinitum est discrimen, & gratiæ abyssus*. Secundò, D. Anselmus de Excellentia Virginis cap. 9. *Incomparabili sublimitate hoc promeruit, ut repa-*

ratrix perditi orbis dignissimè fieret. S. Gregorius PP. in lib. primo Regum cap. 1. *Mons quippe fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis suæ dignitate transcendit. An non mons sublimis Maria, quæ vt Conceptionem Æterni verbi pertingeret meritorum verticem supra omnes Angelorum Choros vsquè ad solium Deitatis erexit*. Tertiò, S. Petrus Damianus serm. de Assumptione; *Vtramque Naturam Angelicam, & Humanam Virgo singularis exsuperat immensitate gratiæ*. Quartò, Dionysius Carthusianus lib. 8. de Laudibus V. *Palam est Christus Dominus sinè mensura omnis gratiæ plenitudinem sortitus est; huic plenitudini gratiæque infinitati Maria vehementer appropinquat*.

232 Colligit hinc Nouatus quod adinuenit omnem eam gratiam, quam damnati, vel damnandi omnes perdiderunt, & eam omnem, quam etiam aliquando ij, qui saluati, vel saluandi sunt perdiderunt.

233 Dico Sextodecimo. B. V. M. actiuè cooperatam fuisse, seù concurrisse ad efformationem Corporis Christi Domini, non solùm materiam ministrando, sed etiam disponendo, & fouendo.

Probatur, quia fuit vera Mater; ergo omnia Matris munera, quæ perfectioni Virginitatis non derogant peregit; sed inter alia materna munera est, quod mater conseruet suo calore naturali, & spiritibus vitalibus materiam conceptioni præparatam, quæ actio durat donec fętus formatur in alijs fęminis; In Virgine autem licet ipsa formatio fętus subito facta sit, non debuit hac efficacia priuari; vt habet Suarez tomo 2. in 3. partem disput. 11. sect. 2. Vndè probabilissimum esse Virginem actiuè concurrisse ad humanam Christi generationem eo modo, quo cæteræ matres concurrunt actiuè attingendo, scilicet vnionem per potentiam generatiuam; pro hoc citat Nouatus sententiam S. Ioannis Damasceni lib. de fide orthodoxa 3, cap. 2. in 3. dist. 3. his verbis. *Post consensum autem S. Virginis Spiritus Sanctus peruenit in ipsam secundum Verbum Domini, quod dixit Angelus purgans ipsam, & potentiam Deitatis verbi receptiuam præparans simul autem, & generatiuam*. Secundò, quia aliæ Matres ex Hippocrate lib. de Genitura, & libro de sperm. Gal. lib. 6. de locis aff. Scotus in 3. distinct. 4. quæst. vnica Suarez de anima lib. 2. cap. 12. num. 1. Andr. Laur. in sua Anatom. cap. 7. lib. de vas. sperm. & test. mul. cap 9. Fernelio libro 7. cap. 6. suæ Phiscologiæ libro de fabrica corporis humani licet non simpliciter necessarium semen emittunt ad prolis formationem tamen actiuè cooperantur. Ergo, &c. Suarez tom. 2. in 3. partem disput. 10. sect. 1. Vincent. Reg. in suis Elucid. tom. 1. lib. 1. cap. 9. Theorem. 3.

234 Dico XVII. Quod licet Riccardus in 3. distinct. 4. artic. 2. quæst. 1. opinetur materiam, quam Virgo Sanctissima conceptioni Christi subministrauit fuisse sãguinem in semen conuersum (intellige sinè vlla inordinatione, & voluptate, quod fieri posse cum multis affirmat Andreas Laur. lib. 2. de Anathom. quæst. 23. & quæst. 19.) quam etiam opinionem probabilem putant Suarez disp. 10. sectione prima. Sanchez lib. 2. de Matrim. disp. 21. numero 11. & D. Anselmus libro de Conceptu Virg. cap. 13. & 14. fundati in ea opinione, quæ tenet fęmineum semen esse simpliciter necessarium ad conceptionem, de quo Peramatus tract. de semine à §. Iam vero. Et Vallesl. lib. Controuers. Medic. & Philosoph. cap. 6. & vim

vim faciunt aliqui in illis verbis: *Ecce concipies* eo quod censeant conceptionem veram, & propriam non posse fieri sine aliquo semine.

235 Nihilominus communem opinionem esse, & probabilius videri, non ex semine, sed ex purissimo sanguine B. V. M. concepisse. Ita Franciscus Syluius 3. parte quæst. 32. art. 4. Vinc. Reg. in suis Elucidationibus, cui fauet Suarez tomo 2. in 3. partem disput. 10. sect. 1. & 2. Et D. Bonauentura in 3. disput. 4. artic. 3. quæst. prima ait *Cum ergo materia simpliciter necessaria non videatur* (intellige semen fęmineum) *satis consentaneum est credere in B. Virgine non fuisse assumptum; sed solum sanguinem, ex quo sicut Spiritus Sanctus suppleuit id quod defuit virilis seminis, ita etiam formauit quidquid ex fęmineo semine formari potest*. Et eadem distinct. art. 2. quæst. prima hæc habet *Vtrum autem Virgo excitata à Spiritu Sancto seminauerit, hoc est ad locum matricis semen emiserit, quamuis aliqui dixerunt, non est verbum illud frequenter in ora versandum, tùm quia turpitudinem habet annexam, & homo habere debet munda labia in tali materia; tum etiam quia certitudinem non habet ex se, nec verbis Sanctorum videtur multum consonare*. Hæc D. Bonauentura loco citato. Citatur etiam S. Ioannes Damascenus libro 3. cap. 2. fidei orthodoxæ, & VI. Synodus Generalis act. 21. vnde Suarez loco iam dato ait: Prædictam opinionem contrariam non esse facile diuulgandam.

236 Probatur hæc nostra. Primò, quia sic iuxtà rationis captum melius saluatur illibatus flos Virginalis B. M. Secundò, quia nulla est necessitas asserendi ex semine formatum. Tertiò, quia etiam *Spiritus*, vt habet Andreas Laur. in sua anatomia libro 2. cap. 14. his verbis *aerei tenuissimi pernicitate veloces per vniuersum corpus aberrantes ob eam quam cum insitis habent familiaritatem singularum partium Ideas præseferunt, ideas deferuntque vim earum formatricem*. Et ibidem *Spiritus quippè per arterias sparmaticas delati, qui ignei aereique per vniuersum corpus oberrantes singularum partium ideam in se continent neque solùm alterius sexus formam, sed etiam tum πεπρωμεν tum μοῖραν fatalem viuendi, & moriendi necessitatem habent*. Fernellius etiam libro 7. operum Medic. cap. 9. vbi de hominis procreat: hoc habet: *Sic in formatiuum spiritum id verti putamus, vt Spiritus ille caloris omniumque facultatum moderator, & primus procreationis Author; in eo enim persistit omnium partium confirmator, & opifex, &c.* Cum igitur hi spiritus virtutem formatricem deferant, & præcipua fæcunditatis causa sint, si dicitur quod sanguis purissimus Virginis cum multis huiusmodi spiritibus collectis ex omnibus Virginei corporis partibus assumptus fuit ad eformandum Christi Domini Corpus virtute Spiritus Sancti, rectè saluatur vera Conceptio, & concursus effectiuus; nam verè fæcunditas principaliter sita est in spiritibus, ex eodem Andrea Laur. & iuxtà dictos spiritus interpretari possunt PP. vt notat Nouatus, quando dicunt sementinam materiam interfuisse in Conceptione Christi Domini vt Beda lib. 4. in Lucam cap. 49. & S. Anselmus libro de Conceptio Virg. cap. 13. & 14.

237 Dico decimo octauo cum Nouato prima parte de Emin. Virg. cap. 7. quæst. 18. Probabilissimum esse aliquas partes esse in Corpore Christi Domini, quibus anima B. V. tanquam forma præcessit; & quidem apud eos qui tenent conceptionem Christi Domini fuisse ex purissimo semine Virginis non est difficultas;

H 2 nam

nam Galenus libro de Maras. cap. 5. Themist. in lib. de Anima cap. 21. Plato in Timæo. Peramatus lib. de sem. Vallesius lib. 2. Controuers. cap. 9. & alij tenent semen esse animatum, quam opinionem sequor nempe conceptionem dictam fuisse ex purissimo sanguine, & sanguis iuxtà meam sententiam est animatus. Ex quo.

238 Dices si sanguis est animatus, consequens etiam est quod prædictus purissimus sanguis B. Virginis fuerit animatus; quam sententiam ex antiquis tenuerunt Conradus in Comment. 12. quæst. 64. artic. 1. Canis. prima parte quæst.9. artic.1. & 3. parte quæst. 54 artic. 2. iuxtà illud Leuitici cap. 17. vbi dicitur animam omnis carnis esse in sanguine. Nec dicas ponitur in Sacramento sub speciebus panis per concomitantiam ex Concilio Tridentino sessione 13. c. 3. Nam Respond. Ratione corporis ibi venire corpus humanum prout includit formas partiales consistentes principaliter, concomitanter autem fluidas, vt est sanguis; nec mirum videtur, quod licèt Sanguis Christi Domini tamquam pars animata includatur, non tamen ponitur ex vi verborum in consecratione sub specie panis, quia etiam in corpore Christi includitur subsistentia Diuina, & tamen hæc non ponitur ex vi verborum in consacratione Corporis Christi Domini.

239 Confirmatur quia cum in nostra sententia fuerint in dicto purissimo Sanguine spiritus vitales prædicti, qui in medicorum sententia sunt animati, vt habet Scaligerus excit. 270. in Cardanum, Sequitur per necessariam consequentiam saltem prędictos spiritus fuisse animatos. Quod si ex propinquitate B. V. M. ad Christum authorem gratiæ colligit D. Thomas 3. parte quæst. 27. art. 5. ad primum, plenitudinem gratiæ in Beatissima Virgine, nam vt ait Theodoretus: *Immaculata, & pulchra euasit Sponsa, quia propinqua sponso effecta est*. Sanè ex hac propinquitate quod aliquæ partes corporis Christi Domini fuerunt animatæ ab anima B. V. Colligere possumus specialem gratiæ participationem, quam innuit D. Bernardus super caput primum Apocalypsis dum ait: *Quàm familiaris ei facta es Domina, quàm proxima imò quàm intima fieri meruisti! Quantam inuenisti gratiam apud Deum! In te manet, & tu in eo! Vestis eum, & tu vestiris ab eo, vestis eum substantia carnis, & vestit ille te gloria suæ maiestatis; vestis solem nube, & sole ipsa vestiris*.

240 Dico decimonono dictum fuisse ab Angelo B. V. M. *Vocabis nomen eius Iesum*; quia vt habet S. Augustinus cap. 39. suarum meditationum *Idem est ad Saluator*. Item S. Bernardus serm. primo in vigilia Nat. Domini *Neque enim sine salute Iesus*, ac D. Gaudentius Panl. *Quomodo potest salus prohiberi per legem scriptam ne sanet*. S. Ioan. cap. 5. *Iesus est qui me sanum fecit*. Et S. Hieronymus in cap. 1. Matthæi in hæc eadem verba. Ex hoc habes quod Filius Dei Iesus idest Saluator denominatur à salute æterna, quam vt nobis afferret naturam humanam assumpsit Origenes homil. 4. in Isaiam super illud inuocatum est nomen tuum super nos, ait: *Ego sum Sapientia volo tuo nomine vocari, vt ego sapientia dicar Iesus, vt intellectus, & consilium meum, & fortitudo, & scientia, & pietas, & timor Domini nominetur Iesus, vt omnia in omnibus nomen tuum fiat*. Quare ideo dictum Virgini, quia licet hoc habeat ex eo quod Deus est, tamen ei conceditur talis auctoritas; & ius vt tale munus Iesu, & officium Iesu non esset obtenturus nisi dependen-

denter ab ipsa, quod est dicere à Deo æternam salutem, & quamcumque gratiam non nisi intuitu, & nutu Virginis rationabilibus creaturis conferri.

241 Prima pars patet ex dictis, & ex eo quod habet Diuus Bernardus sermone 2. de Circumcisione vbi ait: *Vocatum planè non impositum, nempè hoc ei Nomen est ab æterno à natura propterea habet vt sit Saluator; innatum est ei nomen hoc non inditum ab humana, vel Angelica natura*. Sic & S. Ioannes Damascenus lib. 3. de fide orthodoxa cap. 15. Ratio esse potest, quia actiones sunt suppositorum, &c.

242 Secunda verò pars quoad Beatissimam Virginem spectat, est quod ad eum spectat imponere nomen qui habet auctoritatem, & potestatem, ac ius in re, cui nomen adscribit: Vnde Genesis cap. primo, & secundo Adam esto factus vt *præsit volatilibus cœli, piscibus maris, & animalibus terræ*, posteà cap. 2. adducta fuerunt ad eum, vt ea nominaret: Vndè si data est facultas B. Virgini imponendi Christo Domino nomen, simul intelligitur concessa authoritas, & ius circa Iesum in exercendo munere Iesu, vt in salute, & gratia quacumque conferenda dependeret à Virgineo nutu, de qua re fusiùs cum Virgineum cultum signum prædestinationis esse monstrabimus.

243 Collige hinc quod qui deuotè nomen Sanctissimum Iesu inuocant ex consequenti etiam venerantur eius Sanctissimam Matrem, quæ illud imposuit, & quod morte imminente idem Redemptor *inclinato capite* non solum exhibere honorem illo Sanctissimo Nomini cordi fuit; sed etiam suæ Sanctissimæ Matri à qua impositum fuerat.

244 Colligite hinc secundo etiam Nouatus. Quod efficacissimum medium ad obtinendam quamcumque gratiam est eam postulare in Nomine Iesu, quia saltem virtualiter, & implicitè honor defertur, & intercessio petitur B. V. M. idcirco oleo componitur Cantic. 1. vt notat D. Bernardus serm. 4. de Circumcisione, & serm. 15. in Cantica. Quia Misericordia Diuina per illud effundendo, quasi nequit se contineri velut si violentiam pateretur nec non effusionem, cui propterea correspondet vox illa Turac, quæ naturam fluidam significat.

245 Collige tertio, B. Virginem cognouisse ex hoc nomine hunc Dominum per passionem, & mortem redempturum mundum: hoc enim nomen importat quod Scripturis clarum fit; & quemadmodum D. Thomas prima parte quæst. 94. articulo 3. colligit ex impositione nominum animalibus ab Adamo impositorum sciuisse naturam omnium animalium, sic ex prudenti impositione SS. Nominis Iesu colligitur eam sciuisse ipsum esse de quo Prophetatum est. *Foderunt manus meas, & pedes meos*. Propterea Rupertus Abbas libro primo in Cantica cap. primo in Persona Virginis loquens ait: *Ex quo Mater eius facta sum sciui eum ista passurum*. Cui annuit clarè ad rem nostram. S. Vincentius Ferrerius sermone de Incarnatione dicens; *Vocabis nomen eius Iesum, ecce passionem, quia Iesus idem est quod Saluator, ex cuius passione saluati sumus*.

246 Dico XX. Ab Angelo dictum Beatissimæ Virgini, quod eius Sanctissimus Filius *erit Magnus*. Quia vt ait S. Bernardus homilia 3. super *missus est*. *Magnus Deus erat, Magnus homo erat futurus, Magnus Doctor, Magnus Propheta*. Vndè.

Dici-

Dicitur *Magnus*, Primò, ob visionem beatificam, quam habuit ab instanti suæ Conceptionis.

Secundò, quia debebatur ei connaturalis modus operandi actiones supernaturales, qui modus exigit gratiam, & virtutes infusas, & aquisitas quæ non supponunt aliquam imperfectionem status vt fides, &c.

247 Tertiò, quia vim influendi habet, vt caput Ecclesiæ per vim vnionis, vt habet D. Thomas 3. parte quæst. 7. artic. primo, secundo, & quarto ad tertium; vbi ait posse etiam influere aliquid in Angelis; vndè, & septem dona, & virtutes gratis datæ numeratæ ab Apostolo prima ad Corinthios cap. 12. Nam vt habet S. Augustinus epist. 57. Vigere debent omnes sensus vt ex eo influxus ad membra deriuetur: Ex eo etiam, quod magnus Doctor, & magnus Prædicator ad eum pertinent omnes gratiæ gratis datæ.

248 Quartò, quia ratione vnionis hypostaticæ fuit data virtus, & potestas ad miracula, & supernaturalia opera patranda; Ex Concilio Ephesino sub Cælestino Papa, Præsidente Cyrillo Alexandrino, tempore Theodosij Iunioris, contra Nestorium, aliosque hæreticos celebrato Anno Christi 431. Canone XI. cuius sequentia sunt verba. *Si quis Carnem Domini non confitetur esse viuificam, & ipsius Verbi, quod ex Deo Patre est, propriam, sed tanquam alterius cuiuspiam præter ipsum, secundum dignitatem quidem, aut tanquam qui diuinam dumtaxat inhabitationem sit adeptus, cum ipso coniuncti, & non magis viuificam, sicut diximus, propterea quod propria facta est Verbi, quod omnia viuificare potest, Anathema sit*.

249 Quintò, quia Sacerdos potens offerre Deo Sacrificium quod omni ex parte Deo satisfaceret.

Sextò, ob infinitam excellentiam Christi Domini, non solùm ratione suppositi; sed etiam ratione vnionis.

Septimò, quia in genere doni maximum, & in supremo ordine entis supernaturalis, quia propius participat esse Dei. S. Augustinus libro de Prædest. SS. cap. 15. ait. *Similem dignitatem infinitam habent in Christo cætera dona supernaturalia, non enim poterant ordinari ad dignius suppositum, & ad digniores operationes; sic & Sacerdotium quia manauit ex dignitate suppositi diuini*.

250 Dico XXI. Quod Christus Dominus idcircò dicitur *Filius Altissimi*, quia Christus D. & quatenus Deus erat filius naturalis Dei; & etiam vt homo non reduplicando supra naturam, sed supra suppositum.

Colligitur ex D. Thoma 3. parte quæst. 16. art. 12. idcircò autem dicitur SS. Virgini nunc, & communiter, vt indicaretur aliqua inter generationem æternam, & temporalem similitudo: vndè illud Psalmi 109. *Ex vtero ante Luciferum genui te*, vertunt ex hebræo cum Lorino aliqui *Ex vtero*, idest *de matrice Auroræ tibi ros adolescentiæ tuæ*. Idem S. Hidelphonsus libro de Virg. & partu Mariæ in illa verba Generatio Christi sic erat, ait: *Cur potius non dicitur sic facta, tum quia generationis huius materia, & imago, & Symbolum iam præcesserant ab æterno in generatione Patris, sicut Agnus occisus ab origine mundi, quia præcesserunt figuræ ab origine*. Sic sine inconuenientia accipi possunt verba Psal. 144. *Generatio, & Generatio laudabunt opera tua, & potentiam tuam pronuntiabunt*. Fuit autem similis in hoc, quod tàm Pater æternus, quàm Beatissima Virgo genuerunt eumdem Filium: vndè, & Sanctissima Virgo potest dicere, sicut, & Pater æternus, *Filius meus es tu*,

tu, in vtero meo *genui te*. Et valdè celebratur à SS. PP. hæc conuenientia; Vndè S. Anselmus in libro de excellentia Virginis cap. 3. habet. *Hunc igitur sibi tam vnicum quam dilectissimum Filium suum, non est passus manere tantummodò suum, sed eumdem voluit in rei veritate esse B. Mariæ vnicum, & naturalem Filium*. Sic, & S. Leo Magnus epistola ad Pulcheriam Augustam: *Nisi consubstantialis Patri, consubstantialis esse dignaretur, & Matri, sub iugo Diaboli generaliter teneretur humana captiuitas*. Item D. Bernardus *Ipsa est Virginis natura gloria singularis, & excellens prærogatiua, quod Filium vnum eumdemque cum Deo Patre meruit habere communem*.

251 Secundo, quia sicut per proprietatem relatiuam Verbum in diuinis terminat naturam diuinam, ita in generatione humana humanitas terminatur ab eadem proprietate relatiua. Quod colligitur ex Concilio Toletano canone primo, vbi sic: *Solus Filius suscepit humanitatem in singularitate Personæ non in vnitate diuinæ naturæ*, idest in eo quod proprium est Filij, non quod commune Trinitati Sanctissimæ.

252 Tertio, quod sicut ibi Pater sine sui diuisione Verbum genuit, ita Virgo incorrupta virginitate sine vlla læsione genuit, & peperit Verbum diuinum. Vide Salazarum in cap. 8. Prouerb. num. 389. ex D. Idelphonso, & D. Nazianzeno.

Quarto, quia sicut in generatione æterna Verbum recipit fœcunditatem spirandi Spiritum Sanctum, ita in generatione humana Christus vt homo recipit virtutem respirandi Spiritum Sanctum, seu commodando hominibus Ioan. cap. 20. non quidem ab ipsa, sed mediante ipsa, quatenus ipsa consentiente, & ministrante vnio hypostatica sequuta est; quæ est ratio propter quam commutata est humana virtus ad opera supernaturalia facienda.

253 Ideò etiam dictum B. V. M. quod *Spiritus Sanctus, & virtus Altissimi eam obumbraret*, quatenus scilicet Filius nasciturus erat cum virtute infundendi Spiritum Sanctum; quam virtutem cępit exercere statim, ac in eius vtero conceptus est.

Illa opinio; quæ tenet Verbum genitum ex scientia creaturarum futurarum, quod sicut Pater contemplando Redemptionem Generis humani à Christo, ita Virgo Beatissima eumdem Filium Dei genuit contemplando idem opus Redemptionis, quæ sententia videtur D. Thomæ prima parte quæst. 34. articulo 1. ad tertium; dum ait: *Pater intelligendo se, & Filium, & omnia alia, quæ in eius scientia continentur concepit Verbum*, Vt sic tota Trinitas Verbo dicatur, & etiam omnis creatura; Videtur expressa S. Augustini lib. 5. de Trinitate cap. 14. D. Anselmi in moralibus à cap. 28. vsquè ad 44. Valentiæ prima parte de Trinitate quæst. 8.

Et quidem S. Augustinus loco citato ait: *Nouit itaque omnia Deus Pater in se ipso, nouit in Filio, sed in seipso tamquam se ipsum; in Filio tamquam Verbum suum quod est de his omnibus quæ sunt in ipso*: Et videtur certa quia dicta notitia debet esse comprehensiua.

254 Obijcies: scientia futurarum creaturarum vt talis est potuit simpliciter non esse. Ergo ex illa non potest procedere Verbum per se, quia cum scientia sit principium quo, & formalis origo verbi debet habere eamdem necessitatem quam habet Verbum: alioquin, aut posset esse Verbum sine suo adæquato originis principio, aut tali scientia non existen-

ſtente, non exiſteret Verbum.

Reſpond. Quod Verbum, vt reſpicit liberè obiectum liberum procedit libere ex cauſa libera: vnde ad conſeq. diſtinguo, quod ex illa ſcientia non poteſt procedere Verbum vt neceſſarium concedo: vt liberum nego. Vndè licèt Verbum quoad alia non ſit liberum, tamen quoad ipſum ad obiectum liberum eſt liberum: quia potuit non reſpicere determinatè futura, & propterea non eſſe Verbum illorum.

255 Dico XXII. Quod (licèt Chriſtus non habuerit ius hæreditarium ad temporale Regnum Iudæorum quia ex Ieremia cap. 22. vbi loquitur de Ioconia habetur: *Nec enim erit de ſemine eius vir qui ſedeat ſuper ſolium Dauid, & poteſtatem habeat vltra in Iuda,* quod eſt commune contra Armacanum lib. 4. quæſt. Arm. cap. 16. apud Vaſquez tom. 1. in 3. partem diſput. 87. cap. 1. neque habuerit regnum temporale Iudæorum ſecundum humanitatem ratione electionis) habuit ſupremam Regni poteſtatem in omnes Reges, & Principes.

Eſt Diui Antonini 3. parte titul. 3. cap. 2. Suarez tom. 2. in 3. partem diſput. 48. ſect. 2. & aliorum apud Nouatum prima parte cap. 7. quæſt. 22. & Probatur ex varijs ſcripturis. S. Matth. *Data eſt mihi omnis poteſtas*. Apocalypſis: *Princeps Regum terræ*. Zaccharix cap. 9. *Ecce Rex tuus*. Pſal. 2. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam vſquè ad terminos terræ*. Pſal. 71. *Dominabitur à mari vſquè ad mare*. Fauet S. Auguſtinus lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 18. qui ait hunc Pſalmum 71. non poſſe conuenire Salomoni; & Probatur, quia ſi Deitas conſtituebat Chriſtum Sacerdotem Summum Sanctum cur non etiam conferebat Regnum, quod eſt minus ipſa ſanctitate.

Secundo, habuit etiam ius altum, ſeu dominium eminens in omnibus rebus creatis, vt ſeruos, & mancipia; quod dominium competit ei independenter ab omni voluntate humana, eſt enim commune omnibus tribus Perſonis; Chriſto vero vt homini competit vt participatum à voluntate diuina, ſcilicèt à libera collatione vnionis hypoſtaticæ, & ſic Chriſtus dicitur hæres, ad Hebræos cap. 1. Pſal. 2. &c.

256 Neque obſtat Ioan. 22. in Extrau. vbi ait, quod Chriſtus quarumdam tantum rerum dominium habuit, nam Reſpond. Ex Salazar. in cap. 8. Prouerb. numero 107. quod in actu exercito fuit contentus paruulis rebus.

Nec repugnant iure naturali duo dominia eiuſdem rei cum ſubordinatione. Et licet Redemptor dixerit, quod *Regnum* ſuum *non* erat *de hoc mundo*, intelligendum eſt vel non trahere originem à mundo, vt ly. *de hoc mundo*; ſed ab vnione hypoſtatica, vel quia in actu exercito noluit diſponere.

257 Si obijcis Chriſtum Dominum abdicationem omnium rerum verbo, & exemplo confirmaſſe. Ergo, &c.

Reſpond. cum Suarez tom. 1. in 3. partem diſput. 48. ſect. 2. Ad paupertatem ſatis fuiſse priuari dominio terreno, & externo ſplendore, & abundantia temporalium rerum; non tamen fuiſse neceſſarium priuari ſua poteſtate, & excellentia, ſicut non fuit neceſſarium priuari poteſtate faciendi miracula; nihilominus aut numquam, aut vix exercuit regiam, ſeù diſpoticam poteſtatem, ex hiſtoria Eccleſiaſtica.

258 Ex dictis patet de Chriſto Domino

mino dictum ab Angelo: *Dabit ei Dominus sedē Dauid patris eius*. Quia Christus, vt homo habiturus erat regnum spirituale, & implicitè saltem futurus erat Rex verus, & temporalis. Vndè Patres, qui videntur negare Regnum temporale Christo Domino, exponendi sunt cum supradictis Auctoribus de actu exercito, & secundo; non tamen in actu primo, & signato.

259 Dico XXIII. Ex dictis verbis inferri etiam Regnum temporale, & spirituale Beatissimæ Virginis Deiparæ.

Primo probatur ex S. Augustino sermone 35. de Sanctis vbi ait: *Sufficere debet notitia humana hanc verè fateri Reginam cœlorum pro eo quod peperit Regem Angelorum*.

Secundò, ex S. Epiphanio hæres. 78. Si Christus *Leonis catulus, profectò eius Genitricem Leenam dixerim*. Ita si Christus est Rex, profectò mater eius est Regina. Rupertus in cap. 4. Cantic. *Hæc in cœlis Regina Sanctorum, & in terris Regina Regnorum est, quandoquidem est Mater Regis coronati, quem constituit Dominus super opera manuum suarum, ac proindè Regina constituta, totum iure possedit Regnum filij*. Et S. Antoninus 4. parte titul. 15. cap. 22. §. 9. ait: *Maria propter Christum Imperatrix, & Monarcha est mundi*. D. Athanasius serm. in Euangel. de Deipara. *Quandoquidem ipse Rex est, qui natus est ex Virgine idemque Dominus est Deus, & propter, & mater, quæ eum genuit, & Regina, & Domina, & Deipara propriè, & verè constituitur*. Ita & Salazar in caput 8. Prouerb. numero 125.

260 Confirmatur quia ex Aristotele 8. Ethicorum num. 10. Filius est pars separata Patris, & fructus eius in quo ipse conseruatur. Et libro primo Mag. mar. cap. 34. Quemadmodum membrum Parentis est filius; imò idem cum ipso. Vndè inter Patrem, & Filium nequit esse ius strictum distinctum perfectè; quare iure naturali Regnum, & diuitiæ, & honores in vniuersum accedunt parenti, & potiori iure in SS. Virgine, quàm in cæteris matribus, nam ipsa concurrit totaliter ministrando totam materiam. Ergo potiori iure naturali regnum Filij in matrem transferebatur.

261 Obijcies: Ergo habuit potiorem, & principaliorem potestatem Regiam, quàm Christus Dominus. Probatur illatio; quia iure solo naturali spectato Parentes possunt disponere de bonis filiorum independenter ab ipsis: Nec valet dicere, quod Christus Dominus alio titulo eo gaudebat, nempè quia vt verus Deus, & vt homo etiam, vt supra dictum, est Filius naturalis Dei, & sic non posse Virginem sine eius licentia vti potestate regia; nam semper manet, quod est dominium Parentis in filium, & bona eius; in Christo verò est vt in filio non emancipato; vndè, & ipse, & eius bona semper essent de possessione Virginis. Sed

Respond. Adhuc patet hanc regiam potestatem non esse transfusam nisi eo modo, quo apta nata est transfundi (quidquid enim recipitur ad modum recipientis recipitur) Vndè cum talis potestas non sit apta nata transfundi nisi cum subijcibilitate ad Filium, manet quod nisi dependenter ab ipso, & sine eius licentia Virgo non habeat tale ius, quam tamen licentiam numquam ei filius denegasset.

262 Sed obijci potest, quod sic non habet locum doctrina Philosophi in re nostra transfundentis dominium filiorum in parentes, ita vt

semper parens sit filio superior; præterea cum Christi humanitas à libera Dei voluntate fuit assumpta in societatem, & vnionem hypostaticam, & dignitas ex electione licèt illustret parentes, ad eos tamen iure naturali non deuoluitur, nam illa electio commensuratur voluntati electorum, vndè si non intendunt electores in parentes refundi, non refunditur in lib. primo ff. de senatoribus.

263 Propter hæc Nouatus probat ex alio capite constitutam Reginam, & Imperatricem.

Probatur, qui valdè conueniens fuit vt ipsa Virgo verè, & propriè constaret Imperatrix. Ergo sic Constitutam affirmare possumus. Hoc argumento passim vtuntur Theologi ad probanda Christi priuilegia. Probatur Antecedens: Quia ratione maternitatis erat conueniens, vt ipsa esset Regina; quam congruentiam adeo magnam agnoscentes Sancti Patres supra citati ideò Virginem fuisse Reginam affirmarunt, non quia naturali iure in maternitate fundato in ipsa transfusum fuerit Regnum Christi. Quam conuenientiam agnoscens Salomon Rex matrem Bethsabeam sibi proximam in throno Regio sedere voluit 3. Regum cap. 2. Secundò, hæc congruentia fundatur in Excellentia Christi Domini magis honorificantis matrem; decet enim Filium Regem habere Matrem Reginam. Et aliæ multæ congruentiæ.

264 Dico XXIV. Quod sicut Christus Dominus merito suæ passionis consecutus est Regnum spirituale animarum; licet enim humanitas à Deitate cui vnita erat, sic exaltata remaneret ad imperium vt animas à Satanico Imperio subtrahere, & eas in suam ditionem absoluto iure transferre posset, tamen per mortis, & passionis suæ meritum transtulit, & subiecit, vnde regnum spirituale Christi non omninò liberaliter à Patre donatum est; sed meritis retributum; ita Virgo cruci assistendo, & Filium morti pro communi salute deuouendo regnum spirituale animarum, & Angelorum consecuta est.

Vndè Arnoldus Carnotensis libro de Laudibus Virginis: *Omninò tunc erat vna Christi, & Mariæ voluntas, vnumque holocaustum ambo pariter offerebãt Deo, hæc in sanguine cordis, ille in sanguine carnis, vndè communem in mundi salutem cum illa obtinuit effectum*. Et D. Anselmus de Excellentia Virginis cap. 11. *Beata Dei Genitrix Maria suis meritis cuncta reparando Mater est, & Domina rerum. Deus enim est Dominus omnium singula in sua natura propria iussione constituendo; & Maria est Domina rerum, singula dignoscendo, per illam quam meruit gratiam assistendo*. Prima tamen gratia fuit donum omninò gratis datum. Facit pro Excellentia huius Regni. Quod habet D. Bernardinus Senensis tom. 2. serm. 61. artic. 3. cap. 6. sic dicens: *Ille enim, qui Filius Dei est, & Virginis benedicta volens paterno principatui principatum æquiparare Maternum ipse qui Deus erat Matri famulabatur in terra*. Et erat subditus illis. *Propterea hæc est vera Propositio: diuino imperio omnia famulantur, etiam Virgo: & iterum hæc vera; Imperio Virginis famulantur, etiam Deus*.

265 Dico XXV. A primo Conceptionis momento Beatissimam Virginem potuisse verè nominari Dominam Vniuersi, hominum, & Angelorum Reginam.

Probatur ex SS. Patribus, qui eam appellant Reginam ab ipsa infantia, seù pueritia, vel ante Incarnationem. Vndè

Vndè Germanus oratione de oblatione Deiparæ introducit Zachariam sic illam alloquentem .. *Erubescant, & deficiant, & pereant, & cognoscant, quia nomen tibi Domina; ante verò Incarnationem Regina appellatur*. A Diuo Ioanne Chrysostomo in Lucam homil. de Annunciatione sic: *Mittitur Gabriel Angelus, & egreditur de Rege ad Reginam, de Imperatore ad Imperatricem, de ciuibus cœli ad Dominam Palatij*. Ex quibus verbis patet ante conceptionem Dominicam appellari Dominam, & Imperatricem. S. Petrus Chrysologus sermone 142. de Annunciatione ait: *Ante causam dignitas Virginis annunciatur ex nomine: nam Maria Hebræo sermone, Latinè Domina nuncupatur: Vocat ergo Angelus Dominam, vt Dominatoris genitricem trepidatio deserat seruitutis, quam nasci, & vocandi Dominam ipsa sui germinis fecit, & impetrauit authoritas*.

Ex quibus verbis sic argumentari possumus.

266 Si auctoritas fecit vt nasceretur Domina; Ergo vt, & conciperetur Domina. Probatur secundo, quia nomen Mariæ ex diuina reuelatione impositum significat Dominam; quod dominium nihil prohibet receptum à Conceptione cum innumeris priuilegijs. Tertio, quia ita conueniens erat; & sufficienter indicatur per illa verba *Ab æterno ordinata sum*. Prouerb. cap. 8. vbi versio hebræa habet *Principatum habui*. Pagninus, *Principatum tenui*. Rodulphus, *Coronata sum*. Alij, *Inuncta sum*. Alij, *A sæculo Princeps inaugurata sum*. Ergo supposito diuino decreto æterno de constituenda ipsa Regina, habuit à Conceptione ius fundatum in illo ad Regnum, quod actu erat assecutura cum Mater Dei fieret, quod ius certius, & firmius erat, quocumque alio iure fundato in titulo hæreditario, vel in alia quacumque ratione humana.

267 Quarto probatur ex Granado prima parte tract. de diuina potentia disputatione vltima numero 6. post diuinitatem, & humanitatem Christi Domini Beata Virgo est causa finalis omnium creaturarum; vnde Andreas Cretensis sermone de Assumpt. ait: *Hic est scopus, qui excogitatus est ante sæcula, ad quem nimirum omnia opera diuina post humanitatem Christi Domini relata sunt*. Sic etiam D. Bernardus sermone primo in Salue. ait: *Propter hanc totus mundus factus est*. Et sermone 2. de Pentecost. *Ad illam sicut ad medium, sicut ad arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium sæculorum omnium respiciunt, & qui in cœlo habitant, & qui in inferno, & qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui sequentur, & nati natorum, & qui nascentur ab ipsis*. Si ergo causa finalis omnium rerum modo supra dicto; ergo eo ipso quod extitit fuit illarum Domina; nam ideò Adam rerum sublunarium dominium tribuunt, quia propter hominem condita erant.

268 Quintò, quia ad ampliorem Regis honorem facit quod ex Matre Regina nascatur. Vnde Guillelmus in illa verba Cantic. cap. 3. *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in Diademate*. ait. *Diadema, quo coronauit eum Mater sua nempè Regiam nobilitatem assumptæ humanitatis, qua eum coronauit, eo quod illum de sanguine suo Regio secundùm carnem concepit*. Vndè Nouatus colligit, quod etiam si per impossibile Christus Dominus à diuinitate rex inunctus non esset, tamen quatenus natus fuit ex Matre Regina, & Domina, Dominus, & rex verè appellari posset, vt qui vere sanguinem Regium à Virgine Regina habuit. Hanc doctrinam tradit etiam Sala-

zar de Conc. cap. 5. num. 6. & libro de regno Virginis cap. 16. cuius fundamentum licèt non placeat Nouato, quia fundat illud in iure maternitatis, mihi tamen placet, & videtur tenendum propter superius dicta, maximè quia dona supernaturalia non sunt regulanda iuxtà placitum Philosophorum Gentilium.

269 Obijcies Sancti Patres præcipuè S. Ioannes Damascenus lib. 4. de fide cap. 15. & sermone primo de Annunc. D. Bernardinus Senensis to. 1. conc. 61. art. 1. cap. 7. D. Anselmus de Excellentia Virginis cap. 4. S. Idelphonsus serm. 2. de Asumpt. & Catharinus in cap. 25. S. Matthæi volunt Beatissimam Virginem esse constitutam Reginam tunc quando annunciata est, & Mater Regis æterni facta est. Aliqui vt S. Idelphonsus, & Catharinus, quia tunc sponsa. Aliqui ob insignem humilitatem; *Ecce Ancilla Domini*, vt D. Bernardinus, &c.

Respond. vel loqui de regno, & dominio, quod actu Virgo Sanctissima possidebat post Christi Domini Incarnationem, nam antè licet esset Regina, & Domina, non videbatur tamen habere ius completum in regno, & dominio, sed tantum ius ad Regnum fundatum in diuino decreto, in quo ipsa erat ordinata, at in tali differentia temporis actualiter etiam fieret Domina, & Regina. Vel secundò; quia tunc titulus maternitatis innotuit, qui vel vnicus, vel præcipuus est, per quem verè ad dominium est exaltata.

270 Collige hinc primo, etiam quo sensu dicatur Virgo coronata Regina hominum, & Angelorum in Assumptione, vt habetur in Reuelationibus S. Birgittæ sermone Angelico cap. 20. sermo enim est de Regno, & dominio glorioso, quod solemniter in aula Cæli Virgo possedit.

271 Collige secundo, quod quemadmodum in Pontificali præscribitur, quod, quando à Metropolitano Regina coronatur, ei dicitur quod viduas, pupillos, pauperes, & debiles ab omni oppressione defendat, & non ad suam vtilitatem, sed ad totius populi regnare; & ipsa vice versa ait: *Profiteor, & promitto coram Deo, & Angelis eius deinceps Legem Iustitiæ, & pacem Ecclesiæ Dei & populo mihi subiecto pro posse, & nosse benefacere, & seruare*. Simili modo Beatissima Virgo in sua coronatione promiserit se pro suo posse præstituram auxilium viduis, pupillis, & miseris omnibus. Ergo ratione regiæ dignitatis ad eam accurrere possumus. Propterea fortè ab Ecclesia dum salutatur Regina subiungitur: *Mater misericordiæ*. Huius typum gessit Esther Regina.

272 Vltimò considerandum est quod maiorem lætitiam habuit ex eo quod audiuit se filium Regem parituram, quam quod ipsa Regina foret, quia plus Filium quam seipsam diligebat, quemadmodum Ptolomeus (vt habet Iustinus lib. 16.) maiori gaudio afficiebatur, quia Pater erat Filij Regis, quàm quia ipse rex esset.

273 Dico XXVI. B. Virgini Mariæ idcircò dictum, quod eius Sanctissimo Filio danda erat sedes Dauid. Primo, quia Dauid in multis repræsentauit vtrumque regnum Christi Domini. Secundo quia habuit principium Regnum Dauid à miseris personis vt habetur primo regum cap. 22. *Et conuenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo, & factus est eorum Princeps*. Vndè Rangol. in primo regum quæst. 45. Verus autem

tem

rem David futurus erat Christus seruator noster ad quem postea venerunt homines obærati, & miseri; ille enim cum publicanis, & peccatoribus cibum sumpsit.

274 Tertio ex clementia, qua vsus est cum Saul, & inimicis suis, vndè Saul, qui nouit quod regnaturus esset ex eo quod non est vltus suam iniuriam cum posset, ait: *Nunc scio certissimè quia regnaturus es, & habiturus in manu sua Regnum Israel. Iura mihi in Domino ne deleas semen meum*. Primo regum cap. 24. Sic Christus eo potissimum tempore innotuit Rex, quo clementiam erga inimicos ostendit precando Pater dimitte illis, vnde & accepit titulum Regis, quem alias respuerat.

275 Quarto, quia Dauid tūc dicitur regnare cępisse cum dona, & beneficia conferre cępit 2. regum. Ita Christus Dominus statim, ad conceptus fuit in vtero B. V. M. cępit thesauros diuinæ gratiæ effundere, & *pertransijt benefaciendo, & sanando omnes*. Act. cap. 10.

276 Ex his habetur quod quia, vt ait Arnoldus Carnotensis tractato de Laudibus Virginis; *Nec à dominatione, vel potentia Filij Mater potest esse seiuncta; vna est Maria, & Christi caro, vnus Spiritus, vna Charitas, ideo sicut Regnum Christi Domini fuit tutissimum peccatorum asylum, ita, & Regnum Deiparæ fuit miserorum confugium*. Hinc Andreas Cretensis in Salutatione Angelica, ait: *Gaude diuinum inter Deum, & homines conciliationis profugium*.

277 Secundò, sicut Christus Dominus tunc se maximè Regem ostendit cum misericordiam exercet, ita & ipsa Beatissima Virgo; vnde, & in reuelationibus S. Birgittæ habetur lib. 4. cap. 103. *Regina misericordiæ*. (ait Dionysius dictæ Sanctæ loquens cum B. V.) *Tu es cui data est omnis misericordia, & Mater Dei facta es propter miserorum salutem; miserere igitur Regno Franciæ tuo, & meo; tuo quidem, quia habitatores eius pro modulo suo te honorant; meo autem, quia Patronus eorum sum, & in me fiduciam habent*. Sic & D. Antoninus 3. parte titulo 15. cap. 22. §. 9. ait: *Deus misericordiam ne dum magnam, sed maximam fecit in Virgine, quia vt meritò nominetur Mater misericordiæ, & Regina eius*. Vndè si Liuia vxor Augusti dum proscriptionis sententia contra Lucium Cinnam adolescentem, quia insidias Augusti vitæ struxerat, pronunciaretur, ingressa ad Cæsarem dixit: *Ignosce Cæsar, Cinna deprehensus vitæ tuæ nocere non potest, famæ prodesse potest*. Sic & multo melius, & magis dum contra peccatorem fertur sententia mortis accedit Regina Sanctissima, vt ait S. Petrus Damianus sermone de Natiuitate Virginis: *Accedit ante illum aureum humanæ reconciliationis altare, non solùm rogans, sed imperans; non ancilla, sed Domina*.

278 Dico XXVII. Dictum ab Angelo Sanctissimæ Virgini de Christo Domino, quod *Regnabit in domo Iacob*. Primo quia per domum Iacob ait Venerabilis Beda in caput primum Lucæ figuratur Ecclesia, & in Rebecca Matre Iacob figurabatur Beatissima Virgo; vndè illis verbis prænunciabatur Christum regnaturum in Ecclesia bonis spiritualibus ditissima, nempè frumento, & vino, vt habetur Genesis cap. 27. *Det tibi Dominus de rore cęli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini*. Et paulo post: *Frumento, & vino stabiliui eum tibi vltrà quid faciam fili mi? Hoc est*, ait Paschasius libro de Corpore, & Sanguine Domini cap. 21. *Est apertè dicere firmaui eum pane corporis Christi, & vi-*

& vino sanguinis, tibi autem filio vltra quid faciam. Vndè patet, quod in hoc potior pars sit regni spiritualis Christi, iuxtà Psal. 4. *A fructu frumenti, vini, & olei multiplicati sunt*. Hanc benedictionis abundantiam habuit Iacob per Rebeccam, & hoc Sanctissimum Sacramentum habent fideles per Beatissimam Virginem Mariam: hinc Canticæ capit. 7. dicitur: *Venter tuus aceruus tritici*. Quo in loco S. Ambrosius de Institut. Virg. cap. 14. ait. *De quo aceruus factus est, quia granum illud mortuum plurimum fructum attulit*. Et Andreas Cretensis oratione de Annunciatione: *Tu verè benedicta cuius venter aceruus quidem areæ quantum fructum benedictionis spicam immortalitatis Christum inquam sine seminantis, ac coloni opera perfectissimè produxisti*. Pro vino etiam venit Sanctissimus ille Sanguis diuini Botri Christi Domini, quem habemus per Beatissimam Virginem, de qua dicitur Eccl. cap. 24. *Ego quasi vitis fructificaui*, vnde Paschasius loco citato ait: *Felix fructus vbertatis ex quo Virginitas germinatur; nam in hoc nostri germinis vino castitas corrumpitur, ab ista verò vino Virgines procreantur*.

279 Secundò, In domo Iacob per Rebeccam fuerunt omnes duodecim Patriarcharum benedictiones cum in domo Abrahæ vna tantum, in domo Isaac vna, & altera minor: Quia in Ecclesia sunt omnes benedictiones per Beatissimam V. M. vndè ad Ephes. cap. 1. *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus*: Vndè S. Petrus Damianus sermone de Assumpt. ait: *Redditur benedictio terræ, & quis neget hanc, & benedictam, & dignam fuisse vt benedictum illum fructum ventris conciperet, & pareret, in quo omnis benedicitur iuxtà Dauidicum* Psal. 71. *Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ*. Imò ipsa est causa vt omnes electi sint recepturi illã gloriosam benedictionem, qua dicendum est eis vt habetur S. Matthæi cap. 25. *venite benedicti Patris mei*: nam vt ait Germanus Patriarcha Constantinopolit. *Nullus est, qui saluus fiat nisi per te ò Virgo Sanctissima*.

280 Dico XXVIII. Ex illis verbis Beatissimæ Virginis; *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco*. Colligitur non solùm propositum; sed etiam votum de Virginitate seruanda. Sic S. Augustinus libro de S. Virg. cap. 4. ait: *Quare annuncianti Angelo Maria respondit, Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco? Id profectò non diceret, nisi prius Virginem se Deo vouisset*. Sic, & Nyssenus de Natiuit. Domini, *Nec à proposito recedit suo, interdixi, inquit, mihi consuetudinem viri*. Item S. Anselmus lib. 4. de Excell. Virginis, & Glossa Interlinealis, ait: *Tangit quod ipsa vouerat castitatem*. Sic & Theologi cum D. Thoma 3. parte quæst. 28. arti. 4. Scoto in 4. distinct. 30. qu. 2. Ratio autem assignatur à Balduino Iuniore in suis Chronicis moralibus ætate quinta mundi; vbi habet, quod nisi emisisset votum non vtique respondisset Angelo se non cognoscere virum; nam si solum propositum esset, cur non potuisset dictis Angelicis acquiescere.

281 Collige hinc cum D. Bernardo sermone de Conc. *Quanti faciebat Virginitatem, & discant hinc Religiosi, & Sanctimoniales quanti facere debeant Castitatis votum*. Rupertus libro 3. de Trinitate quæst. 19. ex primo Genesis sic colligit Virginitatem B. V. M. de Christo loquens ait: *Ita est semen seu filius mulieris, vt non etiam sit semen viri; & propterea non absque mysterio ab ea sola denominationem accepit*. Secundo ex illo Ezechielis 44. vers. 11. *Porta hæc clausa*

clausa erit non aperietur, & vir non transibit per eam, eritque clausa Principi. Vbi S. Augustinus sermone 18. de tempore ait. *Et quid est clausa erit in æternum nisi quod Maria, Virgo est ante partum, & Virgo in partu, & Virgo post partum*. Hunc textum de Sanctissima Virgine exponit S. Ambrosius de institut. Virg. cap. 7. Tertio colligitur ex illo Isaiæ cap. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet*.

282 Obijcies cum hebræis. Primo quod non sit mentio in hoc capite, neque ante, neque post de mundi Redemptione.

Secundo. Ibi assumi tantum ad signandam duorum regnorum destructionem, ergo non ad signandam Redemptionem.

Tertio. Hoc signum fuit post vastationem illorum regnorum.

Quarto. Nullus accepit destructionem illorum regnorum, vt signum rememoratiuum destructionis illorum regnorum. Insuper aiunt quod dictio illa Gnalma non signat Virginem; sed corruptam.

283 Respond. tamen prædictis obiectionibus. Primo, quod erat solitum Prophetarum inter clades bellorum miscere Redemptionis memoriam, & sic cap. 16. idem Isaias referens vastationem Moabitarum simul refert hoc magnum mysterium dicens: *Et præparabitur in misericordia solium*. Ratio esse potest, quia clades sunt effectus, & pœna peccati, vndè referendo effectum, & pęnam simul referebant remissionem, & dum Deus irascitur etiam misericordiæ recordatur.

284 Ad secundum Respondetur, quod per liberationem Tribus Iudæ, & Beniamin subsequendam per vastationem illorum regnorum mediatè significabatur liberatio generis humani à seruitute Diaboli, & peccati, quod erat maioris momenti. Vnde

285 Ad tertium Respondetur, quod signum debet esse prius significato principali, & vltimato, non vero minus principali; adde, quod nec est vniuersaliter verum, quod debeat esse prius potest enim esse posterius, quod patet Exodi cap. 3. *Ego ero tecum*. Vbi pro signo ait Leonardus Marius esse euentum rei, nempè eductionem populi Israel vndè septuaginta vertunt: *Etiam hoc tibi signum, vt educas populum meum ex Egypto*.

286 Ad quartum Respondetur ex peritia Hebraicæ linguæ, Verbum *Gnalam* significat latere, ex quo *Gnalma*, non solùm significat Virginem; sed etiam latentem, absconditam, seu occultam idest incognitam viro: Ita Valentinus Schindlerus. Vide etiam Vasquez in 3. partem tom. 2. disp. 121. cap. 2. Pro defensione huius nominis Gnalma signantis Virginem septuaginta vertunt Παρθένος. Canisius libro 2. de B. V. cap. 6. & Blasius Viega in Apocal. capit. 12. com. 3. sect. 14.

287 Ex his manifestè conuincitur Hebræorum peruicacia aientium eo loco Esaiæ haberi. *Almà*, & non *bethulà*, atque adeò non concludi sermonem esse de Virgine, sed de adolescentula dumtaxat: neque enim vnquam poterunt ostendere *Almà* sumi aliquando pro puella, quæ virgo non sit, malèque contendunt per contradicendi libidinem nusquam *almà* inueniri pro *bethulà*, idest, pro virgine, cum certum sit nusquam nisi pro virgine vsurpari, vt ex superioribus dictis apparet. Et cõfirmatur prætereà ex radice עלם, à qua deducitur, quæ significat abscondere, latere, occultare, vt idem sit *Almà*,

atque

atque abscondita, & incognita viro, & opponatur mulieri reuelatæ, idest, cuius turpitudo reuelata fuerit, quemadmodum loqui solet scriptura. Imò vt docet S. Hieronymus in Commentario huius loci, vsquè adeò *Almà* significat Virginem absconditam, & incognitam, vt non dicatur *Almà* nisi ea potissimùm, quæ nunquam virorum patuerit aspectibus; sed magna parentum diligentia custodita sit. Et multo luculentius libro primo, contra Iouinianum tractans eundem locum: *Scio*, inquit, *Iudæos opponere solere in hebræo verbum* Almà *non virginem sonare, sed adolescentulam: & re vera virgo propriè* bethulà *appellatur, adolescentula autem, vel puella non* Almà *dicitur; sed* naarà. *Quid est igitur, quod significat* almà? *Absconditam Virginem, idest non solùm Virginem, sed cum epitasi Virginem, quia non omnis virgo abscondita est, nec ab hominum fortuito separata conspectu.*

288 Denique aduertendum est, pro eo, quod nos habemus Virgo, esse hebraicè העלמה vbi litera ה cum puncto ָ Camets posito in principio non pertinet ad substantiam nominis, sed est hè notificatiuum, vt hebræi appellant, & loco articuli ponitur: nomen autem עלמה ex vi verbi significat adolescentulam Virginem. Quod vt meliùs intelligas

289 Rursus aduerte apud Hebræos esse tria nomina cognata, & affinia: vnum est, נערה alterum, בתל siuè, בתולה tertium, עלמה, quæ ita discriminantur. *Naarà* solius ætatis rationem habet, significat enim puellam, siue illa Virgo sit, siue non: *Bethulà* verò ad solam virginitatem spectat nulla ætatis habita ratione: significat enim Virginem, siuè ea adolescentula sit, siue anus. Deniquè *Almà* vtrumque complectitur, ætatis namque simul, & virginitatis rationem desiderat. Significat enim non solùm adolescentulam, nec solùm Virginem, sed etiam adolescentulam Virginem; itaque nec Virgo anus, nec puella corrupta potest appellari *Almà*, sed solùm illa, quæ virgo simul sit, & adolescentula.

290 Probatur quarto prætereà cum Ruperto, & Guillelmo ex illo Cantic. cap. 4. *Hortus conclusus Soror mea sponsa, hortus conclusus fons signatus.* Vbi ait Guillelmus: *Sigillo Virginitatis perpetua habentem imaginem Sponsi cælestis ex impressione annuli eius.* De quo sponsa quædam anima annulo suo subarrauit me Dominus meus Iesus Christus. Sic S. Hieronymus libro suprà dato contra Iouinianum, & libro contra Heluidium. Epiphanius sermone de Laudibus Deiparæ, & S. Petrus Chrysologus serm. 145.

291 Probatur quinto cum Idelphonso sermone 6. de Assumpt. dicente. *Virga Aaron Sacra est Virgo Maria, quæ neque sata neque radicata sine vllo cultore, tertio die, hoc est tertio sæculi tempore Sancto Spiritu est fæcundata, nobisque Deum, & hominem genuit Christum, cuius vtraque substantia bene per amygdalam est figurata. Amygdala namque ex carne, & osse, & nucleo constat; sic Deus, & homo in vna persona est Iesus Christus, & in amygdala quidem caro exterior amarissima est, nucleus verò interior vescentes grata dulcedine reficit, sic, & Christus per humanitatem passionis amaritudinem sensit, per diuinitatem impassibilis mansit.* Sic etiam S. Augustinus sermone 3. de Aduentu. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 18. S. Bernardus homil. 2. super *missus est*.

292 Porrò de fide est Beatissimam Virginem, fuisse Virginem ante partum, in partu, & post partum. Sic est

est definitum in Concilio Lateranensi consult. 1. canone 3. in Concilio V. Constantinopolitano Generali consult. 8. canone 6. quæ est in VII. Synodo act. 3. & in Concilio Tridentino sessione 6. decreto de peccato originali in fine, & sess. 6. canone 23. hinc habetur in Symbolo fidei: *Natus ex Maria Virgine*.

293 Dico XXIX. Cum D. Thoma 3. parte quæst. 38. articulo 4. ad primum, & colligitur ex c. sufficit, & c. Et Beata Mater 27. quæst. 2. Suario tomo 2. in 3. partem disput. 6. sectione 4. Baronio in suo apparatu numero 58. & ex S. Birgitta libro Reuelationum cap. 25. Beatissimam V. M. dicasse voto Virginitatem ante Filij sui Sanctissimam conceptionem; vndè S. Birgitta loco citato habet: *Pro certissimo scire debes, quod Ioseph antequam desponsauit me, intellexerit in Spiritu Sancto me vouisse Virginitatem meo Deo, immaculatamque esse cogitatione, verbo, & opere; qui ea intentione desponsauit me, vt seruiret mihi, habendo me pro Domina sua, & non pro vxore. Ego autem in Spiritu Sancto sciui certissimè, quod Virginitas mea perpetuò permaneret illæsa.*

294 Præterea cum Nouato prima parte de Eminentia V. cap. 7. quæst. 27. Barradio tomo 2. Concord. lib. 6. cap. 3. ad finem. Petro Morales in caput primum S. Matthæi lib. 2. tract. 6. numero 12. à primo Conceptionis momento eam tale votum emisisse. Primo, quia tunc perfectè cognouit Deo gratissimum esse. Secundo; quia erat tunc perfectè conformis diuinæ voluntati, vt perfectissimè, & intensissimè Deum diligeret, pro vt diuina voluntas est nostra perfectio quanta esse potest. Tertio, extunc erat Regina, & antesignana Angelorum, & Virginum: Ergo non fuit inferior in puritate. Quarto, secundùm S. Anselmum de Conc. V. decebat Virginem ea puritate nitere qua maior sub Deo reperiri nequit; sed secundum D. Thomam in prima distinct. 44. per votum hoc recedendo à contrario magis quàm per simplex propositum; & puritas vt habet Albertus Magnus relatus à S. Antonino 4. parte titulo 15. cap. 20. §. 70. intelligitur per accessum ad lucem, & per votum Virginitatis vtpote actum Religionis, cuius, ex Suarez tomo 1. de Religione libro primo cap. 3. numero 6. Deus est obiectum proximum, sed indirectum. Ergo dicendum Beatissimam V. tunc votum tale emisisse, & elicuisse maximum Religionis actum, Deoque accessisse quantum poterat tunc, & sic factum, vt ea puritate niteret.

295 Obijcies cum Vasquez 3. parte tomo 2. disput. 124. cap. 4. numero 81. tunc non potuisse menti Virginis occurrere omnia virtutum opera cognoscenti; vt de illis consultaret, vnde tenet tunc tantum quando postea cogitauit esse Deo gratissimum.

Respond. quod sicut diuinitùs habuit scientiam infusam, & lumen rationis, sic tale votum potuisse emittere, & cognouisse virtutes, non est inconueniens præcipuè operanti; & modo Angelico cognoscenti sine formali discursu. Et si ex communi Theologorum sententia potest peccator auxilio gratiæ sic illustrari, vt statim eliciat actum contritionis; cur non sic illustrari potuit Beatissima Virgo, vt statim Deum summè diligeret, & tali actu veneraretur.

296 Vnde duo instantia rationis possumus excogitare vnum illustrationis, & cognitionis, secundum emissionis voti. Et sic ex tunc dicere poterat illud Canticæ *Dilectus meus mihi, & ego illi qui pascitur inter lilia*,

K *donec*

donec aspiret dies. Ideſt, ſicut ille me præuenit in hoc momento innumeris gratijs, & priuilegijs amore ardentiſſimo; ſic ego viciſſim illi adhæſi amore indeficiente, vt paſcatur inter meæ puritatis lilia.

297 Dico XXX. Beatiſſimam Virginem interrogaſſe Angelum *Quomodo fiet iſtud*. Licèt ſciret, vt ait S. Ambroſius libro 2. in Lucam, quod Mater Meſſiæ futura erat Virgo, & ex annunciatione Angelica colligere potuit verum eſſe Meſſiam illum, quem ipſa conceptura erat.

Vel primo, quia vt ait Beda in caput primum Lucæ; ordinem videlicet obſequij cui ſubdebatur inquirens, non ſignum cui credat tetigerat. Non decebat electam generando Deo Virginem dubia diffidentia; ſed prudentia cautam exiſtere, quia nec facile poterat homo noſſe myſterium, quod in Deo manebat à ſæculis abſconditum; Quia ergo legerat: *Ecce Virgo concipiet, &c.* Sed quomodò id fieri poſſet non legerat, meritò credula ijs, quæ legerat ſciſcitatur ab Angelo quod in prophetia non inuenit.

298 Vel ſecundo. Quia ſic Domino diſponente expediens erat, vt ex tali interrogatione clarius innoteſceret fidelibus Virginitate ſeruata eam peperiſſe, de ea enim non fecerat mentionem Angelus; cui opinioni ſubſcribit Chryſoſtomus à Purificatione de verbis Dominæ cap. 29. dicens: quod omnis interrogatio non eſt propter dubitationem, quemadmodum patet in Chriſto Domino interrogante Philippum, vnde empturi eſſent panes, & ſic concludit, quod Virgo Sanctiſſima non dubitauit, neque de facto, neque de modo; ſed ſolùm ad noſtram inſtructionem quæſiuit. Suffragantur etiam Albertus Magnus ſuper *Miſſus eſt* cap. 149. & Suarez tomo 2. in 3. partem diſp. 6. ſect. 2.

299 Porrò erat tàm ſublimis excellentia Virginis noſtræ Dominæ, vt ipſi Imperatrici tamquam nobiliori teſtimonio comprobanda eſſet; vel quia interna Beatiſſimæ V. M. puritas, & propoſitum meliori modo quàm per ipſam non poterat oſtendi cum Angelus non agnoſcat ſecreta cordium niſi Deo reuelante.

Hinc agnoſce Beatiſſimam V. M. habuiſſe affectum quodammodò infinitum erga puritatem, quia cum ex vna parte ei offereretur dignitas maternitatis Dei, quæ eſt infinita noluit acceptare, niſi pacto ſeruandæ puritatis intercedente.

300 XXXI. Quod licet multi ſeruauerint Virginitatem ante Beatiſſimam Virginem, vt teſtatur D. Hieronymus libro primo contra Iouinianum poſt num. 30. Ioſeph de bello Iudaico libro 2. cap. 7. Plinius libro 5 cap. 15. & Baronius in ſuo apparatu; tamen ex voto eam ſeruaſſe nullum ante B. V. ex ſcripturis non conſtare, vt habet Suarez tomo 2. in 3. partem diſp. 6. ſect. 3. Vndè fuit prima, quæ in effectu ſaltèm eminenti ſuam virginitatem Deo vouit. Hinc Rupertus in illud Canticæ cap. 3. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum delicijs affluens*: ait: *Princeps per hoc deſertum aſcendit, quia ad ſingularem inter fœminas excellentiam excreuit; quæ prima omnium omnipotenti Deo immaculati cordis, & corporis Sacrificium ſtuduit offerre*. Similiter S. Ambroſius libro de inſtitut. Virginum cap. 15. *Egregia Maria, quæ ſignum Sacræ Virginitatis extulit, & intemeratæ integritatis pium Chriſti vexillum leuauit, & omnes ad cultum Virginitatis Sancta Maria aduocantur exemplo*. Sic & Venerab. Beda in caput primum S. Lu-

Lucæ, & Albertus Magnus super Missus est cap. 82. apud S. Antoninum 4. parte titulo 15. cap. 20. §. 10. ait: *B. Virgo est mater omnium in Virginitate quia prima sine præcepto, sine consilio, sine exemplo gloriosum Virginitatis munus Deo obtulit; & per votum Virginitatis ab ea emissum opprobrium Virginitatis abstulit, quia maledicta in lege dicebatur sterilis, & eam in se consecrauit, & sic omnes Virgines per imitationem sui genuit*. S. Epiphanius hæresi 87. eam vocat Virginitatis coronam. S. Cyrillus Alexandrinus homil. 6. contra Nestorium. S. Petrus Chrysologus sermone 143. *Reginam totius castitatis, quia Virginis decus, & matris pertulit dignitatem*. S. Bonauentura in Lytanijs. *Virginum signifera* In speculo cap. 2. *Primitiua Virginum* à S. Bernardo sermone in *Signum magnum*. Et tract. de passione Domini cap. 31. *Virginum, & Virginitatis primiceria*.

301 Propterea inquit Suarez loco citato velut Magistra huius virtutis dicitur. Hæc veritas innuitur ex illo loco Psal. 44. *Adducentur Regi Virgines post eam*, & ex illo Canticæ cap. 2. *Vox turturis audita est in terra nostra*, idest, vt aduertit Ludouicus à Ponte in Cantic. exhort. 25. §. 4. tomo 1. *Hortus conclusus dicitur, & emissiones eius paradisus malorum punicorum, quia eius exemplo tot Virgines tàm mares, quàm fæminæ Deo suam Virginitatem dicarunt, & deinde in hoc exilio paradisum ammissum quodammodo reinuenerunt*. Vt habet S. Ambrosius libro de institut. Virginum cap. 17. & Chrysostomus libro de Virg. cap. 12. *Et benè malis punicis comparatur, quia intus dulcedine cælesti cum rubore charitatis, & candore puritatis sunt pleni; exterius verò cortice subamaro mortificationis sensuum præseferunt*. Vide Vasquez tomo 2. in 3. partem disput. 124. & Nicolaum Riccardum sermone 11. in Litanias subtiliter expendentem illud D. Ambrosij lib. 2. de Virginibus. *Sit vobis tanquam in imagine descripta Virginitas, & vita B. Mariæ de qua velut in speculo refulget species castitatis, & forma virtutis*.

302 Dico XXXII. Dictum ab Angelo B. Virgini M. *Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obrumbrabit tibi*. Quia vt ait Beda, *Non virili, quod non cognoscis semine, sed Spiritu Sancto quo impleris opere concipies: erit in te conceptio, libido non erit, concupiscentiæ non erit æstus, vbi vmbram faciet Spiritus Sanctus*. Sic & Salazarus in caput 8. Prouerbiorum numero 119. & in cap. 30. num. 76. vnde elicit eximium encomium S. Ioseph in hoc, quod Spiritus Sanctus instar fratris S. Ioseph mortui per Virginis votum suscitauit illi prolem.

303 Obijcies ergo Christus Dominus potest dici filius Spiritus Sancti, quod in Concilio Toletano II. vetitum est.

Respond. non sequi, quia ad hoc requiritur similitudo naturæ, quæ non est inter Christum, & Spiritum Sanctum, nisi secundum diuinitatem, non autem secundum humanitatem: vndè solùm dicitur, quod compensauerit vices viri, nec se habuit, vt Pater generans, sed vt creator, & Author supernaturalis; vt habet Suarez tomo 1. in 3. partem disput. 49. sect. 1.

304 Probatur secundò, quia tantum diuinitatis communicatum fuit Virgini, vt necessarium fuerit vmbraculum, tum vt ipsa sustinere posset, tum etiam ne vt supremum numen adoraretur. Idcircò fuit necessarium vmbraculum Spiritus Sancti, idem velamen fidei, vt testatur Dionysius.

305 Tertio per illa verba *Superueniet*

niet in te indicatur, quod iam ante venerat, vnde Iacobus de Valentia in *Magnificat*, ait: *Per primum quod dicitur scilicet Spiritus Sanctus superueniet in te, denotat quod Spiritus Sanctus iam antea venerat; nam superuenire supponit ante venire, per quod denotatur, quod Spiritus Sanctus iam venerat in Mariam in instanti suæ creationis, & animationis, quia illa Sanctissima anima simul fuit creata, & sanctificata, & corpori infusa.* Sic & S. Athanasius supra relatus. *Spiritus Sanctus descendit in Virginem cum omnibus suis essentialibus virtutibus, quæ illi per rationem principatus diuini adsunt.*

306 Quarto vt innuatur occultissimum fuisse modum quo Verbum diuinum carnem assumpsit. Vndè D. Bernardus homil. 4. super *Missus est* habet: *Quia res nimirum in Sacrario erat, & quod sola per se Trinitas in sola, & cum sola Virgine voluit operari, soli datum est nosse, cui soli datum est experiri.* Sic & D. Bernardinus Senensis tom. 1. conclus. 61. cap. 12. & Venerabilis Beda.

307 Dico XXXIII. Per illa verba dicta ab Angelo Beatissimæ Virgini: *Ideoque, & quod nascetur ex te Sanctum vocabitur, Filius Dei.* Significari B. V. per superuentionem Spiritus Sancti eleuatam ad altissimam Dei similitudinem. Vndè S. Bernardinus Senensis tom. 1. concl. 61. cap. 12. ait: *Quod fœmina conciperet, & pareret Deum est, & fuit miraculum, oportuit enim, vt sic dicam, fœminam eleuari ad quamdam æqualitatem diuinam, per quamdam quasi infinitatem perfectionum, & gratiarum, quam creatura nunquam experta est. Vndè, & credo ad illam abyssum imperscrutabilem omnium Charismatum Spiritus Sancti, quæ in Beatissimam Virginem descenderunt in hora diuinæ conceptionis intellectus humanus, vel Angelicus nunquam potuerint attingere.* Ex S. Athanasio sermone de Annunciatione loco ly *obumbrabit*, habet *imaginabit*, idest *imprimet* specialem imaginem. Idem etiam dicitur in Canticis cap. 4. *Quàm pulchra sunt mammæ tuæ soror mea*: Quod nomen *Soror* sonat similitudinem, pro cuius maiori explicatione.

308 Sciendum quod Spiritus Sanctus non potest dici frater verbi, quia non communicatur ei fæcunditas, vt habent Riccardus Victor. de Trinitate cap. 16. Alexander de Ales D. Bonauentura, & DD. Salmaticenses, Cuniga de Trinitate disp. 2. dubio 20. memb. 9. Sed Beatissima Virgo recepit fæcunditatem adeò eminenter, vt potuerit generare ipsum Dei Filium; Ergo, rectè *Soror*.

309 *Mammæ* etiam spectant ad fæcunditatem; quare quod Christus Dominus non solùm vt homo sed vt Deus matrizaret colligit Salazarus in caput 8. Prouerbiorum num. 12. ex ea ratione, quam adducit S. Augustinus in caput 14. Ioannis, quod Christus non solum in quantum Deus patrizauit, sed etiam in quantum homo, quia Patris æterni referebat mores. Ita (subiungit Salazar) æquum fuit, vt Deus pariter, & homo matrizaret. Abstineo à reduplicatiuis, quia quemadmodum Deus in Christo per communicationem Idiomatum Filius Mariæ dicitur; sic etiam matrizare, idest parentis suæ mores præseferre affirmandum est. Vt igitur non hominem tantùm, sed etiam Deum speciali quadam ratione matrizare diceremus, oportuit, vt Virgo plures Dei proportiones, & conditiones ipsius Dei beneficio haberet, per quas illi, quàm simillima foret. Quare & Anastasius Sinaita libro 6. anag. quæst. ait: *Quomodò potest esse Mater Filij eiusmodi, non ferens illæsam,*

læsam, & integram fatus sui imaginem. Hanc similitudinem cum alijs celebrarunt etiam Sancti PP. præcipuè S. Ioannes Damascenus sermone primo de Natiuitate, vbi ait. *O viua, & diuina Imago Dei, ad quam Deus ipse inuentus est artifex*. D. Bernardus homil. 2. super *Missus est*, ait *Quemadmodum in Gedeonis vellus ros cœlestis descendit, ita Virgini distillantibus cœlis tota se infudit plenitudo diuinitatis*. Vide etiam D. Thomam in opusculo primo cit. & Alcuinus libro 3. de Trinitate cap. 4. sic dicit: *Sicut Conchilij sanguinem suscipit lana, vt purpura ex eadem Imperiali maiestate tantummodo digna fiat, qua nullus alius induatur nisi augusta præditus dignitate; ita Spiritus Sanctus superuenit in B. V. M. & virtus Altissimi obumbrauit ei, vt quasi lana fieret diuinitate purpurata solummodò æterno Imperatore indui dignissima*.

310 Secundo significatur etiam illis verbis Christum Dominum Sanctum futurum, quia sanctè, & sine viro concipiendus erat, vt habent S. Anselmus libro 6. de Conc. Virginali capit. 20. Maldonatus in caput 2. S. Lucæ. S. Leo sermone 5. de Natiuit. S. Gregorius libro 18. Moralium cap. 27. & Venerabilis Beda in caput 2. Lucæ. Vbi aduertendum, quod immunitatem à peccato haberet ex eo quod conceptus est à Virgine. Sanctitatem verò, vltra hoc quod habet vnionem hypostaticam, ad verbum, ex eo quod Spiritus Sanctus superuenit, & ideo eius virtute sanctificatus.

311 Colligit hinc Nouatus quod etiã ex hoc capite habuit Christus Dominus quod esset immunis à peccato originali, licet haberet etiam ex alio capite, nempè per vnionem hypostaticam: vnde B. V. M. posset dicere: ego quantum in me fuit cooperata sum, vt sine peccato originali conciperem, dum volui salua Virginitate concipere, ita conueniebat, vt Filius posset dicere Matri, & ego cooperatus sum per merita mea, vt tu quoque sine labe peccati originalis concipereris.

312 Tertio significatur, quod Christus Dominus ex hoc speciali capite quod erat Filius Mariæ Filius Dei agnosci poterat, quod datur intelligi per illam causalem: *Ideoque, & quod nascetur ex te Sanctum*, tanto amore inflammandam fore, vt si per impossibile ille futurus non fuisset Filius Dei, & fuisset in potestate Virginis illum Filium Dei constituere talem liberalissimè constitueret; quemadmodùm in excessu dixisse legitur S. Augustinum.

313 Quarto notanter dicitur *Filius Dei* & non Patris æterni (quia ex opinione quorundam recentiorum admittentium Christum Dominum ratione vnionis hypostaticæ esse filium totius Sanctissimæ Trinitatis, venit quod non sit Filius solum Patris æterni; sed quidquid sit de hac opinione de qua plura doctè, & subtiliter habēt Suarez tomo 2. in 3. partem disput. 49. sect. 1. Vasquez tom. 1. in 3. partem disput. 89. numero 85. & Nouatus prima parte capit. 7. quæst. 31.) Quia probabilior apud me est opinio affirmans Christum vt hominem non esse filium naturalem totius Trinitatis, vt habent D. Thomas 3. parte quæst. 30. 32. artic. 3. Alb. in 3. dist. 4. art. 4. & Alexander 3. parte quæst. 8. membro 3. de qua Ioannes de Lugo disput. 31. sect. 2. & quia non vacat modo prædicta explanare, puto dicendum idcircò dictum *Filium Dei*, quia re vera Christus vt homo est Filius naturalis Dei ratione generationis æternæ, qua procedit à Patre,

quæ

quæ æterna generatio vnita humanitati constituit hominem Filium Dei; vndè non fuit necesse, vt expresse nominaretur Filius æterni Patris, quia cum ratione solius generationis æternæ Christus vt homo sit Filius naturalis Dei infertur, quod si Persona Patris, vel Spiritus Sancti assumeret humanitatem, tunc illum hominem non fore Filium Dei. Vndè satis indicatur per ly *Filium Dei* filiatio Patris æterni.

314 Dico XXXIV. Ideo dictum ab Angelo Beatissimæ Virgini. *Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit Filium in senectute sua.* Ne, vt ait Venerabilis Beda hìc, Virgo se parere posse diffidet audit etiam S. Annam parituram, vt discat omnia Deo possibilia etiam quæ naturæ ordini videntur contraria, & etiam vt mereretur credendo talia narranti, ex illis verbis: *Beata quæ credidisti*.

Secundo, vt etiàm daretur occasio pietatis exercendæ, vndè habes, quantum Deo opera pietatis placeant vt illicò factus homo ad ea Sanctissimam Matrem alliciat.

315 Tertiò, vt intelligatur, quod Deus intuitu Beatissimę Virginis largitus est talem fæcunditatem S. Elisabeth, vt pareret Ioannem quod sonat gratiam. Sic Baeza libro primo cap. 7. §. 51. Præfiguratum, vt habet ipse, in Rubo ardenti, & illæso, viridique manente cum vicinis herbis viridibus, & vegetis plusquam natura ferebat: Sic, & hæc propinqua Sanctissimę Virgini ad nouum reuirescebat partum; Vndè non est peccator adeo bonis operibus sterilis, qui apud Beatissimam Virginem non reuiuiscat ad gratiam. Hinc Ecclesiastici c. 24. habetur *Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini*.

DISPVTATIO VIII.

§. XI.

De consensu præstito à Beatissima Virgine Verbis Angeli.

316 DIco primo quod Verbum diuinum à SS. Virginis consensu Incarnationis executionem pendere voluit.

Primo, quia, vt ait Guillelmus apud Martinum Delrium; *Nolebat omnipotens carnem sumere ex ipsa non dante ipsa, sicut sumpsit ex dormiente Adam vndè formauit Euam ad futura Matris excellentiam non tantum ex ipsa carnem sumere, sed etiam ab ipsa volebat*.

317 Secundo, vt in aliquo prioritatis signo antequam incarnaretur veluti gratitudinis lege multum deberet Virgini. Sic Methodius Martir in oratione in Hypopantem, ait, *Euge quæ debitorem illum habes, qui omnibus mutuatur. Deo enim vniuersi debemus, tibi autem etiam ille debet, proinde qui dixit*: Ho-

Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, *vt is decretum à se promulgatum obseruaret, & alios excederet, omnem Matri, & gratiam, & honorem impendit.*

318 Tertio, quia ostendere volebat, quod sicut vnio hypostatica quæ in ratione doni est omnium maxima, (in ratione doni supernaturalis propriè enim participat esse Dei) à Virginis Mariæ consensu pendebat, ita, & cætera dona, quæ à Deo erant concedenda creaturis. Et vt indicaret, quanti ipsam Virginem faceret, & quàm gratæ illi tantæ Virginis oblationes sic Bernardus ait: *Cęterum quidquid est, quod offerre paras Mariæ commendandum momento, vt eodem alueo ad largitorem gratiæ gratia redeat quo influxit.*

319 Quarto, vt indicaret Redemptionis humanæ opus ab actu humiliationis, & obedientiæ exordiri, sicut damnatio à superbia, & inobedientia; & si ante Incarnationem quodam modo obediuit SS. Virgini Filius Dei, sane multo magis postquam carnem assumpsit.

320 Quinto quia Virgo non solùm Mater Christi, sed etiam Mater nostra futura erat, sicut Christus Pater noster: & in Mysterio Incarnationis quoddam spirituale matrimonium fiebat, vt Christus esset Sponsus, Maria verò sponsa, & sic requirebatur consensus, vndè Psal. habetur *Tamquam Sponsus procedens de thalamo suo*. Hinc Angelicus Doctor 3. parte quæst. 30. art. 1. habet: *Nam per Angeli Annunciationem expectabatur consensus Virginis loco totius naturæ humanæ in spirituali illo matrimonio inter Filium Dei, & humanam naturam*: Sic Idelphonsus sermone 2. de Assumptione: *Hæc est Virgo in cuius vtero omnis Ecclesia subarratur, coniuncta Deo fędere sempiterno creditur*. Imò & D. Bernardus in Cantica habet sic: *Vnus, & vna Adam, & Eua in generatione carnali; vnus, & vna Christus, & Maria in generatione spirituali, ab vno per vnam ruina; ab vno per vnam restauratio*.

321 Sexto ne dæmon gloriaretur amplius per consensum mulieris vicisse genus humanum. Vnde Sanctus Petrus Chrysologus serm. 142. Rectè, & eleganter habet: *Vt homo cursibus eisdem, quibus dilapsus fuerat ad mortem, rediret ad vitam.*

Antiqui pingebant mulierem super humeros duorum Principum brachia extendentem, vt ostenderent concordiæ, & fœderis coniunctionem. Sic dicere possumus quidem per Beatissimam Virginem creatura humana cum diuina firmissimo pacis fędere vnita sit.

322 Hinc agnoscere debemus cum Andrea Hierosolymitano sermone de Assumpt. excellentiam tanti consensus, ait enim ille: *Dixit Deus Fiat lux, & facta est lux; fiat firmamentum cæteraque, & facta sunt. Dixit Virgo* fiat mihi secundum Verbum tuum; *& factum est opus omnium maximum: Dei fiat, fuit imperantis; Virginis fiat, fuit obedientis: Imperatoris Dei fiat sequutum est cœlum operaque reliqua, quæ cęli ambitus complectitur; obedientis Virginis fiat sequuta est admiranda Verbi diuini Incarnatio*. Et vt inquit Mayro: Plus distat Deus, & homo, quàm vniuersum, & nihil; nam ibi est distantia infinita positiuè, & in creatione quamuis ex parte subiecti, dicatur infinita distantia, quia fit ex non subiecto, ex parte tamen creaturæ productæ, quæ habet perfectionem finitam positiuè est finita distantia. Non nego tamen quod Deus, vt causa principalis hanc vnionem hypostaticam produxerit; sed Virginis consensus moraliter influxit.

323 Col-

323 Colligit hinc Nouatus, quod à Virginis *Fiat* aliquo modo anima Christi possessionem visionis beatificæ obtinuit, quatenus nempè ex suppositione diuini decreti executio Incarnationis Dominicæ pendebat à consensu B. V. Mariæ; vnde primo, ex hoc capite videtur quod Christus Dominus aliquid debeat Virgini. Secundo quod à fortiori fiat Mariæ est necessarium, vt quæcumque anima consequatur visionem beatificam.

324 Dico secundo cum D. Bernardino Senensi tomo 3. sermone 6. art. 2. cap. primo quod hæc Virgo Sanctissima in hoc consensu, se obtulit ad illam inæstimabilem mortem, & ad illud ineffabile incendium quo in ipsa Christi Domini conceptione tota fuit succensa. Si enim ante hoc, ipsa, præ cæteris fuit prompta ad exponendum se omni morti, & martyrio propter Deum, quanto incomparabilius in hac hora? quanto magis Virgo cum Christo crucifixa est in hora illius conceptionis. In signum ergo, quod crucifixa crucifixum concepit, ordinauit summa Sapientia quod eodem die Christum conciperet, quo etiam fuit passus, & quod in feriam sextam, tàm conceptio, quàm mors Christi Domini die 25. Martij acciderint, vt colligit Spinellus in Cronol. cap. 11. ex probatissimis Authoribus.

325 Fauet D. Anselmus libro de excellentia Virginis cap. 3. dum ait: *Credidit ergo, & certissimè intellexit* (in hac hora de qua ibi loquitur) *Deum tàm bonum, tàm pium, tàm misericordia visceribus plenum, vt ad terras de cælesti sede descenderet, & homo factus per indebitam sibi mortem genus humanum à perpetua vellet morte, qua tenebatur, eripere*, *Respondens ergo nuncio ait: Ecce Ancilla Domini fiat*. Item S. Birgitta in sermone Angelico cap. 17. habet: *Quod Prophetabant Propheta qualiter Filius Dei pro humani generis liberatione ligandus, flagellandus, ad crucem ducendus, quàm vituperosè tractandus, & crucifigendus: vnde quia ipsos bene nouisse credimus, ideò fides Christiana non dubitet quin Virgo nostra, & Domina, quam ante secula sibi praordinauit in Matrem, clarius hoc sciret.*

326 Probatur primo ex nomine, quod manifestauit Angelus, quod est *Iesus*, quod vt vidimus sonat liberatorem, & Saluatorem, per passionem, & mortem; ergo in ipso Angelus videtur tacitè allicere Virginem ad concurrendum modo particulari, vt re & nomine esset Saluator; qui concursus in eo consistebat, vt pro communi salute morti exponeret, & deuoueret.

327 Probatur secundo ex capite quinto Apocalypsis vbi testatur Ecclesia se vidisse tanquam Agnum occisum in medio throni; nam vt ait S. Petrus Damianus sermone de Natiuitate, Thronum (vterum videlicet intemeratę Virginis) *Felix Thronus in quo sedit Dominator Dominus*. Et S. Ioannes Damascenus *Thronus Cherubinis sublimior*; erat igitur in eo tamquam occisus quia ex vtero Virginis victima morti præparata.

328 Probatur tertio ex Psal. 21. *In te proiectus sum ab vtero*, ex hæbræo habetur: *Expostitius factus sum apud te ex vtero matris meæ*; vbi Salazar in caput 8. Prouerbiorum numero 213. ex quo mater mea in hanc lucem edidit statim exposuit me: & hominibus, & Patri, &c. Et quidem eo spectasse Virginem, ait Cyprianus, cum infantem Iesum recentem natum, è gremio, & brachijs in quibus mollius decubuisset, in præsepe transtulit, & super fænum deposuit, vt iam tunc ex il-

ex illa hora infantem Patri, simul, & hominibus exponeret. Hæc Salazar.

329 Probatur quarto, quia Vterus Virginis assimilatur Sepulchro, ita S. Augustinus libro 4. de Trinitate cap. 5. ait: *Octauo Kalendas Aprilis conceptus creditur, quo, & passus, ita monumentum nouum quo sepultus est, vbi nullus mortuorum positus est, nec ante, nec postea, congruit vtero Virginis in quo conceptus est vbi nullus seminatus est mortalium.* Sic & D. Hieronymus contra Iouinianum exponens illa Verba Canticæ cap.4. *Hortus conclusus fons signatus.* Sic & S. Ambrosius sermone 2 de Parasceue ait. *Beatum corpus Domini Christi, quod cum nascitur vtero Virginis gignitur; cum recedit iusti tumulo commendatur, Beatum plane corpus, quod Virginitas peperit, Iustitia custodiuit; custodiuit illud Ioseph tumulus incorruptum, sicut seruauit illud Mariæ Virginis vterus illibatum; hinc enim viri pollutione non tangitur, ibi mortis consumptione non læditur, vbique Beato corpori defertur sanctitas; vbique virginitas, nouus illud venter concepit, nouus tumulus includit. Virgo ergo Dominica vulua, Virgo est sepultura, quin potius ipsam sepulturam vuluam dixerim; est enim similitudo non parua.* Ex quibus deducere licet, quod si in sepulchro in sindone sanctissima reliquit vestigia Cicatricum, spinarum, Clauorum &c. Sic in mundissima anima, & purissimo corde viuus Simulachrũ perfectius impressit. Quod ex Thoma Brab. libro primo apum cap. 25. p. 8. Cordi martyris Imago Crucifixi sculpta reperta est in corde: etiam similis inuenta est in Corde B. Claræ de Montefalco Thomas Botius libro 14. & libro 15. de Signis Ecclesiasticis tomo 2. Crucis imago miraculose in Indijs Orientalibus impressa cernitur: Si hoc quanto magis B. Virginis cordi, & menti, nam, vt ait S. Bernardus epist. 174. *Quod vel paucis mortalium censent fuisse collatum, fas certe non est suspicari tantæ Virgini esse negatum*; Et Idiota libro 6. *Sanctorum omnium Priuilegia ò Virgo habes in te congesta.*

330 Dico tertio Beatissimam Virginem tunc in consensu Sanctissimæ Incarnationis simul consensisse futuræ Institutioni Sanctissimi Sacramenti.

Certum est enim quod erat doctissima in Sacræ Scripturę lectione ex S. Augustino serm. 9. de Tempore Epiphanio oratione de laudibus B. Virginis. Origiene homil. 6. in Lucam, & Andrea Cretense in oratione de Annuntiatione, vt pote Dauidis filia agnoscebat futuram Institutionem Sanctissimi Sacramenti, nam vt habet Gerson tractatu 9. in Magnificat parte prima intelligebat Sacrificia matutina, & Vespertina, & manducans implebatur bonis huius benedicti Sacramenti, etiam ante conceptionem benedicti fructus ventris sui; post Maria sicut intellexit Filium suum fuisse Agnum, qui occisus est ab origine mundi, & recolens Sacrificium Abelis fruebatur Christo Agno, qui fuit figuraliter occisus. Ergo consentiendo vt fieret caro figuratus in Manna, in Pane propositionis, & in pane subcinericio, simul consentiebat futuræ Institutioni.

331 Probatur secundo; quia dixit Angelus illum regnaturum in domo Iacob, quæ est Ecclesia, per bona, & dona spiritualia, & potior huius regni pars est hoc Sanctissimum Sacramentum: Ergo consentiendo eius regno consentit futuræ institutioni tanti Sacramenti.

332 Probatur tertio, quia Caro Christi caro Mariæ fuit vt habet S. Bernardinus Senensis tom. 1. ser. 61.

dum ait: *Tamen Substantia panis transubstantiatur in solam substantiam carnis, non in diuinitatem, neque in animam, & vt expressius magnificem illam dignissimam, & beatissimam carnem de Virgine gloriosa decisam dico, quia infinitæ nobilitatis eam dignificauit Altissimus*. Et S. Augustinus in Psal: 98. *De carne Mariæ*, ait, *carnem accepit, & ipsam carnem Mariæ nobis manducandam ad salutem dedit*: Ergo sicut voluit pendere ab eius assensu in assumenda hac sanctissima carne, ita credibile est quod, & in distribuenda.

333 Confirmatur quia Beatissima Virgo modo peculiari atque eminenti facta est humanæ saluti cooperatrix: Ergo conueniens erat, vt Sacramentorum præcipuæ Institutioni consentiret, quæ sunt præcipua nostræ salutis instrumenta. Præterea videtur quod aliquo modo Ecclesia hoc doceat, dum ait: *Fructus Ventris generosi*. quasi generositatem eius exprimat in dando consensum, vt talis cibus hominibus indiferenter communicaretur.

334 Probatur etiam auctoritate Patrum; nam S. Epiphanius in summa de laudibus Deiparæ ait: *Aue clibanus intellectualis, qui ignem, & panem vitæ calidum mundo in esum attulisti*. S. Bernardus serm: 2. de Natiuit. *Hæc sunt illa Sata farinæ Eucharisticæ. Felix mulier benedicta in mulieribus in cuius castis visceribus superueniente igne Sancti Spiritus coctus est panis iste*. S. Petrus Damianus Sermone de Natiuit. V. M. *Impar est Mariæ omne humanæ linguæ præconium, quia de intemeratæ carnis suæ visceribus cibum protulit animarum, eum, inquam, qui de semetipso perhibuit: Ego sum panis viuus*. Propterea fortè dictum est à B. Ambrosio de Christo Domino; *Ipse quoque simul Rex, & Sacerdos, Rex videlicet ex Deo Patre, Sacerdos ex Virgine Matre*; Rex à Patre, quia diuinitus vnxit humanitatem in Regem, & Sacerdotem. Nam quando protulit illa verba: Ecce Ancilla Domini cogitabat illum, quem secundum carnem concipiebat, se oblaturum, & in Sacramento, & in Cruce; & ipsum quotidie vt summum Sacerdotem, & supremum Pontificem per manus Sacerdotum in sacrificio offerendum, & quantum in se erat talibus oblationibus consentiebat, & sic hoc pacto quantum in se fuit Sacerdotii affectum in Christum influxit. Idcircò à S. Epiphanio Sermone primo de laudibus S. Deiparæ. *Mariam Virginem Cruciformem dixerim Sacerdotem pariter, & Altare*; Sic explicari possunt Verba D. Petri Chrysologi sermone 140. vbi de Virgine ait. *Ipsius Dei cum carne commercium, pro ipsa domus exigat pensione*. Quæ verba si intelligantur de cõmercio per Eucharisticum cibum, sensus Chrysologi planus est. Quare cum S. Ambrosio Psal. 21. concludo: *Mariam manna dixerim quia est subtilis & splendida suauis, & Virgo, quæ velut cælitus veniens cunctis Ecclesiarum populis cibum dulciorem melle defluxit*.

335 Dico quarto, Beatissimam Virginem præmisisse actum humilitatis consensui. Primo vt executioni mandaret illud Eccl. cap. 3. *Quanto maior es humilia te in omnibus*: nam periculum maximum superbiendi in dignitatibus vt Lucifer, Adam, Nabuchodonosor, Saul, & alij suo exemplo satis indicant.

Secundo; vt secundum quid cum æterno Patre conueniret nam quemadmodum ille intelligendo seipsum, & suas perfectiones illud diuinum Verbum generat; sic, & beatissima Virgo cogitando suam humilitatem, obedientiam &c. eundem concepit. Vel quemadmodum ipse

Pater

Pater æternus genuit eum cognoſcendo etiam futuram humilitatem, & paſſionem Domini noſtri; ſic & B. Virgo eum genuit conſiderando, & imitando eius obedientiam, & humilitatem.

336 Ex hoc enim capite perfectior ſimilitudo habetur inter generantem, & genitum; & SS. Virgo ad generandum filium perfectiſſimum, & ad virtutes optimè diſpoſitum concurrebat. Vndè Chriſtus Dominus non ſolùm ratione Vnionis hypoſtaticæ, & virtutum infuſarum ad actus humilitatis, obedientiæ &c. erat propenſus; ſed etiam ob indolem, tum ratione corporei temperamenti quod à Beatiſſima Virgine habuit, tum ratione optimæ diſpoſitæ materiæ, quam miniſtrauit, tum quia vehementem cogitationem erga illas tempore conceptionis habuit. Eſt enim generantis imaginatio multum conducens ad temperamentum prolis conſtituendum, vt habent Conimbricenſes lib. primo Generat. cap. 4. quæſt. 30. artic: 2. & D. Thomas in 2. ſentent. diſtinct. 20. queſt. 2. artic. 1. ait quod in ſtatu Innocentiæ nati fuiſſent infantes, vel mares, vel fęminæ iuxtà parentum voluntatem; quia tunc corpus perfectè animæ deſeruiſſet. Sic, & prima parte queſt. 93. artic. 2. & hoc ex eo quod imaginanti imprimit imaginem rei vehementer apprehenſæ in ſpiritibus; & cum accidens poſſit concurrere vt inſtrumentum ſubſtantiæ ad producendam ſubſtantiam; ita anima per eſſe intentionale, & per eſſe in affectu rei poteſt producere verum eſſe rei iuxta cognita à generante.

337 Ex his habes Primo, quàm verè dixerit Eſchylus Obedientiam eſſe felicitatis matrem.

Secundo. Gratitudinis affectum erga Patrem æternum; nam ſi, vt ait S. Anſelmus libro de excellentia Virginis cap. 3. loquens de Patre æterno; *Suum tàm vnicum quàm dilectiſſimum & in omnibus omninò æqualem, non eſt paſſus remanere ſolummodò ſuum*. Ita dicere poſſumus quod B. Virgo Filium eumdem ſanctiſſimum, quem vt ait S. Bonauentura ſermone primo de Virgin. tom. 3. opuſc. *Pluſquam ſe ipſam amauit*; Non eſt paſſa remanere ſolummodo ſuum; ſed eumdem ipſum in rei veritate reddidit Patri æterno.

338 Tertio Virginem Sanctiſsimam ex hoc capite cooperatam eſſe, vt facilis, & prompta redderetur Chriſto Domino Paſsio, dum genitus ab ea modo ſupradicto propenſus erat ad obediendum; & ſic veriſsimè eam dicere poſſumus Cauſam noſtræ lętitiæ, & noſtræ ſalutis, ac humanæ Redemptionis cooperatricem.

339 Quarto quàm grata ſit Deo humilitas ſimul, & obedientia, quas cum in ſua maieſtate exercere non poſſet, vtpotè, quæ ſupponunt aliquam inferioritatem; non ſolùm carnem humanam aſſumpſit, vt exercere eas poſſet; ſed etiam ſanctiſsimam Matrem immediatè ante tantam dignitatem eas exercere voluit.

340 Dico quinto Beatiſsmam Virginem annuendo dictis Angeli, vt ait S. Bernardinus Senenſis tomo 2. ſermone 51. artic. 3. cap. 1. plus meruiſſe quàm omnes creaturæ, tàm Angeli, quàm homines in cunctis actibus, motibus, & cogitationibus ſuis, quia iſti meruerunt tantum ſecundum varios ſtatus, & gradus gloriam ſempiternam. Hæc autem Virgo in illo admirando conſenſu meruit totalem fomitis extinctionem, dominium, & primatum totius orbis, plenitudinem omnium gratiarum.

Ratio eſſe poteſt ratione oblationis

quam fecit tunc tanti Filij pro salute generis humani; & ratione charitatis, quæ licet fuerit finita, tamen nescio quid infinitatis habuit, quatenus obtulit filium, qui verè erat suus, & infiniti valoris; sed nulla creatura habuit filium suum infiniti valoris. Ergo, &c. Meruit etiam per alios actus virtutis; vndè S. Anselmus de excellentia Virginis exclamat. *O humilitas grata! ò fides Deo accepta! ò obedientia omni sacrificio iucundior Deo oblata. Quid igitur quod venientis Dei oculos offunderet, in illa poterat residere in qua tantarum virtutum insignia veniens inuenit redolere.*

341 Secundo meruit de congruo seu ex quadam decentia humani generis salutem Salazar in prouerb. cap. 3. num. 178. vndè S. Bernardinus Senensis ait tomo 3. sermone 6. artic. 2. cap. 2. *Virgo per hunc consensum in Incarnationem filij omnium electorum Salutem visceroſissimè expetijt, & procurauit, & omnium Saluti, ac saluationi per hunc consensum se singularissimè dedicauit, ita vt ex tunc omnes in suis visceribus baiularet tamquam verissima Mater filios suos. Quod innuit Dauid in* Psal. 126. *Ecce hæreditas Domini filij merces fructus ventris.* Vndè & S. Petrus Chrysologus sermone 140. in fine ait. *Quantus sit Deus satis ignorat ille, qui huius Virginis mentem non stupet, animum non miratur, pauet cælum, tremunt Angeli, creatura non sustinet, natura non sufficit, & vna puella sic Deum in sui pectoris capit, recipit, oblectat hospitio, vt pacem terris, cælis gloriam, salutem perditis, vitam mortuis, terrenis cum cælestibus parentelam, ipsius Dei cum carne commercium, pro ipsa domus exigat pensione, pro ipsius vteri mercede conquirat, & impleat illud Prophetæ: Ecce hæreditas Domini, filij merces fructus ventris.* Tertullianus etiam libro de Carne Christi ait: *Crediderat Eua serpenti, credidit Maria Gabrieli; quod illa credendo deliquit, hæc credendo deleuit.* Sic etiam S. Ioannes Damascenus oratione prima de natiuitate: *Denique satis explicari nequit quod admirabilem gratiam receperit præstando dicto consensu.* Vndè & S. Petrus Damianus serm. de Annunciatione hæc habet. *O venter diffusior cælis, terris amplior, capacior elementis, qui totum claudit omnia concludentem, in quo Deus gloriæ reclinatur.* Denique Angelus ait: *Aue gratia plena dominus tecum*, quia à Deo electam, & præelectam totam iam rapturus erat Spiritus Sanctus, & cælestibus insigniturus ornamentis.

DISPV-

DISPVTATIO IX.

§. XII.

De Sacrosancto Incarnationis Mysterio vt in vtero Beatissimæ Virginis peracto.

342 Dico primo eo momento quo moraliter fuit completa significatio consensus Virginei Verbum in eius vtero sanctissimo carnem assumpsisse; nam mysterium hoc fuit peractum interueniente collocutione Angelica cum Virgine sanctissima, & sic decuit, quod non perficeretur donec Beatissima Virgo suum consensum Angelo declarasset. Ita Suarez disp. 9. sect. 4. Vnde Beda in hunc locum ait: *Fiat sine viri semine conceptus in Virgine nascatur de Spiritu Sancto integra carne: Sanctum, quod nascetur de homine Matre, sine homine Patre vocetur filius Dei*. Ita Nouatus prima parte Concl. 7. quæst. 33.

343 Non desunt tamen, qui velint eo tempore factam Incarnationem quo Angelus dixit. *Aue Gratia plena dominus tecum*. Ita Petrus Alexandrinus Episcopus libro de Trinitate cuius fragmentum refertur in Concilio Ephesino tomo 2. cap. 7. & in Calcedonensi Act. 1. cum fragmento quodam Concilij Ephesini id expresse asserentis: quare Suarez loco citato, & Vasquez tomo 2. in 3. partem disput. 126. cap. 7. num. 46. adhærere videntur prædictæ sententiæ. Et reuera Nouatus non respondet prædictæ Auctoritati Concilij, cuius Verba sunt hæc: *Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis, tunc videlicet cum Angelus Sacram Virginem eiusmodi oratione salutauit*: Aue gratia plena Dominus Tecum; *hoc est Dei Verbum nunc tecum est, nam illa Gabrielis salutatio Deum Verbum in vtero Virgineo natum, & carnem factum insinuat*.

Subiungit tantum Nouatus, quod verba sequentia Angeli: *Ecce concipies, & paries*, & illa *Spiritus Sanctus superueniet in te, & Virtus Altissimi obumbrauit tibi*, indicant tempus futurum & nondum peractam conceptionem.

344 Cæterum hæc verba explicari possunt duplici modo. Primo, quod Concilia, & Patres intelligunt per illa verba includere totum colloquium Angelicum, erant enim omnia Verba supradicta Angelicæ annunciationis per modum vnius. Secundo modo, quod loquebatur Angelus de re proximè futura, vt de re iam præsenti qui loquendi modus est frequentatissimus maxime apud Prophetas.

345 Dico secundo cum D. Thoma 3. parte quæst. 33. artic. 1. in corpore: Quod formatio corporis Christi Domini, in qua principaliter ratio conceptionis consistit, fuit in instanti.

Probatur ratione virtutis infinitæ agentis, qui fuit Spiritus sanctus. Secundo, ex parte Personæ Filij: non enim

enim erat congruum, vt corpus humanum assumeret nisi formatum: Innuit hoc Ieremias cap. 31. dicens: *Famina circumdabit virum*. Sic & Damascenus sermone 3. Addit tamen Diuus Thomas quod sanguinis congregatio ad locum conceptionis fuit præambula, & non potuit esse in instanti, quia est contra rationem motus localis corporis cuiuscumque, cuius partes successiuè subintrant locum: Ita Suarez tomo 2. in 3. partem disp. 11. sect. 2. concedit motum localem sanguinis antecedentem conceptionem Corporis Christi Domini; vnde quamcumque addensationem necessariam ad figurationem, organizationem, formationem formarum partialium quas admittimus, possumus dicere præcessisse in tempore, vt requirit successio partis post partem, dum illa præstabat consensum per illa verba *Ecce Ancilla Domini*; deinde illam productionem partium, & formarum partialium, animationem, et assumptionem fuisse in instanti.

346 Dico tertio cum D. Thoma 3. parte quæst. 6. art. 2. & quæst. 33. art. 1. & 2. & Concilio Constantinopolitano act. 11. in Epistola Sophronij Antistitis ibi approbata ab Anastasio Papa vt habetur in 2. tomo Concil. & Leone Pontifice Epistola 9. contra Eutichem, vno eodemque momento corpus Christi Domini fuisse organizatum, & animam eius creatam, & corpori vnitam; & est de fide animam, & corpus ita fuisse à Verbo diuino assumpta, vt nec anima prius corpore, nec corpus prius anima fuerit assumptum. Est contra errorem Origenis lib. 2. Periarch. cap. 6. tenentis errorem illum de productione animarum cum productione vniuersi, & animam ipsius Christi Domini prius fuisse verbo vnitam quàm carni ipsius in visceribus Virginis vniretur; qui error damnatus fuit in Concilio Constant. can. 2. & in 6. Synodo in Epistola Sophronij actione 11. recitata, & 13. probata.

347 Dico quarto non repugnare imò probabilissimum esse quod de facto Beatissima Virgo, vt causa instrumentalis à Deo eleuata vnionem hypostaticam effectu attigerit.

Probatur. quia in sermone S. Epiphanij de laudibus Deiparæ dicitur *Clibanus intellectualis huius cibi sanctissimi*, sed calor mediante clibano concurrit effectu, vt perfectè ex aqua, & farina fiat talis vnio per quam prodeat substantia panis vsualis; ergo calor Spiritus sancti mediante vtero B. V. M. tanquam clibano vniuit humanitatem, & diuinitatem in Persona Verbi.

348 Secundo probatur. Esichius homil. 2. de B. Virgine in caput 1. Biblioth. appellat Beatissimam Virginem *Instrumentum Incarnationis*.

Tertio. S. Ambrosius epist. 82. ait; *Per hominem, & mulierem caro eiecta est de Paradiso; per Virginem iuncta est Deo*.

Quarto. S. Bernard. lib. 5. de considerat. cap. 10. *In vtero Virginis* (de muliere fermentante farinæ sata tria, vt sentio ego) *commixtio hæc, & fermentatum facta est: & ipsa mulier, quæ miscuit, & fermentauit, &c.*

Probatur quinto, quia non repugnat, & decens erat Beatisimam Virginem eleuari ad talem concursum; ergo de facto, &c. qui modus organizandi in priuilegio B. V. et Christi Domini admittendus est, vt supra diximus; sic nobiliori et altiori modo apparet ipsa maternitas.

Confirmatur quia cum voluerit à consensu Virginis sanctisimę hoc my-

mysterium pendere verissimum est eam etiam eleuasse, vt tamquam instrumentum ad eam efficiendam concurreret.

349 Obycies primo cum Palatio in 3. dictinct: 4. disput. 11. non concurrit ad animationem; Ergo nec ad vnionem.

Obycies secundo: Non habuit esse diuinum in sua potestate; ergo non potuit facere, vt per subsistentiam diuinam subsisteret natura humana. Huic secundæ obiectioni adhæret Medina quæst. 30. artic. 4. in 3. parte. Sed

Respond. ad primum; quod Mater concurrit ad animationem esto non concurrat ad producendam animam.

Ad secundum; quod est verum de causa principali, non verò de causa instrumentali, nec est verum vniuersaliter, quod habens efficaciam in vnionem debeat etiam habere efficaciam in extrema ynita: nam homo habet efficaciam in vnionem animæ cum corpore, & tamen non habet efficaciam in animam nam vnio hæc est aliquid creatum. Ergo quemadmodum per sacramenta in sententia multorum physicè in genere causæ instrumentalis producitur gratia iustificans, quæ facit hominem amari à Deo; & sic fit ex Dei dignificatione vt creatura communicet diuinum affectum quod videtur continere difficultatem, ergo similiter poterit fieri, vt creatura instrumentaliter concurrat ad ipsam vnionem hypostaticam per quam subsistentia diuina communicetur naturæ humanæ.

350 Obycies Tertio. Ad maternitatem non requiritur peculiaris concursus ad ipsam subsistentiam sed ad vnionem partium. Ergo.

Resp. non poni a nobis hunc influxum ad saluandam maternitatem; sed ad hoc vt nobiliori, & altior modo ponamus attigisse ipsum Deum vt decens erat; vndè siue ponantur in eo instanti Incarnationis partes fuisse prius vnitas Verbo, quam inter se; siue ponantur fuisse prius vnita inter se quam verbo semper manet nullam inuoluere contradictionem quod ipsa Sanctissima Virgo fuerit eleuata ad hoc vt effectu instrumentaliter tamen concurreret ad tam sublime mysterium.

351 Dico quinto probabile esse quod Beatissima Virgo in Cõceptione sui Sanctissimi Fili; nisi diuinitus inuita detenta fuisset præ nimio gaudio obysset; innuit hoc S. Proclus apud Botium libro 9. de signis Ecclesiæ cap. 7. dum ait: Hic animatus naturæ rubus quem diuini partus ignis non consumpsit. Ratio est quia præ maxima lætitia anima Spiritus, & sanguinem refundit ad partes externas, vt habet Alex. libro primo Problem. quæst. 13. & potest esse talis vt cor destituatur virtute necessaria ad conseruandam vitam; sic narrat Gellius libro tertio noct. Atticarum capite 15. accidisse Diagoræ Rhodio, eo quod tres filii eius vna die coronam reportarint, Primus in ludis Olimpiæ in arte pugillari, Secundus in certamine gymnico quod Pancratius appellabatur, & Tertius in luctando: sic de duabus fæminis extemplo mortuis in conspectu filiorum, quos mortuos esse audierant, Liuius lib: secundo decad. 3. Valer. Maxi. lib. 9. cap. 12. sic & Clidemius Atheniensis dum victor ab histrionibus excipiebatur, & auro coronabatur.

352 Dico Sexto diuino consilio Angelum siluisse post prolata à Sanctissima Virgine illa Verba; *Ecce ancilla domini Fiat*.

Primo

Primo, vt intelligatur quod *Fiat* Beatissimæ Virginis est tantę efficacitatis, vt semper secum trahat *& Factum est*. Idcircò aduertit S. D. Augustinus libro primo de Genesi ad literam cap. 3. & 5. haberi immediatè post *Fiat lux, facta est lux*; in secundo verò die quædam mora, & verborum multiplicatio: *Fiat, & fecit Deus, Et factum est ita*, vt intelligamus istas naturas ad obediendum minus aptas.

Secundo quia facta mater Dei, vt peccatoribus subueniret, ideò opportuno tempore hoc explicandum, quando scilicet ad montana perueniens salutem attulit S. Ioanni Baptistæ. Huc arridet illud.

Peccatores non abhores.

Et D. Anselmus cap. 12. de excellentia Virginis eam alloquens cum fiducia, pro salute peccatorum matrem Dei factam esse ostendit.

DISPVTATIO X.

§. XIII.

De itinere, & Salutatione Sanctissimæ Virginis ad Sanctam Elisabeth.

353 GErson tractatu primo in *Magnificat* parte 4. §. sensum bonum. habet: *Exurgens Maria abijt in Montana cum festinatione; Vndè precor exurgens, si non à somno quodam non tàm sensuali quam spirituali, & hoc in contemplatione*; cui arridet illud Canticæ cap. 3. v. 5. *Adiuro vos filiæ Ierusalem ne suscitetis neque euigilare faciatis dilectam*. Cuius occasione sciendum est, contemplationem Beatissimæ Virginis in hac vita fuisse eminentiorem quacumque exstasi cuiusuis Sancti; sic D. Bernardinus tom. 4. sermone 36. pag. 3. ait *Ideo merito* gratia plena *in contemplando Deum, & cuncta creata plusquam Paulus Apostolus raptus in tertium cælum sine comparatione, quia si essent tot Pauli quot sunt creaturæ, non attingerent suum contemplari; nam Paulus fuit vas electionis, Virgo Maria vas diuinitatis*; Quæ eminentissima contemplatio fuit sine deliquio partis sensitiuæ, vt bene notat Benzonus in Magnificat libro 2. cap. 10. disp. 13. Primo quia denotat aliquam infirmitatem in parte sensitiua. Secundo, quia nec apud crucem passa est huiusmodi deliquium, iuxta probabilem Doctorum sententiam.

354 Disce ex hoc, non solùm vacandum contemplationis; sed etiam saluti animarum; nam vt habet S. Gregorius homil. 12. *Nullum omnipotenti Deo, tale est sacrificium, quale est Zelus animarum*. Et Cyrillus Cathech. 14. *Descendit Paulus iterum, non quod dignus non esset conuersatione calesti; sed vt gustatis supercalestibus descendens Christum prædicaret*. Hoc posito.

355 Dico primo Beatissimam Virginem cum festinatione abysse in montana propter multa.

Primo, vt rem gratam Filio præstaret, qui cum, vt ait Apostolus ad Romanos cap. 1. *Prædestinatus sit Filius*

Dei

Dei in virtutem secundum Spiritum sanctificationis; valdè propensus erat ad sanctificandas animas.

356 Secundo, vt indicaretur, quàm ardenter animarum salutem amabat; nam vt habet Plato in conuiuio: *Parum diligis, si multum quiescis*. Sic Hugo libro de Charitate: *Citò pergere est ardenter amare; per charitatem viam eligis, per charitatem viam curris*.

357 Tertio, vt nos doceret perfectam misericordiam celerem esse debere; vnde S. Petrus Chrysologus sermone 3. *Tardam misericordiam nescit Pater*. Sic Zaccheo *festinans descende*. Sic Abraham Gen. cap. 18. *festinauit in occursum eorum*, & dixit *accelera tria sata &c.* Et ad armentum cucurrit. Sic Lucæ cap. 15. Pater *accurrens cecidit super eum*. Sic Rebecca Genesis cap. 24. *celeriter deposuit hydriam, & dedit ei bibere*.

358 Quarto, vt doceat nos; quàm graue malum sit mora in peccato, dum sic celeriter accurrit ad subleuandum Ioannem Baptistam: quare D. Bonauentura in speculo cap. 4. ait: *Ruth interpretatur videns, & festinans, & signat Beatam Virginem, quæ vere videns in contemplatione, & benè festinans fuit in actione; videns etiam nostram miseriam, & festinans ad implendam suam misericordiam*. Et in Canticis habetur. *Duo vbera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli*. Quia capra acutissima visu, & velocissima in cursu. Sic B. Virgo.

359 Quinto vt ait D. Bonauentura in caput primum Lucæ: *Spiritualiter datur nobis intelligi, quod est ei necessaria festinatio, qui vult perfectionem attingere*; vnde ad Hebræos cap. 4. *Festinamus ingredi ad illam requiem*.

360 Disce hinc currere ad opera misericordiæ neque enim potes dicere cum Alexandro Magno, vt refert Plutarcus in Apopht. *Currerem si essent Reges*. Habes enim Reginam Angelorum accurrentem ad inferiorem se.

Disce secundo, quod si accurrit non rogata quid faciet rogata: Vnde à D. Bonauentura *fomes pietatis* appellatur, & propterea fortasse dicitur in epistola ad Galathas, quod *misit Deus filium suum factum ex muliere*; vt ostenderet quod licet filius Dei potuisset mundum redimere, licet non fuisset natus ex muliere, tamen voluit habere hanc Sanctissimam Matrem, vt semper excitaret nos ad opera pietatis, & extimularet diuinam bonitatem ad elargiendam nobis gratiam.

361 *Discite hinc* (ait Ambrosius) *Virginis humilitatem Mariæ, venit enim propinqua ad proximam; iunior ad seniorem; nec solum venit, sed & prior salutauit: vndè sequitur*, & salutauit Elisabeth: *decet enim, vt quantò castior Virgo, tantò humilior sit, non vereatque deferre senioribus, sit magistra humilitatis, in qua est professio castitatis*. Vide quam humillima in factis apparet; dixerat enim se ancillam Dei, & neque hoc contenta, statim fit ancilla creaturæ, imitata exemplum eius magni Regis, quem gestabat in visceribus, qui de se ait, *non veni ministrari, sed ministrare*.

362 Dico secundo cum Nonato, cui fauet Vincentius Regius in suis dilucidationibus libro primo cap. 6. quod hæc ciuitas Iuda erat Hebron; seù Chebron, seu Cariatharbe.

Probatur ex Iosue; vbi hæc dicitur Sacerdotalis Ciuitas in tribu Iuda, vndè cum esset Zacharias Sacerdos, & habitaret in Ciuitate Iuda potest esse hanc fuisse ciuitatem; affert Vincentius Regius distinctionem inter Hebron, & Hierusalem, quam Baronius in apparatu excepta Hierusalem, vocat nobiliorem in tali loco, vt scribit Sozomenus lib. 2. histor. cap. 3. erat conuallis mambre, & antiqua illa quercus vbi Abraham hospitio suscepit

scepit tres Angelos: Vbi apparet quàm grata sint Deo opera misericordiæ, vt factus homo, & ipse in eodem loco tàm grandia Misericordiæ opera exerceat.

363 Dico tertio cum Isolano 2. parte cap. 6. D. Bernardino serm. de S. Ioseph artic. 2. cap. 1. P. Salmerone tom. 3. tract. 10. Suarez disput. 13. & Petro Morales in caput primum S. Matthæi lib. 4. tract. 1. concl. 6. cum Beatissima Virgine S. Ioseph abiisse in Montana ad visitandam S. Elisabeth. Sic enim exigebat amor coniugij, & decentia, ac modestia Sanctæ Virginis. Quod verò Euangelistæ siluerint hoc est, quia multa silentio prætereunt, quæ facili consequentia deducuntur; neque enim altiora mysteria scrutantes necesse erat omnia vrbanitatis, & affinitatis officia indagarent.

364 Dico quarto à Beatissima Virgine prius fuisse salutatam S. Elisabeth, quam Zachariam, esto esset Sacerdos, quia præcipuè venit, vt cooperaretur Sanctificationi S. Ioannis Baptistæ (vt habet S. Bernardinus Senensis sermone de S. Ioseph artic. 2. cap. 1.) *Noluit ne quidem per breuem moram talem salutationem retardare, agnoscens periculosissimum esse etiam per momentum in peccato immorari*. Secundo: Vt quàm citissimè diuinæ inspirationi obtemperaret iuxta illud Cantic. cap. 2. *Surge propera amica mea columba mea*. Docens nos in diuinis inspirationibus quamcumque breuissimam moram esse periculosam.

365 Dico quinto Salutationi B. Virginis tribui exultationem Ioannis Baptistæ. Primo, quia filius se honoratum satis (dum matrem vidit se honoratam) reputat: Vndè Arnoldus Carnotensis tractatu de laudibus Virginis; ait: *Quicumque Iesu curuat genu, Matri quoque pronus supplicat, & filij gloriam cum Matre non tàm communem reputo, quàm eandem*. Sic & Rupertus libro 6. in Cant. *Sic te honoramus atque censemus, vt vere Dei genitricem, scientes quàm totus honor impensus matri, procul dubio redundat in filium*. Sic & S. Hidelphonsus in libro de illibata Virg. cap. 12. *Si refertur in dominum, quod seruit ancilla, sic redundat ad filium, quod impenditur Matri*.

366 Secundo, vt cognosceretur quod Beatissima Virgo est veluti fons à quo in homines verum gaudium effluit; vnde inter homilias Alcuini, vna incerti Auctoris habet: *Tu nunquam sine dulcedine tibi diuinitus insita pia memoria portas ingrederis*. Sic S. Ioannes Damascenus orat. prima de dormitione: *Sufficit his, qui tui memoriam piè vsurpant pretiosissimum memoriæ tuæ donum, quippe quæ huiusmodi lætitiam pariat, quam nullus recipere possit. Quanam enim voluptate, quibus bonis non impletur, qui mentem suam Sanctissima memoriæ promptuarium efficit*. Sic in Reuelationibus S. Birgittæ lib. 1. cap. 9. habetur. *Cum anima mea sanctificaretur, & corpori coniungeretur tanta matri mea aduenit lætitia, vt impossibile esset dictu*. S. Petrus Damianus: *Si sic dulcis est Memoria, quid erit præsentia*. Figura huius fuit Arca in domo Obededom recepta per tres menses, quæ repleuit domum illam omnibus bonis, & benedictionibus.

367 Tertio, vt cognosceretur animarum iustificationem sequi Virgine annuente; licet enim à Christo Domino, vt à capite omnis gratia prouenit, tamen omnes viatoribus distribuendam Christus Dominus matri suæ consignauit; Vndè Eccles. cap. 24. *In me omnis gratia viæ*. Sic & ab Ecclesia, *Mater diuinæ gratiæ* dicitur. Imò S. Ioannes Damascenus orat. 2. de Natiuit. ait. *O quàm B. Domus Dauid,*

ex qua

ex qua prodijsti, & venter in quo Deus Sanctificationis arcam, hoc est, eam à qua ipse sine semine conceptus est, fabricauit. S. Epiphanius lib. 3. hæres. 79. ait: *Non permisit Deus B. Mariæ dare baptisma, non benedicere discipulos, non imperare in terra iussit, sed solam ipsam sanctificantem esse voluit*. Hinc rectè S. Cyrillus Alexandrinus dixit homil. 5. *Per quam gentes ducuntur ad pænitentiam*.

368 Dico sexto S. Elisabeth repletam Spiritu sancto statim celebrasse laudes B. Virginis; Quia excitatio ad talem deuotionem est vnus ex præcipuis effectibus, quos operatur illapsus Spiritus sancti in nobis, vtpote qui suo illapsu nos prætendit sanctiores reddere; & vt habetur Eccl. cap. 3. *Sicut qui thesaurizat, ita qui honorificat Matrem suam*.

Secundo; quia Spiritus sanctus est vnicus magister talis deuotionis, & laudis; vndè S. Ioannes Damascenus oratione 2. de Natiuitate ait: *Virgo omnium encomiorum legem excedit: nec si omnes in toto orbe dispersa lingua in vnum coeant, eius laudes ratione consequi possent*. Hinc lingua, quæ eam est celebratura à Spiritu sancto est instruenda.

369 Dico septimo Beatissimam Virginem verè, & propriè dici Matrem Dei, & est de fide definitum in Concilio Ephesino, & Chalcedonensi 6. Synodo act. 4. & 11. & in 7. act. 4. & 7. & in Lateranensi sub Martino V. quod colligitur.

Primo ex illo *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel*; & S. Lucæ cap. 1. *Vocabitur filius Dei*; Et ex hoc dicto S. Elisabeth: *Vndè hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me*. Nam *Nomen Domini indicat diuinitatem*; vt ait S. Ioannes Damascenus libro 3. de fide cap. 12. non tamen potest dici Domina diuinitatis, vt ait S. Thomas in 3. dist. 4. quæst. 2. artic. 2. ad 2. nam in modo loquendi deitas significat naturam diuinam in abstracto.

370 Obijcies: Actio Virginis fuit tantum terminata in humanitate, & ex vi vitalis actionis non assumpsit Deus humanitatem; nec connaturaliter erat debita talis assumptio: Ergo nullo modo officit vt Deus esset homo; ergo non potest dici Mater Dei.

Respond. quod prius prioritate naturæ, & quasi formali anima, & Corpus Christi Domini fuerunt vnita Verbo, quàm inter se; quare actio, qua B. V. M. vniuit illa inter se est terminata ad Deum, tamquam ad terminum intrinsecum, quia terminata est ad compositum ex partibus iam vnitis hypostaticè Deo; consequenter ipsa actio habuit Deum tamquam terminum intrinsecum. Vndè potest verè dici illud Ps. 144. quòd iã alibi dedimus. *Generatio, & Generatio laudabunt me*; id est æterna & temporalis. Nam vt ait S. Augustinus serm. 20. *Dei filius pro Redemptione hominum homo factus est, vt caro per carnem liberaretur*. Et paulo post. *Igitur in cælo qualis Pater, talis filius, in terra qualis Mater, talis est secundum carnem filius*.

371 Dico octauo Dignitatem Matris Dei non esse excellentiorem gratia sanctificante, seu dignitate filiationis adoptiuæ.

Probatur cum Suarez volente quod solum maternitas Dei accepta cum omnibus donis, & priuilegijs quibus comitatur, sit præstantior dignitate gratiæ adoptionis, non verò si solitariè sumatur, vt præscinditur per rationem ab ornamentis gratiarum quibus associatur.

Fundatur primo hæc opinio in eo quod Patres SS. dicant B. Virginem beatiorem fuisse mente, quàm ven-

tre, & fœlicius Deum gestasse corde, quàm carne: ergo dignitas Matris Dei non est excellentior gratia adoptante. Quod sapientia Incarnata confirmare voluisse videtur, dicens: *Quinimò beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*.

Secundò quia si Dei Maternitas esset excellentior gratia adoptiua, seù sanctificante, illa solitariè sumpta etiam conferret sin formaliter, saltem eminenter sanctitatem. Rursus induceret incompossibilitatem cum peccato, & faceret se sola Mariam Deo gratam, & amicam, ac æterna vita dignam: Quod est hactenus in Theologia inauditum.

372 Affirmatiuam tamen partem sustinere cum multis teneor, quod scilicet Dignitas Matris Dei antecellat dignitate gratiæ adoptantis. Ratio est conuincens; quia perfectio superioris ordinis etiam solitariè sumpta præit cuiuis perfectioni ordinis inferioris, nam secundum Theologorum maximam ex Diuo Dionysio depromptam supremus infimi ordinis solùm accedit ad infimum supremi; sed infimus supremi ordinis; excedit supremum infimi ordinis. At verò maternitas Dei est ordinis superioris ad dignitatem filij adoptiui, cum ingrediatur ordinem hypostaticum, & fines diuinitatis propè attingat, vt loquitur S. Thomas: Ideò enim nullum opus ex intensa quantumuis gratia procedens potest mereri (vt infra ostendo) etiam de potentia absoluta maternitatem Dei, quia inter opera ordinis gratiæ, & præmium pertinens ad vnionem hypostaticam nulla intrinseca æqualitas, ac ideò nulla condignitas esse potest. Ergo Maternitas Dei longè superat omnem dignitatem, quæ resultat ex gratia adoptante in filium Dei.

373 Confirmatur id ex signo; nam Matri Dei debetur cultus hyperduliæ, qui distinguitur specie à cultu Duliæ, maternitas enim Dei, cum sit superioris ordinis cultum omnem filijs adoptiuis debitum antecedit.

Corroboratur amplius: Nam gratiæ omnes, & quotquot supernaturalia dona in B. Virgine reperiuntur ipsa etiam superexcedens eius gloriæ mensura habent rationem proprietatis, appendicis, & corrolarij Maternitatis Dei; nam plenitudinem gratiæ, & gloriæ eius non alia regula metimur, quam Dei maternitate, cui omnes gratiarum, donorumque cœlestium thesauri connaturaliter debiti sunt: At verò essentiam, & radicem esse perfectiorem proprietatibus nemo ignorat. Ergo Maternitas diuina maiorem præbet dignitatem ipsa gratia adoptionis.

374 Ad obiectiones, & ad primam satisfacio primò dicendo, quod sicut charitas moraliter spectata est melior visione Dei, physicè tamen considerata longè ea est imperfectior: Ita similiter esse filium adoptiuum, & amicum Dei in esse moris est quid melius quàm esse Matrem Dei, in quo sensu B. Virgo fuit beatior mente, quàm ventre.

Secundo satisfacio considerando maternitatem Dei in esse formæ, & in esse dignitatis; secundùm priorem formalitatem permitti potest, quod gratia sanctificans sit perfectior, cum hæc sit formalis sanctitas creata intrinsecè afficiens animam, quod conuenire non videtur maternitati. At secundum formalitatem posteriorem maternitas Dei habet excessum ad gratiam sanctificantem, cum Virginem Sanctissimam in gradu, & ordine eminentiori reponat, scilicet hypostatico, quod illa non facit.

Illu-

Illustrari potest hæc doctrina exẽplis Cardinalatus collati ad Episcopatum; atque Archidiaconatus collati ad Præsbyteratum: Nam si consideretur Episcopatus in ratione spiritualis potestatis est superior cardinalatu de se, & præcisè sumpto, cum hic non sit ordo, nec imprimat interius caracterem; sed tamen Cardinalatus in ratione dignitatis acceptus superior est Episcopatu, vndè talem habens dignitatem est Ecclesiæ Romanæ Princeps, Vicarij Christi Consiliarius, supremi iudicij Senator ipsos Episcopos iudicat, & Episcoporum Episcopi corpus moraliter ingreditur. Archidiaconatus etiam ratione dignitatis Præsbyteratum præcellit, vndè Archidiaconi qui in Iure oculi Episcoporum nominantur ipsos Sacerdotes visitant, corrigunt, iudicant, & tamen ex defectu præsbyteralis caracteris, iisdem Præsbyteris cedunt. Sic ergò non inconuenit, quod Dei maternitas in esse formæ interiùs Sanctificantis Gratiæ locum concedat, quem tamen in esse dignitatis vltrò sortitur. Quarè vt cum D. Damasceno orat. de dormitione Deiparæ loquar, *Matris Dei, & Seruorum Dei infinitum discrimen est*. Addi etiam posset, quod Maternitas B. Virginis, prout solum consideratur quatenus est ministratio carnis, ac sanguinis est gratia imperfectior; sed quatenus est productio hominis-Dei, affinitas cum Deo-homine, & prout actione materna suppositum diuinum attingit, atque adeò ordinem diuinum,& Hypostaticum ingreditur, est ipsa nobilior atque melior omni gratia adoptante in Dei filium.

Ad Secundum ex fundamentis oppositis plura omittendo dico quod diuina materniras saltem radicaliter, seù remotè, & exigitiuè Mariam Sanctificat, quia connaturaliter postulat nedùm exclusionem cuiuscumque peccati, sed omnia dona, & gratias, & sanctificationem, & altissimam acceptionem, & gloriam, & cultum, amorem, & subiectionem filij sui; & hoc sufficit, vt ipsa sit perfectior omni gratia adoptante, cuius est radix, & ad quam dicit ius.

375 Dico Nono sententiam Valentiæ in tertiam partem disput. prima quæst. secunda pùncto octauo. Suarez disputatione decima sectione Tertia. Caietani articulo vndecimo. Medinæ quæstione vltima, quod Beatissima Virgo Maria, & Sancti Patres meruerint Incarnationem de Congruo quoad substantiam esse probabiliorem sicuti iam alibi superius discussimus.

376 Dico Decimo circa meritum maternitatis Dei, seù circumstantias Incarnationis quatuor esse sententias.

Prima tenet Beatissimam Virginem Mariam meruisse eam de condigno; sic aliqui apud Ragusam in tertia parte disput. 45.

Secunda Sententia tenet meruisse de digno; Sic Sanctus Bonauentura in 3. disputatione quarta articulo secundo quæstione secunda Marsilius in 4. quæstione tertia articulo 3. dubio primo, quod dicunt esse illud quod ex acceptatione Dei dignum est tali remuneratiòne. Fauet Ioannes Marius Scribonius disp. 1. de causa Incarnationis qu. 2.

Tertia sententia est Lorcæ 3. parte disput. 120. negantis vtrumque meritum tàm de condigno, quàm de congruo ad maternitatem Dei.

Quarta sententia de congruo tantum admittit B. V. meruisse maternitatem Dei: ita D. Thomas 3. parte quæst. 2. art. 10. ad 3. & in 3. disput. 4. quæst. 5. artic. 1. Suarez in 3. partem

tem disput. 10. sect. 7. Vasquez disput. 23. cap. 2. & est communis nam Ecclesia canit: *Beata Viscera Mariæ Virginis, quæ meruerunt parere Christum Dominum*. Et *vt dignum filij tui habitaculum effici, &c.* & ex SS. Patribus, S. Augustinus de natura, & gratia cap. 36. *Quæ concipere*, ait, *ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum*. Idem ferè habent S. Hieronymus ad Eustochium de cura Virg. S. Ambrosius epist. 82. & libro 2. de Virginibus. S. Basilius de humana Christi generatione. S. Epiphanius hæresi 78. S. Bernardus serm. 4. de Assumptione. Chrysostomus de Domini Hyp. S. Gregorius in caput primum primi libri Regum. Sanctus Petrus Damianus sermone 2. de Assumptione, qui passim dicunt Beatissimam V. meruisse concipere, quod esset Mater, vel quod idem est, dignam fuisse, vt fieret Mater Dei.

377 Dico vndecimo Beatissimam Virginem meruisse de congruo accelerationem Incarnationis; nam vt ait D. Bernardinus Senensis tomo 2. sermone 51. artic. 1. cap. 3. *Ex charitatis quoque ardore, etiam humanæ Saluationis toto affectu desiderabat Incarnationem Filij Dei; nam & totus impetus primæ Sanctificationis mentem huius Sanctissimæ Virginis impellebat ad hoc desiderandum pro salute omnium electorum*. Idem Sanctus deprecans SS. Virginem; vt Angelo Gabrieli annuat hæc habet. *Numquid non hoc est quod quærebas, quod gemebas, quod diebus, ac noctibus orando suspirabas?* Huc respiciunt verba illa Canticæ cap. 1. *Osculetur me osculo oris sui*; vbi sic ait Rupertus: *est idem sensus, ac fiat mihi secundum Verbum tuum*. Et ex S. Ambrosio habetur: *Fiat esse verbum desiderij, & Voti, & cum fide*: Ergo si desiderauit cum fide petijt; Ergo de congruo illam meruit. Sic & S. Bernardus sermone 5. de Assumpt. *Quomodo ergo illam inaccessam attigit maiestatem, nisi pulsando, petendo, quærendo? Deniquè, & quod quærebat inuenit*.

378 Hinc habes sensum illorum Verborum dimitte me quia aurora est: Nam vt ait S. Petrus Damianus sermone de Assumpt. *Nata Virgine surrexit aurora; quia Maria veri præuia luminis Natiuitate sua mane clarissimum serenauit*.

Quare colligere possumns Verbum æternum Patrem alloquens, & vi quadam suaui virtutum, & precum Mariæ attractum se fateri ad humanam carnem ex ea sumendam: Sic Nouatus prima parte cap. 8. quæst. 10. cui aliquo modo fauet Hailgrinus super illud Canticæ cap. 6. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens*.

Ex hoc etiam sequitur quod habet Methodius nempè: *Euge quæ debitorem habes eum, qui omnibus mutuatur*: Nam si meruit accelerationem aliquo modo fuit causa, vt anima sui Sanctissimi filij citiùs Visione beatifica frueretur; vndè velut ob gratitudinis legem conueniens fuit, vt Christus celerem diuinæ essentiæ visionem obtineret per modum transeuntis.

379 Quæritur vltimo An Beatissima Virgo Maria de condigno Maternitatem Dei mereri potuerit?

Respondeo negatiuè quia gratia sanctificans, à qua omne eius meritum procedebat, tendit solum ad augmentum sui, & ad gloriam promærendum; sed nullatenùs potest ordinem hypostaticum condignè obtinere. At verò si Beatissima Virgo meruisset de condigno Dei Maternitatem promeruisset etiam ordinem hypostaticum, diuinique Verbi Incarnationem; nam qui meretur antecedens meretur etiam consequens cum antecedenti essentialiter connexum, Maternitas siquidem

quidem Dei, & diuinæ Personæ Incarnatio sunt correlatiua essentialiter connexa: Ergo non potuit Beatissima Virgo per opera ex gratia procedentia de condigno promereri Dei Maternitatem.

380 Vrgetur amplius hæc ratio: Nam quia meritum Incarnationis est infinitum, nulli creaturæ, ne quidem Beatissimæ Virgini potest conuenire: sed in Maternitatis merito includitur meritum Incarnationis: Ergo si illud de condigno non valuit promereri Beatissima Virgo, nec istud.

381 Sed, & validissimè corroboratur; Præmium, & opus illud de condigno promerens debent necessariò esse intra eundem ordinem; ideò enim per opera naturalia nemo potest præmium supernaturaliter mereri, aut per opera ex gratia emanantia hypostaticam vnionem; quia scilicet nunquam ordo inferior etsi intra proprios limites abundantissimè, atque in infinitum auctus, valet aut valere poterit ordinem superiorem coæquare. Sed omne opus à gratia Sanctificante, & adoptante in filium Dei promanans, est inferioris ordinis ad Dei maternitatem, quæ pertinet ad ordinem hypostaticum, & est in diuinitatis confinio: Ergo nullum opus Beatissimæ Virginis Mariæ etsi Sanctissimum, & à gratia sanctificante intensissima, & finities in infinitum aucta procedens est tantæ Virtutis, vt maternitatē Dei cōdignè promereatur.

DISPVTATIO XI.

§. XIV.

De Cantico B. Virginis Mariæ.

382 Dico primo singulari Spiritus sancti impulsu à Beatissima Virgine dictum in singulari: *Magnificat anima mea Dominum*: Quia vt ait S. Bernardinus tomo 1. concl. 61. artic. 6. cap. 14. & clariùs tomo 3. serm. 11. artic. 1. cap. 2. *Magnificentia Dei fuit Beatissima Virgo, quia in eius exultatione plus magnificatur, & etiam in eius humilitate, deuotione, & gratiarum actione, & omnium bonorum Dei fruitione, plus magnificat Deum, quàm omnis creatura alia simul sumpta*: Sic & S. Petrus Chrysologus sermone 140. *Quantus sit Deus, satis ignorat, qui huius Virginis mentem non stupet, animam non miratur*. Nam vt ait Origenes super Magnificat: *Vnusquisque nostrum ad imaginem Dei formans animam suam, aut minorem, aut maiorem ponit imaginem*: Vndè quo magis sancta est anima, eo magis magnificat Deum.

383 Quare propterea S. Bernardinus tom. 3. concl. 1. sermone 11. artic. primo, & 2. Et Ephrem, Epiphanius, Io: Damascenus, & alij eam appellant solium Isaiæ, & Thronum. Alij Ciuitatem Dei iuxta illud Psal. 47. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri*. Sic & S. Ioannes Damascenus oratione prima de dor-

de dormitione B. V. M. & D. Bonauentura in speculo cap. 7. *Nullum est opus nulla creatura in qua tanta diuina gloria materia reluceat. Plena est omnis terra gloria eius*, sicut dicitur in Isaia; *Plena est tota Maria relucente in se plenissimè diuina gloria*, & in Reuelationibus S. Birgittæ in sermone Angelico cap. 5. *Minor mundus est Virgo Maria à quo maior gloria Deo, & Angelis maior lætitia; atque homini eius bonitate frui volenti maior vtilitas, quàm de hoc maiori mundo prouenire debebat.*

384 Tertio: Sicut sol reflectendo in nube ad nos parelium producit, ideam repræsentantem duplicis solis, vt habet Philosophus 3. Meteor: Sic licèt vnicus *sol iustitiæ Christus* Dominus noster; Nihilominus eius radij sic in hac nubecula, de qua 3. Regum cap. 18. reflectunt, vt & ipsa solis appareat imago; ideò *Speculum iustitiæ* vocatur ab Ecclesia, quia absque errore in ea repræsentantur diuinæ perfectiones. Hinc collige à labe peccati originalis præseruatam; nam alias non sic pleno ore in sensu adducto potuisset dicere Maria. *Magnificat anima Mea Dominum.*

385 Dico Secundo B. Virginem dixisse: *Et exultauit Spiritus meus in Deo salutari meo*. Et non dixit *nostro* propter multa.

Primo, vt indicaret se singulari modo redemptam.

Secundo, quia vt ait D. Bernardinus tom. 4. sermone 8. de septem flammis amoris Dei, & tomo 2. sermone 61. artic. 3. cap. 3. *Fuit Beata Virgo Primogenita Redemptoris filij sui Iesu, & plus pro ipsa redimenda venit, quam pro omni alia creatura*. Et S. Hidelphonsus de Virgine Maria cap. 12. *Procido ante te solum opus Incarnationis Dei*. Vndè magis pro illa redimenda venit, quia illam plus amauit, quàm reliquos Sanctos, vt habent S. Bonau. in Speculo c. 6. & S. Ans. de Excell. Virg. c. 4 Quare D. Ambr. in S. Lucam ad illa Verba: vt per quam salus mundi parabatur omnibus, eadem prima fructum salutis hauriret in pignore. Sic obseruat Nonatus Christum Dominum caput (dum erat moriturus) inclinasse erga Sanctissimam Virginem; Quia, *Amor meus, pondus meum.*

386 Tertio, Vt doceat eam esse perfectionem Diuini Amoris erga nos; vt sic vnumquemque nostrum diligat, ac si solus esset. Vnde S. Ioannes Chrysostomus in illa Verba ad Galathas cap. 2. *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*, ait, *adeò singulum quemque hominem pari charitatis modo diligit, quo diligit vniuersum orbem*. Et Saluianus libro 1. ad Ecclesiam Cathol. *Licèt generale sit debitum, & speciale, tamen non dubium est esse omnium, & singulorum: Licèt sit omnium, est tamen peculiariter singulorum. Christus enim sicut pro omnibus passus est, sic pro singulis, & totum se dedit vniuersis, & totum singulis; ac per hoc quidquid passione sua saluator præstitit nobis; sicut totum ei debent vniuersi, sic totum singuli, nisi propter hoc plus singuli, quàm vniuersi debeant; quod tantum acceperint singuli, quantum vniuersi.*

387 Quarto, quia cognoscebat se adeò perfectè fuisse redemptam, & ad tantam sanctitatem ob merita Christi eleuatam; vt ipsa sola videretur finis sufficiens Incarnationis, vt eam contemplans ipse Christus quasi auolet, & ascendat gloriosus: Vndè D. Ambrosius libro de Isaac, & anima cap. 7. *Auerte*, ait, *oculos tuos à me. Et si tu perfecta es, aliæ animæ adhuc mihi redimendæ sunt, aliæ fulciendæ; eleuat enim me videndo, ego autem ideò descendi, vt eleuarem omnes*. Fortasse propterea primo loco apud Crucem

Ioan-

Ioannis cap. 19. nominata, dum ait: *Stabant autem iuxtà Crucem Iesu Mater eius*.

388 Hinc habes explicationem illius propositionis, & responsionis scilicet: *Indica mihi vbi pascas, vbi cubes in meridie*; nam pro *meridie*, vt ait Rabbanus Genesis cap. 3. *Venit ipsa passio, vt qua hora primus homo lignum prauaricationis tetigerat, secundus homo lignum Redemptionis ascenderet*. Vbi licet felle potus, & cruciatibus plenus, sic nihilominus deliciabatur, vt lignum Crucis ei fuerit pro lectulo vbi dulcissimè quiesceret. Vndè Respon. *Si ignoras te ò pulcherrima*: quasi diceret considera pulchritudinem tuam ò Mater mea Sanctissima, & sanctitatem, pro qua, potius quam pro aliarum animarum pulchritudine patiebar.

389 Dico tertio Beatissimam Virginem in illis verbis *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ*; Loqui tum de paruitate, & abiectione sua, tum de virtute humilitatis suæ.

Prima est opinio Theophil. Euthymij, Titi Bostrensis, Toleti, Maldonati, ac Vincentij Regij in dilucid. lib. primo cap. 6. in Schol. nu. 30. Nam vt ait S. Bernardus: *Verus humilis vult vilis haberi, & non humilis prædicari*.

Secunda opinio est D. Bonauenturæ in speculo cap. 8. S. Bernardi homil. super *Missus est*. Venerabilis Bedæ homil. in Solemnit. Deiparæ super cap. primum S. Lucæ. S. Augustini in Exposit. huius Cantici, & D. Thomæ 2. 2. quæst. 16.

390 Probatur primum; quia Deum tunc laudare intendebat; ergo suam abiectionem; non absolutam, idest ea, quæ resultat ex eo quod homo peccator est, & dignus supplicio: sed respectiuam, idest eam, quæ consistit in eo, quod creatura vt sic ex se nihil boni habet; & sic Beatissima Virgo Deum magnificans hanc suam abectionem secundum quid iuxtà magnitudinem Dei ponebat: quæ sic magis elucebat. Sic Agathocles Rex in mensa sua vasa aurea, & lutea apponi iussit; vt sic eluceret, quam magna esset vis virtutis, quæ illum ab infimo statu nempè à Filio figuli ad eam sublimem celsitudinem euexerat.

391 Probatur secundum; quia vt Magistra humilitatis poterat benè sinè iactantia se proponere vt exemplum humilitatis, sicut, & cæterarum virtutum: sicut Apostolus ad Rom. cap. 8. & primo ad Corinth. cap. 15. prædicat suas virtutes. Secundò, quia cedebat in laudem ipsius Dei, quem tunc magnificare intendebat; quod remunerator Maiestatis existit; & propterea fortè verbum Græcum ταπείνωσις correspondens huic *humilitatem*, aliquo modo vtrumque significat nempè abiectionis, & humilitatis virtutes. Vatablus legit *Nihilitatem*; quo pacto dicere possumus electionem ad maternitatem Dei, quæ erat per merita consequenda fuisse ante merita fundatam in diuina liberalitate, & sic eam *respexit* (quod in Deo significat benefacere, obseruare) primo instanti, vt esset donis, & gratijs, ac priuilegijs plena, & decorata; nam Rex volens ædificare sibi Aulam Regiam non super ruinas aliorum; sed à fundamentis eam condere curat. Sic *Sapientia* diuina, quæ *ædificauit sibi domum* Prouerb. c. 9. fecit, vt à fundamentis ipsis superædificata esset. Vnde Petrus Comestor tract. de Conceptione ait: *Oportuit eam ab ipso fundamenti primordio præ cæteris aliquod dignitatis sortiri priuilegium, quæ decretorum, Dei*

Dei mysteriorumque cælestium in se susceptura erat arcanum.

392 Dico quarto in his verbis: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*. Locutam fuisse Beatissimam Virginem.

Primo de beatitudine imperfecta huius vitæ, quæ consistit in tendentia ad æternam, per exercitium virtutum; sic in Scripturis præcipuè in Psalmis, & S. Matthæi cap. 5. Beati dicuntur, qui virtutibus incumbunt. Sed Beatissima Virgo fuit perfectissima in exercitio cuiuscumque virtutis, & obseruantissima legis. Ideo Canticis cap. 6. Aptè dicitur de ea; *Vna est columba mea.*

393 Secundo. Locuta etiam fuit de vera, & æterna beatitudine; ad quam ex speciali reuelatione se esse prædestinatam nouerat. Vide Viegam in Trid. cap. 11. libro duodecimo. Suarez tomo 2. disputatione decimanona.

Tertio, significat se *Beatam*, quia libera à peccato originali, quæ est maxima miseria; Vnde vt pleno ore nominari posset Beata à peccato originali immunis esse debebat.

394 Dico quinto per *Omnes generationes* intelligi omnia hominum genera in omnibus sæculis: idcirco Apocalypsis cap. 12. *Mulier amicta sole* dicta: quia sol lucem, & splendorem per omnes mundi partes diffundit. Quare primò à Prophetis prædicta. Secundò à Sibillis: Quarum vaticiniæ habentur tomo 2. Bibliothecæ veterum Patrum pagina mihi 523. & prçcipuè refero aliquarum quæ ad rem nostram opportunè faciunt vnde

Sibilla Persica.

395 *Virgine matre satus, pando residebit asello,*
Iucundus Princeps.....
Ille Deus casta nascetur virgine magnus.

Sibilla Lybica.

Æquus erit cunctis, gremio rex membra reclinet
Regina mundi, sanctus per sæcula viuus.

Sibilla Delphica.

Huius pertentant cor gaudia magna prophetæ
Eximij, qui virginea conceptus ab aluo
Prodibit, sine contactu maris, omnia vincit
Hoc natura opera: at fecit, qui cuncta gubernat.

Sibilla Cimmeria.

In teneris annis facie præsignis, honore
Militiæ æternæ regem sacra Virgo cibabit
Lacte suo....

Sibilla Samia.

Hunc poterunt clarum viuorum tangere regẽ,
Humano quem virgo sinu inuiolata fouebit.

Sibilla Cumana.

Vt voluit, nostra vestitus carne decenter,
In cunctis humilis, castam pro matre puellam
Deliget, hæc alia forma præcesserit omnes.

Sibilla Hellespontica.

Dum meditor quondam, vidi decorare puellã,
Eximio (castam quod se seruaret) honore,
Munere digna suo, & diuino numine visa.

Sibilla Phrygia.

Virginis in corpus voluit demittere cælo
Ipse Deus prolẽ, quàm nunciet Angelus almæ
Matri, quo miseros contracta sorde leuaret.

Sibilla Europæa.

Virginis æternum veniet de corpore Verbum,
Purum, qui valles....

Sibilla Tyburtina.

O nimium felix, cælo dignissima mater,
Qua tantam sacro lactabit ab vbere prolem!

Sibilla Agrippa.

Summus erit sub carne satus charissimus atq;
Virginis, & vera complebit viscera sanctum
Verbum, consilio, sine noxa, spiritus almi.

Sibilla Erythræa.

Cerno Dei natum, qui se dimisit ab alto,
Vltima felices referent cum tempora soles:
Hebræa quem Virgo feret de stirpe decora,
In terris multum teneris pasturus ab annis,
Magnus erit tamẽ hic diuino carmine vates,
Virgine matre satus, prudenti pectore verax.

396 Ex

396 Ex Apostolis S. Petrus in Liturgia ait: *Miserationes tuas largiens intercessionibus Sanctæ Dei genitricis, libera nos quæsumus Domine ab omni malo intercessionibus Mariæ Deiparæ*. Et S. Andream Apostolum aiunt dixisse: *Sicut de immaculata terra, & nunquam maledicta factus fuerat primus homo; ita ex semper immaculata Virgine formatus fuit secundus Adam* ita Abdias Babel. lib 4. histor. S. Andreæ, & in Liturgia S. Iacobi à Proculo Patriarcha Constantinopolitano, & à VI. Synodo can. 3. approbata habetur: *Dignum est vt te verè* Beatam *dicamus, & omnibus modis irreprehensam nobiliorem, quàm Cherubim; tibi ò plena gratia vniuersa creata gratulantur, quæ es templum immaculatum*.

397 Ex Concilijs. Concilium generale III. anno CCCIII. celebratum vt habet Photius in epistola ad Bulgariæ Principem, Beatam Virginem Deiparam Immaculatam, & puram prædicat. In Concilio Generali VI. anno CCCXX. Actione 2. habetur: *Quæ Immaculata semper extitisti ab exordio tuæ creationis, quia paritura eras Creatorem totius Sanctitatis*. Et in epistola Sophronij habetur: *Mariam ab omni contagione sine labe fuisse liberam*. In Conc. Toletano II. anno DCLXXV. in Professione fidei: *Solam Filij personam pro liberatione humani generis hominem verum sine peccato de Sancta, & Immaculata Virgine Maria credimus assumpsisse*. In Concilio Generali VII. quod fuit II. Nicenum anno 787. Actione 3. *Veneramur etiam, & adoramus Imaginem Deiparæ, & Dominæ nostræ irreprehensibilis, & Immaculatæ*. Et in Francofordiensi epistola ad Episcopos Hispanię dicitur *Immaculata, & prorsus pura*. Ephesinum iam constat in honorem Virginis Deiparæ congregatum.

398 Ex Summis Pontificibus. Leo sermone de Natiuitate. S. Gregorius lib. 1. Regum cap. 1. Innocentius III. sermone 2. de Assumptione. Bonifacius IX. & ferè omnes alij, qui scripsere.

399 Ex Imperatoribus celebris est Leo, qui orationem composuit de Immaculata Conceptione, & habetur in Bibliotheca Vaticana in Codice Sfortiano manuscripto num. 65. græcè conscripta, vt habet Gerardus Bossis in Ephrem tomo 7. fol. 700. & à Iacobo Gretserio latinè fuit traducta. Aliam etiam idem Imperator conscripsit de Annunciatione. Vide Baronium in annot. ad Martyrologium die 8. Decembris. Thomam Botium de signis Ecclesiasticis libro 9. capit. 8.

400 Prætereà ex vniuersis mundi partibus: nam in Africa fuere S. Augustinus, & S. Cyprianus. in Cappadocia, Basilius, & Nazianzenus, Antiochię, Chrysostomus. In Licia Methodius Martyr. In Ponto Gregorius Thaumaturgus. In Arabia Damasci. S. Ioannes Damascenus, In Palæstina Esychius Præsbyter, & Patriarcha Sophronius. In Insula Cypri. S. Epiphanius. Alexandriæ, & in Ægypto S. Cyrillus, & S. Athanasius. Constantinopoli in Tracia Germanus, & Proclus Episcopi. In Dalmatia S. Hieronymus. In Germania Rupertus Abbas, & Albertus Magnus; In Anglia S. Anselmus, & Venerabilis Beda. In Scotia Ioannes Duns Scotus. In Gallia S. Dionysius, S. Iræneus, & S. Bernardus. In Italia S. Bernardinus Senensis, S. Thomas de Aquino, & S. Bonauentura. In Hispania Hierotæus, & Idelphonsus.

401 Ex infidelibus refert Saluaticus de Victoria verbi contra Hebræos 2. parte cap. 14. in Catania idololatras in magna veneratione habuisse Virgi-

nem quandam infantem proprijs manibus baiulantem: & interroganti quare id præstarent? responderunt, se id agere in venerationem cuiusdam Virginis, quæ Virgo manens, pepererat Filium suum. Simile habent Magister Ioannes Gonzalez Ordinis Eremitarum S. Augustini in libro 2. Historiæ Christianæ, & Belesephoret in sua Cosmographia narrans de alijs nationibus. Auctor historiæ Scholasticæ à tempore Ieremiæ Prophetæ narrat Feminas Ægyptiacas solitas Virginem cum infante vbera eius sugerite cultu Religioso venerari: cuius rationem postulante Ptolomæo; responderunt ab antiquissimo tempore eam consuetudinem viguisse, per Ieremiæ Prophetæ prædicationem prædicantis eis parituram Virginem. Zonaras Græcus lib. 5. suorum Annalium, & Baptista Fulg. libro 1. miracul. narrant Constantipoli inuentum fuisse sepulchrum in quo lamine aurea inuenta fuit cum hac inscriptione; *Christus nascetur ex virgine, & credo in eum, temporibus Syrenæ, & Constantini rursum me videbis ò Sol*. D. Antoninus 3. parte summæ tradit pluries in Turcarum locis Virginis imagines visas fuisse adorari thure, & eam adorationem blasphemantes digno supplicio puniri. Lyranus in fine noui Testamenti libro 3. refert memorabile illud Mahomet encomium, quod habetur Azaora 75. *Nullus nascitur de Filijs Adam, quem non tangat Sathan præter Mariam, & eius Filium; mulcti perfecti fuere nulla vnquam perfecta ex mulieribus nisi Maria Mater Iesu*. Similia habet Azaora quinta, & in Anch. appellat eam splendidissam claram, mulierum mundiorem, & lotiorem solis.

Albumazar etiam insignis Astrologus licet Infidelis habet: *Quod in prima facie signi Virginis orietur in terra Virgo munda, puella immaculata, corpore decora, ore venusta vultu modesto, crine prolixa, quæ puerum in Iudæa nutriret, & pasceret, eumque puerum à quibusdam Iesum vocari, quem nos gracè Chistum nominamus*.

402 Ex Iudæis refert Galatinus libro septimo de arcanis Rabbi Euchadas virum doctissimum antè Dominis Incarnationem Romæ Antonio Consuli dixisse, quod illa verba Psalmi 79. *Perfice eam, quam plantauit dextera tua*: intelliguntur ad literam de Matre Messiæ; vbi illa Rabbi leget *Perfice Abacum*, & rationem ibi reddit, *quia est armarium, quod Deus ipse construxit ad ostendendam gloriam maiestatis suæ cunctis mortalibus*.

403 Ex Hæreticis Martinus Lutherus in Euangelio de Conceptione Mariæ plura habet, & ait: *Nulla mulier tàm Sancta, nec fuit, nec imposterum erit*, (& paulo post) *Maria conceptio pie creditur sine originali peccato*. In Commentario super Magnificat ait: *Quod tàm ingentia dona ei sunt data, vt superent captum vniuscuiusque*: & plura alia. Ioannes Brentius ad caput primum Lucæ eam præ omnibus mulieribus *electam* vocat, & excitat ad gratiarum actiones, & alibi plura. Henricus Ballingerius in sermone de B. V. Maria vocat infelices Iudæos, qui eam cognoscere respuunt; posteà appellat eam *Ornatam sinceritate, fide flagrantiori affectu erga ipsum Deum, & singulariter electam à Deo in thalamum sui sanctissimi Filij*. Martinus Bucerus ad cap. primum S. Matthæi ait, quod *de vase tàm sancto, & electo animus non nisi Sanctissima cogitare debet*. Ioannes Spangerbergius in Euangelio de Annunciatione Mariæ ait: *Necesse esse, quod omnes homines eam laudibus euehant ac ornent*; Et adducit Elisabeth, & mulie-

mulierem dicentem *Beatus venter*, *&c.* Ioannes Oecolampadius sermone de laudando Deo in Maria vocat eam, *templum Sanctissimum*, & ait: *Ex ea, & in ea carne assumpta homo fieri dignatus est*.

404. Dico sexto Beatissimam Virginem actum magnanimitatis perfectum exercuisse illis verbis *Fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius*, præmissis enim *Respexit Dominus humilitatem Ancillæ suæ*. Vndè Gerson tract.4. in *Magnificat* ait: *Magna quidem in se recognouit Deipara; sed non ex se*. Similiter venerabilis Beda homil. de Solemnitate B. V. ait: *Nihil igitur suis meritis tribuit, quæ totam magnitudinem ad illius donum refert, qui essentialiter potens est, & magnus existens, fideles suos de paruis atque infirmis fortes facere consueuit, & magnos*.

405 Dico septimo *Magna*, quæ sibi facta ait B. V. sunt innumera priuilegia explicatu imposibilia. Vnde S. Germanus Patriarcha oratione de Zona B. V. ait: *Omnia in Virgine sunt admirabilia, & naturæ vires excedentia*. Et S. Thomas à Villanoua Concione 3. de Natiuitate B. V. ait: *Hic sileat lingua carnis, excedit enim intellectum, & loquelam Virginis magnificando, non modo nostram imò forte, & suam, & datum est illi quantum capax pura creatura*. Idem habet S. Ambrosius librò de Virg. institutione: *Tantam gratiam contulisse, quantam ante oracula diuina credere nemo potuisset*.

406 Ex quibus colligitur rationem inuestigandi priuilegia B. Virginis esse, quia Deus potuit illi conferre, & conuenientia. Quod innuunt Nicolaus Monachus S. Alberti, & S. Bernardi à secretis epist. quæ stat inter epistolas Petri Cellensis, & est 9. Idiota in contemplatione V. cap 2. S. Bernardus epist. 175. S. Bonauenturę in speculo cap. 1. *Quantò humanæ considerationi inaudita, tantò Mariæ dignitati congrua*. S. Basilius Seleuciæ Episcopus oratione de Annunciat. ait: *O Ter Sacrosancta Virgo, de qua qui omnia illustria, & gloriosa dixerit, nusquam is quidem à veritatis scoppo aberrauit*. S. Ignatius in epistola ad Ioannem vocat *cęleste Prodigium*. S. Bernardinus Senensis tomo primo Conc 61. art. 1. cap. 12. *Miraculorum miraculum*. S. Ephrem in oratione de Deipara *Aue præstantissimum vniuersi orbis terræ miraculum*. Et S. Damascenus oratione prima de Natiuitate: *O miraculum omnium Miraculorum, maximè nouum, & miraculorum officina*. Cuius magnitudinem inde expende quod etiam magna appareant in conspectu diuinæ omnipotentiæ, vnde ait. *Fecit mihi magna qui potens est*; quod si hìc terræ globus in se magnus est, ipse tamen comparatione firmamenti nullius magnitudinis apparet: At priuilegia hæc tàm magna, vt non tantum in se; sed coram Deo omnipotenti esto infinita appareant inter quæ immunitas à peccato originali, quæ magnum quidem in Beatissima Virgine negari non debet.

407 Dico octauo B. Virginem prędicare specialiter misericordiam: *Et misericordia eius à progenie in progenies*. Indicando sic deposuisse Regnum vndè Matthæi cap. 21. *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus*, & sic Isaiæ cap. 16. dicitur *Præparabitur in misericordia solium Agno dominatori terræ*. Vbi per thronum significatur secundum S. Bonauenturam cap. 8. Beatissima Virgo. Vnde quando dicitur sedere in throno, tunc nominatur Agnus, vt Apocalypsis cap. 5. (alias dicitur Leo) quia mansuetus, & misericors ibi apparet, vt iam declarauimus in nostra Apocalypsi explanata lectione 6. cap. 5. Quare à S. Iacobo in Liturgia

gia habetur: *Tuum vterum thronum fecit*. Sic & Epiphanius sermone de laudibus Deiparæ: *Dico illam esse thronum, & cælum simul*. Sic & D. Bernardinus tom. 3. Conc. 11. artic. 3. & S. Hidelphonsus sermone 3. de Assumptione.

408 Et quod post Incarnationem magis propensus videatur ad misericordiam exercendam patet ex Euangelio Ioannis cap. 8. in Adultera; & ibidem dum conuicia in eum conijcerent, profert vitam æternam. Vndè Origenes obseruat in iis Psal. qui attinentur filijs Chore *nihil amaritudinis misceri*: vide eius vnicam homil. in lib. Regum, & S. Augustinus vult *per filios Chore intelligi Christi fideles*. Porrò maximè gloriatur de misericordia post Incarnationem; vndè Paulus Apostolus pro eodem accipit gloriam, & misericordiam: nam ad Romanos cap. 3. ait *Omnes peccatores, & egent gloria Dei*. Sicut & Ecclesia: *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam*: Sic & Oleaster in caput 14. Numerorum: *Qua Gloria non potentiæ, non sapientiæ, sed misericordiæ, qua indefessè peccata remittit*. Sic Dauid eum laudat à misericordia Psal. 135. *Quoniam in æternum misericordia eius*. Et 76. similia habet, vnde videtur nullum terminum præscripsisse remittendi peccata. Quare S. Bernard. sermone 4. hebdomadæ pęnosę ait; *Vincentne miseria misericordias, an misericordia miserias superabunt? vincant misericordiæ tuæ antiquæ Domine*.

409 Porrò aduertendum est cum D. Thoma prima parte quæst. 21. art. 1. esse in Deo propriè misericordiam formaliter, quę est voluntas subleuandi miseriam; nam tristitia ob alienam miseriam, seu illud miserans cor materialiter tantùm se habet. Turrianus de fide, spę, & charitate disput. 79. Et licet in Deo non suscipiant magis, & minus tamen esse aliquando videtur magis exercere opera misericordiæ sic in Psalm. 144 dicitur: *Misericordia eius super omnia opera eius*.

410 Dico nono per illa verba *Timentibus eum* loqui primo de timore seruili.

(Vbi pro intelligentia aduertendum est ex D. Thoma 2. 2. quęst. 19. art. primo ad primum; Deum immediatè non posse timeri, quia in se nullam continet rationem mali; sed tantum quatenus ab ipso imminet nobis malum pœnæ vel per comparationem ad ipsam potest nobis prouenire malum culpæ si ab eo separemur. Porrò ibidem habetur timor quadruplex idest filialis primus, secundus initialis, tertius seruilis, quartus mundialis.)

411 Vnde probatur B. V. Mariam loqui de seruili, quia ex Tridentino sess. 6. cap. 6. iste disponit ad charitatem (licet aliquando cum illa esse possit) hinc à S. Augustino tract. nono in epist. primam S. Ioannis comparatur setę, per quam filum inducitur, & ferro quo vulnus aperitur, & sanitas introducitur: sic Latro Latroni dixit Luc. cap. 23. *Neque tu times Deum?*

412 Secundo loquitur etiam de timore filiali, nam est dispositio per quam quis subleuatur à multis miserijs, & præseruatur à lapsu in peccatum hinc Prouerb. cap. 28. dicitur: *Beatus homo, qui semper est pauidus*. Sicut è contrà amissio talis timoris, signum est lapsus vt patet in Petro, Matth. c. 26. *Et si omnes scandalizati fuerint in te ego nunquam scandalizabor*. Sic & Dauid: *Ego dixi in abundantia mea non mouebor in æternum*, & Psal. 29. *Auertisti faciem tuã à me, & factus sum conturbatus*.

413 Ter-

413 Tertio loquitur etiam de timore initiali, qui constat ex vtroque, nam sicut per timorem seruilem timetur malum pęnæ, per filialem malum culpæ; sic incipiens paulatim primò timore pœnæ, secundò, timore culpæ continentis pœnam posteà crescente charitate euanescit. Fauet Gerson tract. 6. notula prima.

De mundano verò non loquitur, quia hic oritur ex amore sui, quo quis paratus est peccare ad vitanda incommoda.

414 Collige hinc aptissimam dispositionem ad misericordiam diuinam recipiendam esse humilem, & sanctum timorem: Vndè obseruat hìc Nouatus in Arca fœderis duos extare illos Cherubim, vt habet Arias Montanus libro de antiquis Sacrificijs, & Botius de signis Eccles. habuisse effigies alterum pueri, alterum puellæ indicantes Christum, & Beatissimam Virginem timorem sanctum Incutientes illc Ioan. cap. 5. hęc in hoc Sacro Cantico. Quare D. Bernard. serm. 14. *In veritate didici nihil esse adeò efficax ad gratiam procurandam, retinendam, & recuperandam, quàm si inueniaris omni tempore coràm Deo nihil aliud sapere, sed timere.* Sic, & S. Ioannes Chrysostomus homil. 25. obseruat pulchrum de Daniele cap. 4. dicens: *Volens Regem amplius terrere.*

415 Dico decimo per ly. *In Brachio suo* B. V. M. intellexisse Verbum Incarnatum. Sic Titus Bostrensis in caput primum Lucæ tomo 4. Biblioth. Patrum. Sic etiam S. Augustinus tract. 53. in Ioannem, Eusebius libro 3. de præparat. Euangel. cap. 2. Venerab. Beda tomo 7. homil. in Euangel. Lucæ in festo Annunciat. B. V. & alij relati à Berzone lib. 3. cap. 12. & 14. dub. 1. §. 8. vbi adducit illud Isaiæ 51. *Et brachium meum sustinebunt.* & 52. *Parauit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium.* Ratio est, quia sicut brachium concurrit ad opus laboriosum, sic Christus Dominus ad opus Redemptionis, de quo Psal. 87. *Et in laboribus à iuuentute mea.*

416 Obijcies fuit opus amoris, vt habet S. Paulus, & Ioan. cap. 6. ergo non opus laboriosum; nam ait S. Augustinus lib. 13. Confessionum: *Qui amat, non laborat.*

Respond. esse modum loquendi, quia vt ait Idem S. Augustinus explicans illa verba Ioannis cap. 4. *Fatigatus ex itinere, &c. In eo quod amatur, aut non laboratur, aut labor ipse amatur.*

417 Secundo, quia sub onere peccatorum eramus, à quo tamquam à grauissimo pondere subleuandi; vnde Chrysostomus homil. de Iona tit. 1. in illud *Dormiebat sopore graui*, ait, *non corporis magnitudine, sed peccati, nihil enim graue, & onerosum sicut peccatum.* Sic Dauid Psal. 37. *Iniquitates meæ sicut onus graue grauatæ sunt super me.* Vide D. Antoninum sermone ferię 2. Dom. 2. qui est in illud: *Vos de deorsum estis. Idest onusti sarcina peccatorum.* Et verè quam graue pondus sit cognoscitur ex hoc quod ad subleuandum hominem diu criminum pondere grauatum sequitur Dei brachium.

418 Respondetur tertio. Laboriosum reddi non ex parte Christi amantis; sed ex parte voluntatis resistentis vide Ierem. cap. 8. *Nunquid qui cadit non resurget? & qui auersus est, non reuertetur? quare auersus est populus esto auersione contentiosa.* Quare S. Ioannes Chrysostomus homil. in cap. 24. Matth. in opere imperfecto; *Hierusalem Hierusalem*, dicit, *quousque luctata es contra misericordiam meam tuis peccatis nunc autem ipsam superasti.* (Et paulo post) *Incessabilibus enim iniquitatibus tuis misericordia mea, quasi iam lassata à proposito*

sito suo defecit. Idcircò dicerem cum Nouato prima parte cap.8. quæst.21. in Canticis de omni parte corporis amantis sponsi, & sponsæ fit mentio non autem verò de brachio, & cur? Quia consideratur, vt amorosus Redemptor suaui cum labore operans, quare, *& manus eius tornatiles*.

419 Dico vndecimo per *Potentiam* B.V. intelligere; potentiam patrandi miracula; de qua Lucæ cap. 14. & Ioan. cap. 2. & alibi sæpè: quæ potestas conueniebat Christo Domino, vt Redemptori, vt sic homines agnoscerent esse Deum, & hominem; quæ potestas in eo fuit, vt erat homo coniunctus Deo, non enim erat Omnipotentia; & ideò ratione vnionis hypostaticæ. Et licèt Sancti Patres, vt Leo epist. 20. cap. 4. & Chrysologus videntur innuere opera miraculosa competere ei ratione diuinitatis; exponendi sunt, quod velint humanitatem Christi, vt sic, non habere talem potestatem, sed à Deo datam cui coniuncta erat; quod non fuerit Omnipotentia communicata humanitati habetur ex D. Thoma 3. parte quæst. 13. Alense 3. parte quæst. 14. & non potuisse communicari, ita vt redderetur intrinsecè Omnipotens docent omnes Theologi; qui aduertunt esse de fide, quod non fuerit communicata: vide Bellarminum libro de Christo ex Concilijs Calcedonensi, & Lateranensi sub Martino I. can. 9. Habuit tamen Omnipotentiam sibi assistentem, & paratam ad quoscumque effectus, vt ait Palud. in 3. dist. 14. sic de se affirmat D. Paulus ad Philipp. cap. 4. *Omnia possum in eo, qui me confortat*. Quod voluit dicere Niceta lib. 3. Thes. cap. 38. num. 5. cum ait, de humanitate Christi, *Quod ab humanæ naturæ terminis non recedens magnificas diuinitatis dotes accepit, vt & vitam tribuere, & esset Omnipotens, & omnia cerneret*.

420 Secundò, intelligit per *Potentiam* Misericordiam, quam Dominus ostendit, tum in Incarnatione, tum in Conuersione peccatorum. Vndè S.Paulus ad Romanos c.9.v.22.habet: *Volens notam facere potentiam suam sustinuit in multa patientia, vasa iræ, apta in interitum*. Et Ecclesia canit *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miserando manifestas*. Et S. Augustinus in Ioan tract. 22. *Maius est ex impio, ait facere iustum, quàm cælum, & terram creare*. Secundò quia pugnat cum nostris miserijs, & vincit: pro qua est celebris sententia Arnoldi Carnotensis in illud Lucę cap. 23. *Pater dimitte illis*, vbi ait: *Pro inimicis ad Patrem conuertitur, & charitatis argumento prolato in medium, inauditum dicendi genus nouus orator assumit; & inimicorum causam allegans ipsis inuitis, atque negligentibus parti contrariæ suffragatur, & vtrum plus possit peccatum, quàm Iustitia, Deo Patri quæstionem proponit, & edisserit esse inconueniens, vt amplioris sit virtutis delictum, quàm donum, & praualeat malitia bonitati, & perditio saluti, cum enim ipse ad hoc nitatur, vt saluentur, Iudæi ad hoc vt damnentur, plus debet apud Deum posse Filij Charitas, quàm populi cæcitas*. Sic licet aliquando cogatur exercere iustitiam tamen est victrix misericordia, quia punit citrà condignum iuxta illud *Cum iratus fueris misericordiæ recordaberis*. Tertiò, impedit aliquando effectus Iustitiæ. Quartò, eijcit Principem tenebrarum.

421 Tertio loquitur de potentia per quam fuit præseruatione Redempta. Et licèt in præterito loquatur, tamen etiam de futuro est intelligenda, vt illud Psalmi 18. *In omnem terram exiuit sonus eorum*. Et 21. *Foderunt manus meas, & pedes meos: dinumerauerunt*

omnia

omnia oßa mea. Et 68. *Et dederunt in escam meam fel: & in siti mea potauerunt me aceto*.

422 Dico duodecimo per *potentes* B. V. intellexisse Dœmones; vt habetur Ioannis cap. 12. Nunc Princeps huius mundi eicietur foras. Secundo intelligere Reges, & potestates; nam vt ait Philo libro quod Deus sit immutabilis ait: *Verbum diuinum choreas in orbem duxit, quod vulgus hominum fortunam vocat, & omnes gentes, circumlustrando nunc his nunc illis imperia vel tribuit, vel adimit*. Tertio *deposuit Potentes* intelligere de ijs, qui superbia, & fastu sunt refecti, Quarto D. Gregorius Thaumaturgus sermone 2. de Annunciatione SS. Virginis ait: intelligi Iudæorum eiectionem; quia *Depositi sunt ab omni sede Prophetiæ, Sacerdotij, Legislaturæ, Doctrinæ, opulentia hereditaria Sacrificiorum, festiuitatum, & dignitatis Regiæ, profugi, ac nudi in captiuitatem eiecti sunt*. Quintò, intelligit præseruationem a peccato originali, & a fomitis exemptione, ait Nouatus quæst. 23. eo quod velut sedes Dœmonis sit peccatum originale, in qua residens tentat homines ab hac depositus; quatenus Beatissima V. Maria fuit præseruata, & in ea amplius nullum habuit locum.

423 Dico tertiodecimo per Ly *Exaltauit humiles* B. V. Mariam intellexisse, Primò, homines. Sic ait S. Cyrillus nam ipsi sub seruitute, & potestate Sathanæ iacebant.

Secundò, eos qui ex infima conditione interdum ad Regna eleuantur. Vt primò Regum cap. 20. & Psal. 77. vers. 70. *Et elegit Dauid seruum suum, & sustulit eum de gregibus ouium: de post fetantes accepit eum*.

Tertiò. Viros virtute humilitatis præditos, sic Caietanus Iansenius: vnde Iob cap. 5. *Qui ponit humiles in sublime*. Et 22. *Qui humiliatus fuerit erit in gloria*. Et Prouerb. 29. *Humilem spiritu suscipiet gloria*.

424 Quare addit S. Gregorius Thaumaturgus serm. 2. de Annunciatione. *Humiles esse, qui loco illorum, idest Iudæorum ex gentibus Populi iustitiam exercebant, & exaltati sunt: quantum humilitatem suam, & Diuinæ cognitionis famem qua detinebantur ostendentes diuinum Verbum, sicut Chananæa micas deprecabantur, & propterea diuinorum Mysteriorum repleti sunt diuitijs nam vniuersam diuinorum bonorum sortem, qui ex Virgine natus est Christus Deus noster transtulit*.

425 Dico quartodecimo per *Esurientes impleuit bonis* intelligere eos, qui vehementer desiderant veram sapientiam, vt Matthæi cap. 5. *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam*, & Sapientiæ cap. 6. *Initium illius verissima concupiscentia* (& infra) *concupiscentia Sapientiæ deducit ad Regnum*.

Secundò, loquitur de Esurientibus Sacrosanctum cibum Eucharisticum: sic S. Epiphanius sermone 2. de Laudibus Mariæ: sic, & Gerson tract. 9. in Magnificat part. 4. dicens: *Contemplabatur mens Mariæ Sacramentum Eucharistiæ, tanquam cibum refectionis sub specie panis, & vini, vt signum signato responderet, vt similitudo curreret pedibus suis, dum dicitur*. Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. *Contemplabatur in Eucharistiæ Sacramento Filium suum, qui factus est cibus hominum, qui semper est cibus Angelorum. Contemplabatur, quod* Esurientes, *qui sunt Pauperes spiritu* impleuit bonis *per hunc cibum, dum fastidiosi* diuites *dimittuntur*, inanes, esurientes *si quidem* impleuit bonis.

426 Et meritò subdit *Impleuit bonis*: nam hoc Sanctissimum Sacramentum remittit peccatum, & qui-

dem veniale, vt habet D. Thomas 3. parte quæst. 79. art. 4. cui adhærent Suarez tomo 3. in tertiam partem disp. 63. sect. 10. & Cathechismus. Secundum; mortale per accidens, ait D. Thomas lect. 6. in capit. 21. Ioan. & 3. parte quæst. 72. artic. 7. ad 2. & quæst. 79. artic. 3. & in 4. dist. 22. quæst. 2. art. 1. & dist. 7. quæst. 2. art. 2. Suarez etiam disp. 7. sect. vnica, & disp. 63. sect. prima quæst. 5.

427 Tertium bonum est præseruatio à peccatis ex Concilio Tridentino sect. 7. can. 6. & 7. & Innocentius III. lib. 4. cap. de Mysterijs Missæ ait: præbendo auxilia, & expellendo Dęmones impugnantes, qui non accedant ad homines Christiferos, vt vocat S. Cyrillus Hierosolymitanus Cathechesi 4. Communicantes.

428 Quartum bonum est dulcedo spiritualis, & delectatio vt Psal. 67. & Genesis cap. 49. *Præbebit delicias Regibus*. Et Ecclesia O *quam suauis*. Quę suauitas, vt notat Suarez tomo 3. in 3. partem disput. 63. sect. 9. est effectus infallibilis, nisi impediatur ex parte subiecti, & assignat ibi rationes propter quas subtrahi solet hæc suauitas sæpè sine culpa, & propter occupationes bonas studiorum.

429 Quintum, est quod aliquid etiam operatur in corpore, sequitur enim ex feruore charitatis, cordis gestantis palpitatio, vultus hilaritas, coloris viuacitas, oculorum serenitas, modestia, linguæ frenatio, maturitas in incessu, refrenatio, & ordinatio corporis. Vide Suarez tomo 3. in 3. disput. 64.

430 Sextũ est quod licet non intercedat vnio Physica, tamen intercedit moralis. Primo quatenus nos sanctificat. Secundo vnit per affectum eum, qui communicatur, ita vt Christus Dominus reputat illam carnem tamquam suam. Vnde Apostolus ad Corinth. cap. 10. ait: *Vnum corpus sumus omnes quia de vno pane participamus*. Vide Vasquez tom. 3. in 3. partem disput. 204. Sic & Beatissima Virgo reputat aliquo modo carnem dignè communicantis carnem suam quatenus in corpore Christi Domini adest aliquid ex substantia quam à B. V. habuit.

431 Septimum bonum est adeptio gloriæ.

Octauum, quod datur peculiaris titulus carni nostræ ad resurgendum. Ioan. 6. Suarez disp. 64. sect. 2.

Nonum. Vim quamdam fæcundam spiritualem communicat ad prolem spiritualem generandam: propterea Leuitici cap. 2. similam volebat sibi offerri, licet grossior pars farinæ, quia in ea vis residet generatiua tritici. De quibus multis bonis, vide Gersonem super *Magnificat* tract. 9. parte 4.

432 Dico quintodecimo per Ly *Diuites dimisit inanes* intelligi eos qui abundant bonis temporalibus, & in ijs ponunt totum affectum, & intentionem; nam licèt diuitiæ sint res indifferẽtes, & pro ijs vt sic non mereatur, nec demereatur homo, tamen sæpissimè præbent occasionem peccãdi, supposita humana fragilitate, vt habetur Iob c. 20. vers. 14. *Quoniam confringens nudauit pauperes*: Et Prouerb. cap. 28. vers. 20. *Qui autem festinat ditari, non erit innocens*. Huius rei typum poculum est Apocal. cap. 17. Quare de ijs est hìc sermo, qui cum diuite illo Lucæ cap. 12. vers. 19. aiunt: *Requiesce, comede, bibe, epulare*. De quo S. Basilius homil. in hunc locum ait: *Si porcinam habuisses animam, quid aliud enunciare potuisses*.

433 Secundo loquitur de auaris, qui felicitatem suam ponunt in diuitijs,

tijs, quæ auaritia ad Galatas cap. 5. appellatur *Idolorum seruitus*; Vnde, & Oseæ cap. 12. *Diues effectus sum inueni Idolum mihi*: Et Ecclesiast. cap. 5. *Auarus non implebitur pecunia, & quia amat diuitias, fructum non capiet ex eis, & hoc ergo vanitas*.

434 Dico sextodecimo per illa verba, *Suscepit Israel puerum suum*, intelligi Mysterium Incarnationis completum.

Est Iacobi de Valentia, & communis apud Benzonum libro 4. in Magn. capit. 1. & 2. & Vincentium Regium in suis dilucidationibus libro primo cap. 6. Theorem. 9. & Gersonē in *Magnificat* tract. 10. in principio.

Probatur quia hìc agebat gratias pro beneficijs sibi, & populo concessis, inter quæ maximum est hoc Sanctissimum Incarnationis Mysterium de quo locutam fuisse patet ex sequentibus *Sicut locutus est ad Patres nostros Abraham, & semini eius in sæcula*; cui Abrahamo Genesis cap. 22. patet locutum de hoc Sanctissimo Mysterio.

435 Nomine verò *Pueri* Hugo intelligit Christum Dominum vt sensus sit, stirps Israelitica recepit Christum *puerum* suum; *suum* ob promissionem Dei infallibilem factam Abrahæ Genesis capit. 17. *Vt sim Deus tuus, & seminis tui post te*.

Secundo ait *suum*; quia Abraham de congruo meruit, vt Filius Dei sumeret carnem de stirpe sua (quod Incarnationis mysterium Abraham vmbraticè cognouisse, iam ostendimus in tomo secundo nostri Geneseon cui titulus *Sacrum Theatrum Bibliorum*, vide capit. 17. vers. 3. titul. Dubia Sacra §. 14. pag. 238. col. 1.) & Dauid etiam verissimum est; vide Ragusam disp. 47. §. 2. & disput. 44. Suarez in 3. part. to. 1. disp. 10. sect. 7.

Tertio *suum* ait, vt indicaret affectum, quo Filius Dei se nobis per carnem dedit, vti canit Ecclesia: *Nobis datus, nobis natus ex intacta Virgine*.

Aliqui tamen vt Benzonus libro 4. in Magnificat cap. 2. Vincentius Regius loco citato, Barradius tomo 1. lib. 7. cap. 13. volunt nomen *Israel* esse accusatiui casus, & suscipere idem, ac adiuuare, & subleuare abiectum iacentem.

Adhuc etiam posset dici *Suscepit Israel puerum suum*, idest assumpsit carnem ex Israel.

436 Dico decimoseptimo rectè opus Incarnationis dici opus misericordiæ (*Recordatus misericordiæ suæ sicut locutus est ad patres nostros, &c.*) Nam misericordia diuina induxit Deum ad subleuandam naturam humanam à miseria. Lucæ cap. 1. *Per viscera misericordiæ Dei nostri*. Et Ieremiæ cap. 31. *In Charitate perpetua dilexi te*.

Fuit etiam ex fidelitate supposita promissione diuina, non autem ex iustitia rigorosè sumpta, quia Creatura nunquam acquirit perfectum ius super rem à Domino promissam, cum ipse Deus semper sit essentialiter absolutus Dominus; quod innuit S. Augustinus libro primo Confessionum cap. 4. dicens: *Reddis debita nulli debens*. Ad indicandam autem firmitatem diuinæ promissionis aliquando in sacris paginis promissio hæc nomine Iuramenti appellatur vt Psal. 131. *Iurauit Dominus Dauid veritatem*.

DISPVTATIO XII.

§. XV.

De Mora B. V. cum S. Elisabeth.

437 Dico probabilem esse sententiam asserentem Beatissimam Virginem Mariam ante Precursoris aduentum discessisse, ita Theophilactus in caput primum S. Lucæ, Caietanus, Euthymius, Iansenius, Rupertus in Cantic. primum. Et Titus Bostrensis, qui fundatur in textu cap primi S. Luce vbi habetur *Mansit autem Maria cum illa, quasi mensibus tribus, & reuersa est in domum suam*. Et erat sextus mensis quando ad illam properauit, & non peperit nisi completo tempore, nam Euangelista habet post quam ait *Reuersa est in domum suam. Elisabeth autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium*.

Causam reddit Titus Bostrensis; quia Virgo Sanctissima virgineo quodam pudore detenta, hominum conspectum declinabat, & magna multitudo confluxura erat ad Zachariæ ædes propter Elisabeth partum.

438 Verum tamen est, quod Vincentius Regius libro primo capite 6. Theor. 10. S. Petrus Damianus sermone de S. Ioanne Baptista, Origenes, S. Ambrosius, Maldonatus, Toletus, Franciscus Lucas, nec non Venerabilis Beda in caput primum Lucæ tenent mansisse B. V. Mariam cum Elisabeth vsquè ad partum, & natum præcursorem aspexisse, quem sui Sanctissimi Filij præcursorem futurum esse sciebat. Vnde Venerabilis Bedæ verba sunt hæc: *Tamdiu mansit Maria, donec Elisabeth partus tempore completo, Præcursoris Domini sui, propter quem maximè venerat, natiuitatem videret*.

439 *Mansit Maria* super quæ verba S. Ambrosius ait: *Non sola familiaritatis est causa, quòd diu mansit, sed etiam tanti vatis profectus. Nam si primò ingressu tantus profectus extitit, vt ad salutationem Mariæ exultaret infans in vtero, repleretur Spiritu Sancto mater infantis: quantùm putamus vsu tanti temporis Sancta Maria addidisse præsentiam?* Sic & Origenes hic homilia nona docet per hos tres menses, tam Ioannem, quàm Sanctam Elisabeth ex Beatissimæ V. Mariæ præsentia mirè in sanctitate profecisse. *Exercebatur ergo*, ait, *& quasi in athletico Sancta Matre* (vt mater Ioanni esset quasi agon, & locus certaminis athletici) *per tres menses vngebatur Ioannes, & præparabatur in matris vtero, vt mirabiliter natus mirabiliter nutriretur*. Imò idem Origenes ad illa verba impletum est tempus pariendi, habet pulchrum in homilia iam data, hoc est: *In Scriptura nusquam dicitur in ortu peccatoris, completum est tempus vt pareret: sed vbicumque iustus nascitur, ibi complentur dies. Ortus iusti plenitudinem habet, peccatoris natiuitas vacuitatem, & inanitatem*.

DISPVTATIO XIII.

§. XVI.

De ijs quæ acciderunt S. Ioseph quando vidit B. Virginem grauidam.

440 Dico primo fuisse opinionem S. Ioannis Chrysostomi homil. 26. super Matthæum. S. Iustini Martyris sermone 14. de Natiuit. D. Hilarij in caput primum S. Matth. Nicephori libro primo histor. Ecclesiasticæ cap. 8. & S. Augustini epist. 54. ad Maced. & sermone 25. in appendice ad tom. 10. Abulensis in Matthæum, & Sanchez libro 10. de Matrimonio disput. 12. num. 36. Quod ex suppositione Adulterij Sanctus Ioseph voluerit dimittere B. V. M. quod fundant in eo quod ei dixit Angelus: *Quod enim in ea natum est*. Illa namque particula *enim* videtur esse causalis cur non debeat timere.

441 Alij putant quod se indignum reputaret cohabitatione talis Virginis quare in Reuelationibus S. Birgittæ cap. 35. ipsa Beatissima Virgo sic loquitur: *Sed postquam consensi nuntio Dei, Ioseph videns vterum meum virtute Spiritus Sancti intumescere expauit vehementer non suspicans contra me aliquid sinistrum; sed recordatus dicta Prophetarum prænunciantium Filium Dei nasciturum de Virgine reputabat se indignum seruire tali Matri donec, &c.* Simile habetur libro 6. cap. 59. Fauet etiam D. Bonauentura in speculo Virginis cap. 15. in fine. Sic & Author operis imperfecti homil. 1. in Matthæum. Ioannes Echius sermone de Natiuitate Virginis. D. Bernardus homil. 2. super *Missus est*; & alij quos sequitur Petrus Morales in caput primum S. Matthęi lib. 4. tract. 5. num. 23.

442 Tertia sententia est eorum qui opinantur nihil mali suspicatum; sed rem tacitè admirando, & tantum mysterium non percipiendo in quemdam veluti stuporem raptum fuisse; ita D. Hieronymus in caput 1. Matthæi, Haymon in sermone de Vigilia Natiuit. S. Bernardinus Senensis tomo 3. sermone de S. Ioseph artic. 2. cap. 1. & Gerson 3. p. opus. sermone de Natiuit. Virg. in qua differre vt plurimum tenetur vel secunda, vel tertia opinio præcipuè cum D. Ambrosius libro primo in Lucam dicat: *Maluit* (intellige Deus) *aliquos de sua generatione, quam de Matris puritate dubitare*.

443 Dico secundo quod licet Beatissima Virgo intensissimè diligeret S. Patriarcham Ioseph, nihilominus propter sequentes rationes, noluit ei indicare quod de Spiritu sancto conciperet.

Primò, vt doceret non spectare ad homines, ea quæ immediatè à diuina Prouidentia diriguntur; quale erat hoc sacrosanctum Incarnationis Mysterium.

Secundò, quia à Spiritu sancto edocta optimè nouerat ex tali timore vniuerso mundo veritatem huius tanti Mysterij magis euulgandam, dum repetito Angeli testimonio com-

comprobanda erat.

444 Tertio vt nos doceret non esse faciliter manifestanda dona, quæ nobis diuinitùs sunt concessa, quare libro primo Regum capit. 10. etiam Saul sciscitanti Patruo, quid locutus ei fuisset Samuel, non aperuit, quod de Regno illi verba fecisset, *ad euitandam iactantiam*, vt ait Lyranus. Imò aduertit Abulensis, quod ideò Deus protulit illa verba primo Regum cap. 15. *Cum esses paruulus in oculis tuis caput in tribubus Israel factus es*. Sic, & Isaias cap. 6. vidit Seraphim velantes faciem, & pedes (*Duabus alijs velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius*) vt docerent magno studio velanda esse dona cœlestia.

DISPVTATIO XIV.

§. XVII.

De B. V. M. Christum D. in vtero gestante.

445 Dico primo SS. fœtum non aggrauasse Beatissimam Virginem; ita D. Fulgentius libro de Laudibus Virginis, *Sic cum esset grauida salubri leuitate plaudebat! Lumen enim, quod intra se habebat pondus habere non poterat*. Sic S. Bernard. in *Signum Magnum*, quod *sine grauamine grauida*, quod *sine dolore puerpera* ita, & Gerson tract. 4. in *Magnificat*, & S. Birgitta in oratione quam didicit ab ipsa B. Virgine; vbi ait: *Benedictus sis tu Deus, qui cum Maria Virgine esse sine grauamine voluisti*. Ratio est in promptu, quia quæ sine voluptate conceperat, sine molestijs, quæ eam sequuntur esse debebat. Sic & portantes Christum Dominum in corpore, vt ait Apostolus prima ad Corinthios cap. 6. omnia onera leuia fiunt.

446 Dico secundo Christum Dominum ex vtero virgineo admirabiles delicias percepisse: ex Psalm. 21. *Tu es qui extraxisti me de vtero matris meæ*, idest vt ait S. Hieronymus de vtero B. V. Mariæ. Vnde Tertullianus libro de vera Christi carne, ait; *Quid auellitur nisi quod inhæret, quod infixum est ei à quo auellitur? si non adhæret vtero, quomodo auulsus est!* Sic, & S. Ambrosius sermone 28. *Sinus Christi erat in Deo Patre diuinitas, in Maria Matre Virginitas cuius sic tenebatur pulchritudine, sic irretiebatur amore, vt nisi sibi inferret vim ab illa exire nequiret*. Sic S. Bernard. tomo 3. sermone 9. art. 2. cap. primo quia, *plus per quietum amorem requieuit in ea, quam in tota alia creatura rationali*. Et Theodoretus in oratione ad Concilium Ephesinum: *O Virgo quæ ipsum stetisti deliciarum Paradisum*. S. Petrus Damianus sermone de Annunciat. *In qua sola post tumultus Angelorum, & hominum reclinaret, & requiem inueniret*. Sic & S. Petrus Chrysologus serm. 146. & Chrysippus Præsb. in Biblioth. veter. Patrum tomo 2. in illud *Surge Domine. Tua enim requies est Virgo, & vterus tua requies*.

447 Forsitan propterea visa mulier illa Apocal. cap. 12. quod *Cruciabatur, vt pareret*, quia agnoscebat delicias quibus infantulus ille in illo

SS.

SS. vtero destinebatur. Vndè, & D. Epiphanius sermone de laudibus Virginis exclamat. *O vterum cælo ampliorem, qui in te Deum non coarctasti, alia enim creatura Deum aliquo modo coarctant, quia illum non adeo perfecto amore recipiunt*, vndè, & Zachariæ cap. 11. *Et contracta est anima mea in eis*.

Hinc credendum est quod voluit nouem integris mensibus in ea morari, cum posset demere 40. dies spatij animationis, quæ in ipso facta est in eodem instanti superuentionis Spiritus sancti.

448 Sic, & illam vice versa infantulus summis repleuit delicijs; quare S. Petrus Damianus sermone de Annunciat. ad insinuandam vim communicatiuam amoris, & deliciarum ait, *In huius vtero Maiestas Altissimi mirabiliter liquefacta est sicut adipe, & pinguedine*. Et S. Zeno serm. 4. de Natiuit. *Dignitate deposita non tamen potestate cælo egressus Sacrario templi Virginalis hospes pudicus illabitur*. Præcipuè tamen delectabatur ex charitate, vnde Alanus super illud Canticæ primo: *Dum esset Rex in accubitu suo*, ait: *Postquam Virgo Sanctissima concepit. Factus est in ea spiritualis Christi recubitus, vbi enim specialiter cœnauit cum Patre, & Spiritu Sancto, vbi specialem fecit mansionem, vbi specialiter, & plenè recubuit, nisi in mente Virginis. O felix mens, in qua cœlestes conuiua, idest tres Personæ specialiter, & spiritualiter reficiuntur. Pax ibi primus cibus est, humilitas simul apponitur cum patientia, mansuetudo quoque, & lenitas, & quod summè suauitas, & puritas cordis; Charitas autem ex huiusmodi conuiuio principem obtinet locum*.

449 Dico tertio multos Angelos astitisse Beatissimæ Virgini, dum Christum Dominum in vtero gestaret, Sic Aponius libro 5. in Canticam ad illa verba cap. 3. *Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt*. ait. *Hic lectum sibi fabricauit in Virgine Maria. Per sexaginta vero Angelorum ministeria demonstrantur*. Quare, & Vincentius Regius tom. 1. Elucid. Euangelicarum libro 1. cap. 10. ait: *Non enim dubito affirmare eo ipso momento, quo Christus Dominus in aureo Virginis vtero conceptus est, omnes vbique Angelos, omnes cœlestes Choros, non modo coràm Christo adorabundos concidisse; sed etiam coram Matre*. Conueniens enim erat vt, & Regi, & Reginæ debitum præstarent obsequium.

450 Hinc disce Angelos imitari, & Deo gratissimum præstare obsequium, qui partum expectationis B. V. Mariæ summa colunt deuotione; quod videtur innuere Isaias cap. 18. dum ait: *Ite Angeli veloces ad gentem expectatricem, quia hęc dicit Dominus, quiescam, & considerabo in loco meo, & deferetur in illo tempore munus ad locum nominis mei ad montem Syon*.

451 Dico quarto Christum Dominum infantulum vtero matris per vmbilicarem venam fuisse coniunctum.

Ad cuius euidentiam sciendum est fętum cõmuniter in vtero non ali ore, sed vena nudrimentali qua per vmbilicum coniungitur matri patet quidem secundinis quæ plenæ sunt venis per quas sugit sanguinem à matre. Ita Aristoteles 2. de ortu animalium capit. 4. & 5. & Andreas Laur. lib. 2. oper. Anatomici quæst. 27. & 33.

452 Probatur modo nostra Conclusio ita habet expresse Tertullianus de carne Christi dum ait. *Si adhæsit qui auulsus est quomodo adhæsisset, nisi dum ex vtero est per illum neruum vmbilicarem, quasi folliculi sui traducem annexus origini vulua*. Quàm apertè sequitur

quitur Toletus in caput 2. Lucæ annot. 19. & habetur in Reuelationibus S. Birgittæ lib. 7. capit. 21. vbi ait de SS. Virgine M. *Quæ tunc sedens in terra posuit Filium suum in gremio, & recepit eum digitis subtiliter vmbilicum eius, qui statim absc issus est, nec indè aliquis liquor, aut sanguis exiuit.*

453 Probatur etiam ratione; quia Verbum assumpsit naturam humanam integram; ergo, & neruum seu venam vmbilicarem; debuit enim, vt ait Apostolus ad hebræos 2. *Per omnia fratribus assimilari*. Facit ad hoc quod à S. Elisabeth dictum est. *Benedictus fructus ventris tui*. Videtur enim alludere ad illud Galeni comment. super primum Aphoris. sect. 4. *Sic fœtum alligari matri, sicut fructus arbori.*

Et licet corpus Christi Domini fuerit momento omnibus partibus elaboratum, non est tamen propterea deneganda vena vmbilicaris: non enim ob id solum alitur per illam venam fætus, quia caret pulmento perfecto; sed quia commodius sic enutritur.

454 Ab aliquibus verò Doctoribus grauibus non admittitur Christum Dominum habuisse membranas, & secundinas, quibus esset amictus, quibus fætus per vmbilicum coniungitur; Sed

Respond. tamen in eo casu non deesse aliquos qui affirmant præter membranas, & secundinas emanare quædam ligamina, quibus adnectitur fætus in vmbilico matri; quod si non esset in alijs fætibus, in Christo Domino esset probabilissimum ob excellentiam Deifici conceptus.

455 Licet Hippocrates libro de Princip. dicat, quod puer in vtero comprimens labia sugit, & tùm alimentum, tùm spiritum cordi intro trahit dum mater respirat. Et Galenus libro de Histor. Phis. ex sententia Democriti, & Epicuri idem confirmet, vbi ait; quod nutrimentum ore suscipiunt, & ideo in lucem editi, statim mamillas comprimunt. Et Aristoteles 2. de Gen. cap. 9. dicat quosdam infantes in vtero ali sugentes quamdam carnunculam.

Respond. Nouatus c. 9. quæst. 6. illam doctrinam non esse communiter receptam, & dato etiam quod Christus Dominus aliquam alimoniam ore hausisset, non est necesse quod omnem hauserit.

456 Colligit ex hac physica vnione Nouatus prima parte quæst. 6. inter Christum, & Mariam præcisum quemdam gradum spiritualis vnionis. Et sicut ait Bartolus lib. quæ. ff. de act. empt. & vend. & Inst. de rer. diu. quod arbor dum est coniuncta solo ad soli Dominum pertinet. Sic dicere possumus, quod dum Verbum Incarnatum veluti radices eijcerat in vtero Virginis, dum illi continua connexione adhærebat, factum fuit peculiari modo ipsius Virginis. Et si per impossibile posset desinere esse Patris æterni Filium post Incarnationem fuisset solius Matris; sed quia nequit, Pater æternus voluit illum cum Sanctissima Virgine habere communem.

457 Dico quinto Christum Dominum in vtero Virgineo pro alimonia habuisse purissimum SS. Virginis sanguinem; nam ex Tostato in Leuitici caput 12. quæst. 11. Aristotele lib. 15. de animalibus, & præcipuè ex Andrea Laur. libro 2. operis Anathomici quæst. 3. vnica in fætu fit concoctio; non enim vult esse necessariam Chylin, & Hemansim cum sanguinem maternum hauriat, eumque purissimum. Vnde nouam formam in eo induci plane inficiatur;

cum

cum ille sit tantum magis excoquendus, & differat tantum exigua perfectione, & aliquibus accidentibus. Præterea sicut fuit ex purissimo sanguine solo virtute Spiritus sancti elaboratum, sic conueniens erat, vt eodem nutriretur.

458 Collige hinc magnam eiusdem SS. Virginis gloriam tum quia proximam materiam suppeditabat, quæ hypostatico nexu Verbo vniebatur: tum quia ab hac alimonia, quam ministrabat, Christi Domini vita, quæ est infiniti valoris pendebat.

459 Dico sexto satis probabilem esse sententiam, quę affirmat B. Virginis vultum effulsisse, dum in vtero habebat Christum Dominum.

Ita Origenes expon. ait *Quamdiu Virgo beata habuit in suo vtero solem iustitiæ, tantus fulgor exibat de eius facie, quod Ioseph eam cognoscere, & discernere non valebat*. Ita etiam Nicolaus de Lyra, S. Hilarius, Glossa ordinaria ad illa verba S. Matthæi cap. 1. Ioseph non cognoscebat eam. Hanc opinionem refert; quam nec S. Thomas 3. parte cap. 28. art. 3. ad tertium illam approbat. Ait enim; quidam vero hoc referunt ad notitiam visus; sicut enim Moysis cum Deo colloquentis glorificata est facies, vt non possent intendere in eam filij Israel (Exodi cap. 34.) sic Maria claritate virtutis Altissimi obumbrata cognosci non poterat à Ioseph donec pareret. Sic, & Ioannes Baptista Guarinus in sua Hierarchia lib. 1. capit. 9.

460 Quomodo autem non solum facies, sed etiam totum corpus SS. Virginis aliquando splendesceret indicat Gerson tract. 4. in *Magnificat* dicens: *Iam quoque dotes corporis glorificati in ea inchoabantur ex abundantia virtutum; nec non dominium spiritus super animam, & corpus, vt esset indè corpus agile secundùm omnes vires cognitiuas, & motiuas, subtile prætereà, & clarum nec ita passibile vt nostrum*. Quod fortè innuitur Danielis cap. 7. dum dicitur: *Thronus eius sicut flamma ignis*. Quod ex eo suadetur, quod priuilegia alijs Sanctis concessa, B. V. Mariæ, non sunt deneganda: sed splenduisse faciem aliquibus Sanctis constat, tùm Moysi, tùm S. Ignatio, tùm alijs; Ergo.

461 Obijcies primo cum Tostato in caput primum S. Matthæi quæst. 44. Ille fulgor visus fuisset non solùm à S. Ioseph, sed, & ab alijs, qui ignorabant eam de Spiritu sancto concepisse, & reputassent eam maleficam, & omnes concurrissent ad videndum tantum fulgorem, quod virgineo pudori non videtur conuenire. Ergo.

Secundo. Si S. Ioseph illum vidisset, non fuisset turbatus: etiam si grauidam animaduerteret sed fuit turbatus. Ergo.

Tertio, S. Matthæus de tali fulgore mentionem fecisset, vt res specialis nec prætereunda silentio, sicut factum est de Moysi, &c.

462 Respond. ad primum, quod ille fulgor non conspiciebatur ab omnibus; sed tantum à S. Ioseph, & ab ijs, quibus diuina Prouidentia disponebat vt innotesceret.

Ad secundum. Probabile esse, quod S. Ioseph non aspexerit talem fulgorem nisi post apparitionem Angeli, nam Textus Euangelicus sic habet: *Exurgens autem Ioseph à somno fecit sicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit coniugem suam & non cognoscebat eam, donec peperit*.

Ad tertium. Quod tacitè facta est mentio, dum dicitur *Non cognoscebat eam*. Et quomodò fulgorem in facie non haberet, si ipsa Beatissima Virgo Maria est *Fulgor Poli*. Venantius fortunatus elegia in laudibus S. V. M. *Fulgor iacentibus in tenebris*. S. Germanus Constantinop. orat. 2. de B. M. V. *Fulgor Lunaris*. S. Bernardus sermone 3. super Salue Regina. Et *Fulgor salutaris mundi*? Ait Robertus Bellarminus in concione de Assumptione Beatæ Mariæ Virginis?

Finis Libri Primi.

LIBER

LIBER SECVNDVS

DISPVTATIO I.

§. I.

De B. V. M. Christum Dominum parturiente.

1 Dico primo Beatissimam Virginem peperisse Christum Dominum sine dolore. Est communis Patrum cum D. Thoma 3. parte quæst. 35. art. 6. vnde Arnoldus Carnotensis de Laudibus V. ait *Vndè ipsi egredienti nullum exigens tormenti vectigal vltrò natura ianuas reserabat*. S. Ioannes Damascenus libro 4. de fide. *Quo voluptas non antecessit, nec dolor quidem in partu subsequens est*. S. Hidelphonsus de Virgine, & parturiente. S. Bernardus homil. 3. super *Missus est*. Nazianzenus traged. de Christo Domino patiente. S. Fulgentius serm. de laudibus Mariæ, & S. Augustinus sermone 10. de SS. & 14. de Natiuit. imò, & ex Reuelationibus S. Birgittæ lib. 7. cap. 22. ipsa SS. Virgo sic eam alloquitur *Peperi enim eum cum tanta exultatione, & lætitia animæ, quod non sensi aliquod grauamen, quando ipse exibat de corpore meo, nec dolorem aliquem; sed statim inuolui eum panniculis mundis*.

2 Probatur secundo rationibus; Quia nulla ibi alteratio, vel ruptio, seù mutatio conuenienti dispositioni contraria: vndè Amedeus homil. 3. de S. M. V. *Vt claritas solis vitrum absque lesione penetrat, sic Dei Verbum adijt virgineum habitaculum, & indè prodijt clauso Virginis vtero*. Hinc vt ipse Amedeus homil. 4. ratiocinatur: *Sicut clauso exijt sepulchro, & clausis ianuis cænaculum ingressus, sic & è Virginis vtero exiuit*.

Probatur tertio, quia dolor infligebatur, & infligitur mulieribus in partu pro inobedientia; sed Virgo semper fuit obedientissima. Ergo.

Quarto: sic videbatur honoranda Mater à Deo Filio, &c.

3 Obijcies Apocalypsis cap. 12. habetur *Cruciabatur, vt pareret*. Ergo, &c.

Respond. multos cruciatus sustinuit ante.

Primo, in Laboriosa Bethlehem peregrinatione.

Secundo, in perpessione maximi frigoris.

Tertio, in exclusione ab omni diuersorio.

Quarto, quod Rex Regum vix stabulum, & fęnum pro reclinatorio haberet, & bestias adstantes.

Quinto, quod derelictus ab omni populo esset.

Sexto, quod nullum consuetum obsequium natalitium haberet, licet in hac cruce summè gloriabatur Sanctissima Virgo.

4 Respond. secundo, quod de partu spirituali omnium creaturarum potest intelligi. Angebatur autem maximè ex consideratione Passionis sui Sanctissimi Filij; nam vt habet S. Birgitta libro primo cap. 10. ex verbis SS. Virginis: *Quando considerabam loca clauorum in manibus, & pedibus quos secundùm Prophetias crucifixuros audiui, tunc oculi mei replebantur lacrymis, & cor meum, quasi scindebatur præ tristitia, & cum Filius meus oculos meos aspiciebat lacrymantes, tristabatur quasi ad mortem. Cùm verò considerabam potentiam deitatis eius, consolabar iterum sciens, quod ipse sic vellet, & sic expediret, & omnem meam voluntatem conformaui voluntati eius, & sic semper erat lætitia mea mixta cum dolore.* Sic etiam, & in serm. Angelico cap. 17.

5 Dico secundo Beatissimam Virginem peperisse cum magno gaudio, & lætitia.

Ex Isaia cap. 35. *Germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans.* Et ex S. Birgitta libro 7. cap. 21. vbi ait SS. Virgo. *Quando verò peperi eum, sicut, & concepi cum tanta animi, & corporis exultatione, quod pedes mei præ exultatione non sentiebant terram, vbi stabant, & sicut in omnia membra mea cum gaudio totius animæ meæ intrauit; sic cum gaudio omnium membrorum, & exultante anima ineffabili gaudio sine læsione Virginitatis meæ exiuit.* Sic & in sermone Angelico cap. 17. Ita etiam S. Cyprianus sermone de Natiuitate Christi ait: *Genitrix est, & obstetrix, se deuotam dilectæ soboli exhibet, clientelam attrectat, amplectitur, iungit oscula, porrigit mammam, totum negotium plenum gaudij.* Et Amedeus homil. 4. de laudibus V. *Si autem illo nascente*, ait *cuncta lætata sunt, Mater eius qualiter lætabatur? si cuncta gaudebant, illa quanto gaudio fruebatur?*

6 Probatur etiam ratione, quia parturiebat eum à quo omnes paradisi fluunt deliciæ. (Sic enim discurrit Canisius lib. 1. de Deipara cap. 19.) si tantum gaudet mulier, quæ hominem impurè conceptum cum dolore in lucem editum aspicit; quantum obsecro, & quàm incredibile Virginis nostræ gaudium fuit, quæ puræ Virginitatis fontem, & peccati redemptorem orbi procreauit.

Secundo, quod si *gauisi sunt Magi*, Matth. cap. 2. *Videntes stellam*, nunciam partus ipsius Domini quantò magis, quæ aspiciebat ipsum Syderum conditorem?

Tertio præterea gaudere debebat videns implere tot Patrum vota, suspiria, & desideria.

7 Quarto, quod si tantum gaudium B. Francisco ob vnius Angeli liram tangentis, vt se exhalaturum crederet, si altero ictu eam pulsaret: Quod gaudium B. Virgini cum emisso Dominico partu Angelorum concentus audiuit canentium: *Gloria in Altissimis Deo!* Sentio in hoc peculiari Dei auxilio eguisse, ne animam exhalaret: eo magis, quod videbat in se completam maternitatem Dei, quæ ex D. Thoma in ratione maternitatis est infinita.

8 Dico tertio quod Beatissima Virgo orationi vacabat quando peperit Christum Dominum.

Probatur ex S. Birgitta in suis Reuelationibus lib. 7. cap. 21. vbi ait. *Cumque hæc omnia sic parata essent, tunc Virgo genuflexa est cum magna reuerentia ponens se ad orationem, & dorsum versum præsepe tenebat, faciem verò ad cælum leuatam versus orientem; erectis igitur*

tur manibus, & oculis in cęlum intentis stabat, quasi in exstasi contemplantis suspensa inebriata diuina dulcedine, & ea sic in oratione stante vidit tunc moueri iacentem in vtero eius, & illico in momento, & ictu oculi peperit filium. Et cap. 22. ipsa Virgo Sanctissima ad eam sic loquitur. *Scias certissimè, quod ego sic steti, & tali modo peperi sicut nunc vidisti flexis genibus orando sola in stabulo.* Sic & Canisius libro 1. de Virg. part.

9 Et quidem primò, videtur decens, vt quæ orando conceperat, & orando pareret.

Secundo, quia Magister vitæ spiritualis adueniebat, & voluit ostendere quanti faceret orationem.

Tertio, vt intelligeremus, quod sicut media oratione Saluatorem habuimus, & gratiam, & salutem, nonnisi eadem oratione interueniente esse habituros.

10 Sic docet D. Dionysius de diuinis nominibus capit. 7. omnem actum Theologicum, qui vel de Deo, vel cum Deo agit ab oratione esse inchoandum, sic sol iustitiæ vult hanc suum aduentum præire auroram.

Disce ex hoc, primò, quantum Beatissima Virgo pro communi hominum salute inuigilauerit.

Secundo, quibus affectibus, & actibus debent se præparare peccatores ad tantum Regem suscipiendum, quando ea quæ erat Sanctissima non nisi oratione interueniente peperit, & tamen vsquequaquæ Deo erat acceptissima.

11 Dico quarto Beatissimam Virginem auctam fuisse in partu Christi Domini.

Vnde S. Augustinus sermone 15. de Tempore: *Creuit in eius partu integritas corporis, potius quàm decreuit; & Virginitas ampliata est, potius quàm fugata.* Et tomo 10. serm. 22. in Natali Domini ait: *Audiat omnis ætas, quod nunquam audiuit; Virgo partu suo nupsit, Virginitatem dum paret duplicauit.* Et S. Petrus Chrysologus serm. 142. *In suo conceptu, in suo partu creuit pudor, aucta est Castitas, integritas roborata.*

12 Probatur etiam primo, quia ipse sanctissimus Filius nascendo sacrauit Virginitatem; *Nascebatur enim de Virgine*, ait Cirillus Catechesi 12. *vt Virgines efficeret animas.* Sic nouum quemdam erga Virginem affectum impressit. Imò videtur ex ipso partu nescio quid infiniti participasse, quare, ait S. Ambrosius in conc. de Purit. *Virgo concepit, Virgo peperit, & sine fine Virgo permansit.*

13 Secundo probatur; quia significat Ecclesiam Virginem, & parturientem fideles; vndè S. Augustinus lib. de Sancta Virg. cap. 6. *Oportebat*, ait, *Caput nostrum per insigne miraculum secundùm carnem nasci de Virgine, quo significaret membra sua de Virgine Ecclesia secundùm spiritum nascitura.* Ita etiam S. Isidorus. Quod si erga eam videtur habuisse maiorem affectum quam erga Dei maternitatem, dum ait Angelo *Quomodo fiet istud.* Quæ tamen habet nescio quid infinitatis, infinito quodammodo affectu, & inesplicabili nunc erga illam affectum fuisse.

14 Dico quinto Beatissimam Virginem peperisse Christum Dominum absque vllis sordibus, aut sanguinis emissione.

Ita Suarez, & D. Thoma disput. 13. sect. 2. & ex Reuelationibus S. Birgittæ lib. 7. cap. 21. S. Zeno sermone 2. dè Natiuit. S. Gregorius Nazianzenus, qui oratione 40. ait: *Dei Filius sine vlla spurcitie ex Virgine progressus est; nihil enim spurcum vbi Deus est.* Et Patres in Synodo actione 11. & qui in Trullo congregati relati in VII. Synodo

nodo actione 7. Can. 1. Et Ecclesia in Litanijs eam appellat Matrem purissimam.

15 Circà verò secundinas S. Birgitta libro 7. cap. 21. suarum reuelationum, ait: *Vidi etiam pellem secundinam iacentem propè eum inuolutam, & valde nitidam*. Sic & Commentator Reuelationum. Inclinare videtur Caietanus in 3. partem quæst. 3. quatenus ait: intercessisse, quæ non ex peccato; sed ex natura sunt, & in statu innocentiæ fuissent. Videtur etiam huius opinionis Abulensis in cap. 12. Leuitici quęst. 2. 3. & 4. Nihilominus Suarez disput. 13. sect. 2. Ioannes Marius scribonius in Pantalithia lib. 3. disp. 7. quæst. 7. & alij negant propter verba Patrum in Trullo congregatorum quæ sunt in Can. 1. ista: *Absque vllis secundinis ex Virgine partum esse confitentes, vt qui sinè semine constitutus sit: idque toti gregi annunciantes, eos, qui propter ignorantiam aliquid faciunt quod non decet correcturi subijcimus*. Et ita habet lectio Vaticana alijs præferta: vbi habetur sine dolore; Imò prohibet ibi, quod ab aliquibus fiebat post festum Natiuitatis Domini, nempè coquere similam, & eam sibi offerre prætextu honoris secundinarum impollutæ Virginis, eo quod dicit non esse honorem Virginis, quæ supra mentem, & sermonem quod comprehendi non potest Verbum peperit Carne.

16 Respondet tamen Nouatus non negari ibi membranam purissimam vnicam, quam ipse admittit: negat tamen secundinas propter auctoritatem Patrum Trullanorum, qui fuerunt 221. in VII. Synodo act. 7. Can. 1. quam pelliculam vult ministerio Angelorum in alium conuenientem locum translatam; vel non fuisse in lucem emissam; sed diuinitùs in aliam materiam resolutam.

17 Dico sexto Beatissimam Virginem actiuè concurrisse ad partum. Idest aliquo suaui impulsu absque labore, & dolore, ita Suarez disp. 2. sect. 1. Vincentius Regius tomo primo elucid. lib. primo capit. 19., & Theorem 3. & Ecclesia, quæ canit: *Enixa est puerpera Regem*.

Ratio est quia concursus actiuus videtur necessarius ad seruandam proprietatem partus.

Secundo, quia futura humanæ saluti cooperatrix.

Tertio, quia si noluit carnem assumere nisi eam dante, sic nec nasci sine illius concursu.

18 Dico septimo Probabile esse primum locum, quem Christus Dominus attigit fuisse prę sepis pauimentum. Ita in Reuel. S. Birgittæ lib. 7. cap. 21. vbi sic ait. *Cum igitur Virgo sensit se iam peperisse, statim inclinato capite, & iunctis manibus cum magna honestate, & reuerentia adorauit puerum, & dixit benè veneris Deus meus, Dominus meus, & Filius meus; & tunc puer plorans, & quasi tremens præ frigore, & duritie pauimenti, vbi iacebat voluebat se paululum, & extendebat membra, quærens inuenire refrigerium, & Matris fauorem, quem tunc Mater suscepit in manibus, & strinxit eum ad pectus suum*. Suarez disp. 15. ex Caietano putat fuisse inter Bracchia SS. Virginis Angelorum ministerio. Videtur hoc innuere illud verbum *reclinauit*, idcircò citata inclinatione.

19 Fuit autem reclinatus in Præsepio, primò, ait Suarez disp. 13. sect. 3. quia non semper poterat sustinere eum brachijs SS. Mater. Non placet hæc ratio Nouato, quia ait ipse, ille infans erat infinitè amabilis; & re vera, vbi amor, non labor, sed videtur admittenda saltem pro tempore cibi,

bi, & somni.

20 Secunda ratio, & S. Ioanne Chrysostomo homil. prima in Lucam. S. Gregorio Nisseno orat. de Sancta Christi Natiuitate, & S. Cirillo Hierosolimitano Catechesi 12. vt impleretur Scriptura Isaiæ cap. 1. *Cognouit bos possessorem suum, & Asinus præsepe Domini sui.*

Tertia ratio, quia sciebat Sanctissima Virgo quantum esset Filius suus humilitatis amantissimus.

Quarta, quia ex Zacharia cap. 13. *Ipse est fons patens* ideò ad decliuia descendit:

Quinta, quia primo conceptionis momento eumdem Patri obtulit; & sic nunc Patri Virgo inclinauit pro salute hominum simul, & reclinauit.

21 Sexta, vt ait S. Gregorius Thaumaturgus sermone primo in Annunciatione SS. Dei Genitricis: *In mensa iumentorum cœlestis panis propositus est, vt homines instar pecorum irrationales mystici cibi participes redderet.* Sic etiam præsbyter Hierosolym. in Biblioth. PP. tomo 6. parte 2. ferè eisdem verbis. Ait autem S. Birgitta lib. 7. cap. 21. *Tanta Lux, & tam ineffabilis splendor exibat, quod sol non esset ei comparabilis.* Quare iactet quantum vult Suetonius Neronis Natalia, quod in suo ortu prius ab oriente sol illustratus sit, quàm præterea exceptus. Nos nostrum Iustitiæ solem veneramur, in ipso pauimento refulgentem plus sole, & veneramur, & adoramus.

22 Dico octauo à Beatissima Virgine Christum Dominum fuisse pannis inuolutum, propter duo;

Primum, vt ostenderetur (præter necessitatem naturalem) in potestate Virginis esse diuinæ iustitiæ manus, ne ad vindictam procedant cohibere.

Secundum, vt illatam à serpente Euæ iniuriam vlcisciretur; nam suasit diuinitatem fictam sub rubentis pomi cortice. Hæc verò Sanctissima Virgo serpenti veram abscondit. Vt Habacuc cap. 3. habetur *Abscondita est fortitudo eius.* Nota est historia Zeusis, & Parrhasij, &c. Sic illudebat Draco antiquus homines, qui præ leuitate volucres dici possunt; illusus est ipse, dum sub linteis albis solum humanæ naturæ indiuiduum putat esse repletum miserijs, & sic impletum est illud Psalmi 103. *Draco iste quem formasti ad illudendum ei.* Quare primò, si & nos cupimus effugere satanicos astus ad Virginem Sanctissimam confugere debemus. Secundò, si sub eius protectione manemus, non tantopere erit extimescenda altrix Dei manus, de qua Iob. cap. 13. *Manum tuam longe fac à me.*

23 Dico nono Deiparam ex partu Christi Domini nullam propriam superioritatem naturaliter acquisiuit in eum, tamen in Christo Domino fuisse debitum pietatis erga ipsam Sanctissimam Virginem matrem.

Probatur prima pars. Quia ipse Christus Dominus supremus omnium ait enim Apostolus prima ad Corinthios cap. 15. *Nouissima autem inimica destruetur mors; omnia enim subiecit sub pedibus eius. Cum autem dicat omnia subiecta sunt ei sine dubio præter eum, qui subiecit ei omnia; cum autem subiecta fuerint illi omnia, tunc, & ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia.* Ergo omnia subiecta sunt Christo, qui vt homo subiectus erat Patri.

24 Probatur secundo, quia Virgo quem genuit adorauit, non solùm vt Deum, sed vt hominem, & adoratio supponit superioritatem.

Tertio, ex illo Ioannis, capit. 2. *Quid mihi, & tibi mulier?* Vbi ponendo se

do se in primo loco ostendit suam superioritatem.

Quarto, quia excellentia capitis Ecclesiæ postulabat præeminentiam super omnia sua membra, & vt independens esset, quod suos actus liberos à quacumque pura creatura. Et sic illa verba S. Lucæ cap. 2. *Erat subditus illis*, intelligenda sunt non de subiectione naturali, sed tantùm de spontanea. Sic innuit S. Ambrosius in caput 2. Lucæ dum ait: *Non vtique infirmitatis, sed pietatis ista subiectio*. Sic igitur conciliatur sententia Toleti in caput 2. Lucæ, & Titi Bostrensis negantium, & sententia Salazari in caput 8. Prouerb. vers. 13. numer. 142. & Maldonati.

25 Secunda pars probatur primo ex authoritate Patrum nam Methodius serm. de Purific. ait: *Euge, quæ debitorem habes eum, qui omnibus mutuatur*. Et S. Hyppolitus in oratione de Sanctific. *Vt decretum obseruaret omnem gratiam matri, & honorem impendit*. D. Bernardus etiam in serm. 2. super *Missus est*, ait, *quod Deo fœmina principetur sublimitas sine socio*.

26 Probatur secundo quia hoc debitum non supponit inferioritatem, & non possit dissociari à naturali filiatione nec etiam quando filius est mancipatus licet patria potestate sit solutus de qua Aristoteles 9. Ethicorum cap. 9. Probatur natura filiorum imperium obtinet: quod verò non dicat inferioritatem illud pietatis debitum, probatur, quia solum dicit quod spectata morali honestate, & condecentia conueniebat, vt Christus, quatenus verus SS. Mariæ Filius pietatem erga eam tàm veram matrem exerceret illi obsequia præstando; Quare si patria paruos accipitur pro imperio, & dominio, negandum Christum sub ea specie fuisse; non sic si accipitur pro pietatis debito, quod si quo nobilior vita recipitur, & maiora obsequia præstare tenemur; cum Christus vitam infiniti valoris aliquo modo receperit, quatenus illa verum influxum maternum habuit in generationem Christi, cuius vita ratione vnionis hypostaticæ erat infiniti valoris, conueniens fuit, vt Christus magis, ac magis ei obsequia prestaret.

27 Quapropter in Cruce, vt ait S. Ambrosius libro de Virginis Institutione cap. 7. *Paulisper publicam differt salutem, ne matrem inhonoratam relinquat*.

Agnosce in hoc ingeniosam diuinæ Sapientiæ inuentionem pro obsequenda matre; nam vt dicit S. Bernardinus Senensis tom. primo serm. 55. de Passione Domini cap. 3. *Electos omnes in persona Ioannis ei commendauit in filios, eam simul deuinxit ad eorumdem filiorum miserias subleuandas*. Vnde magna ipsi Christo occasio offerebatur toties obsequendi matri.

28 Quare Theoph. Alex. libro de Incarnatione Verbi ait: *Gaudet filius orante Virgine, quia omnia, quæ nobis precibus suę Genitricis euictus donat, ipsi matri se donare putat, & acceptæ ab illa sine Patre humanitatis vices rependit*. Et Gregorius Nicomediensis Archiepisc. oratione de Præsentatione Virginis apud Surium: *Filius petitione sua delectatur, gaudet se rogari; suam enim gloriam Creator existimat esse propriam, & tanquam Filius ea exultans, quasi exoluens debitum, implet petitiones*. Sic & Guanicus serm. de Assumpt. in persona Christi ait *Ego vt Patrem honorarem in terram descendit; vt matrem honorem in cœlum reacendi*. Confugiat ergo ad Sanctissimam Virginem nequissimus quilibet peccator esto pessimus, & scelerrimus omnium

nium

nium, securus quod Filius eius dulcissimus illius preces libentissimè suscipiet tanquam occasionem SS. Matris magis ac magis honorandæ.

DISPVTATIO II.

§. II.

De SS. Virgine Deipara Christum Dominum lactante.

29 Dico primo propter multa debuisse Beatissimam Virginẽ proprias mammillas Christo Domino offerre.

Primo, quia Virginea caro nonnisi virgineo lacte nutrienda erat.

Secundo, quia amor perfectus non disiungit, sed iungit obiectum amatum; vndè tradere filium aliis alendum est defectus amoris.

Tertio, quia ardebat incendio excitandi semper sui maiorem amorem in illo SS. Filio quod maxime fiebat per lactationem, per quam communicatur indoles puero; ex qua oritur similitudo, maximum amoris fundamentum; tum quia nutrix succedit loco matris.

Quarto quia sicut exhibuerat SS. sanguinem, ex quo corpus formatum primo vnitum fuerat Verbo diuino hypostaticè; sic & conueniens erat, vt & materiam præberet, quæ nouis partibus vnionis ipsi Christo Domino adiungeretur.

Quinto, vt efficacior fieret apud Deum ad obtinendam pro peccatoribus veniam: vnde S. Bernardus super *Missus est*, sic ait; *O homo securum habes accessum ad Deum, vbi Mater stat ante Filium, & Filius ante Patrem; Mater ostendit Filio pectus, & vbera; Filius ostendit Patri latus, & vulnera; nulla ergo poterit esse repulsa vbi tot amoris insignia.*

30 Prætereà etiam apud prophanos Scriptores reperitur damnatum præbere filium alijs lactandum; vndè apud Aulum Gellium libr. 12. Noct. Attic. cap. 1. habetur, *Quid indignius quàm infantem statim à matre relinqui! Quis hoc in feris quantumuis immansuetis obseruare potuit! Quanta cura Leænæ, Tigrides, & Lupæ suos fœtus nutriunt?* Vndè, & ibi quidam Taurinus inuehitur in quamdam fęminam dissuadentem matri lactare proprium filium, & ait: *O mulier sine eam totam integram matrem esse filij sui.* Hoc dictum puto fundatum; in illud Auicennæ lib. primo f. doctr. cap. 2. qui dicit *Ipsum lac matris magis nutrire, quia est magis simile substantiæ nutrientium præteritorum; scilicet menstruorum, quæ conuertuntur, & fiunt lac.*

31 Quare & S. Vincentius Ferrerius sermone 2. de Natiuitate V. ait. *Dedit Deus vbera mulieri non ad illa hominibus ostendenda; sed sicut vterus vxoris est camera filij, ita vbera sunt cellarium.* Docet hìc igitur Beatissima Virgo Matres, vt suos alant filios, & quàm alienum sit ab officio matris eos non lactare.

32 Contemplare hìc cum D. Basilio Seleuciæ Episcopo oratione in Annunciatione B. V. colloquia Matris Sanctissimæ cum infante; vbi sic meditatur ille ex parte matris. *Ecquid igitur tecum disceptabo? Lacte ne enutriam, an vero, vt Deum colam? Vt mater curabo, an verò, vt ancilla adorabo? Vt filium amplexu fouebo, an vero vt Deum supplex inuocabo? Lac ne porrigam, an vero thymiama offeram? Et quod hoc magnum, & abditum est miraculum? Cœlum tibi thronus est, & sinus meus te complexus est. Totus his præsto es, qui in infernis degunt, neque tamen ab ijs abes, qui in supernis viuunt: nec enim localis fuit tua illa descensio, sed diuina quadam submissio, & condescensio.*

33 Dico secundo probabilem esse vtramque opinionem circa vbera B. V. an si lacte miraculoso fuerint plena.

Nam partem affirmatiuam videtur innuere Ecclesia dum in officio Circumcisionis ait: *Ipsum Regem Angelorum sola Virgo lactasti vbere de cęlo pleno*. Sic & S. Athanasius sermone de descript. Virginis, & S. Ioseph, ait; *Lac nouo, & peregrino fluxit modo*. S. Damasc. in Carm. de Annunc. *Quonam modo lac profundas ò Casta Virgo mortalis lingua loqui non potest; noua enim naturæ res ostenditur*. Et S. Vincentius Ferrerius sermone de Natiuit. Christi D. ait: *B. Virginem lacte carentem pro lacte Deum deprecatam subitoque fuisse eius vbera lacte plena*. Quod sequitur etiam Ghislerius in caput primum Canticæ in illud: *Meliora sunt vbera tua vino*. Sic, & Ludouicus de Ponte in eadem verba lib. 1. Canticæ exhort. 10. §. 3. Ratio esse potest, quia videtur debuisse esse miraculosum, vt esset alimentum consonum. Secundo quia fęmina nonnisi cognita lac emittit.

34 Partem negatiuam tenent Vincentius Regius in suis dilucid. Euangel. lib. primo Theorem. 3. & Nouatus cap. 11. quæst. 2. quod probant ex oraculo Sybillæ Cimmeriæ, quæ ait:

Militia æternæ Regem Sacra Virgo cibabit
Lacte suo........

ex S. Laurentio Iustiniano serm. de Assumpt. qui introducit Christum D. sic matrem alloquentem: *Me concepisti, & genuisti, de te tuo me lacte nutristi*. Et ex S. Idelphonso sermone de Assumptione, qui ait: *Hunc Sacratissima Virgo lacte carnis aluit, & nutriuit*.

35 Probant etiam quia naturale est mulieri parienti, vt sanguis menstruus ad mamillas defluat, & in lac conuertatur noua concoctione ad alendum fętum; quod etiam conatur credere ex eo quod ex Aristotele lib. 3. de hist. Animalium capit. 20. *Lac etiam*, ait, *in viris generari potest*. Sic Auicenna, Albertus Magnus, & Cardanus de subtilit. testatur se hominem cognouisse ex cuius mammis lac in magna quantitate fluebat, vt infans commode ali posset; & in nouo orbe testatur esse homines, qui magnam in mammis lactis copiam habent: Quod si viris, cur non etiam fœminæ Virgini? Fauet Hippocrates in Aphorism. sect. 5. dum ait: *Si mulier quæ non concepit lac habet, ei menstrua defecerunt*.

36 Quare Andr. Laur. lib. 3. oper. Anathomic. quæst. 2. duplex lactis genus agnoscit, verum, & perfectum vnum, alterum imperfectum, & non verum, quod nec dulcedinem, nec vires alimenti habet.

37 Insuper probant: quia sic aiunt maiorem admitti communicatio-

nem

nem inter Beatissimam Virginem, & Christum Dominum, & ipsum Christum Dominum, & nos: Et etiam quia meliùs se verum hominem ostendebat. Vndè ad supra citatas auctoritates.

38 Respondent vocari de cœlo quatenus ex miraculo præcedenti pendebat; & sic Respond. ad D. Athanas. S. Damasc. & ad D. Vincentij auctoritatem admitti quidem quod celeriùs precibus impetrauit, sed ipsum lac fuisse vere ex purissimo sanguine interueniente naturali concoctione. Ad Ludouicum de Ponte Respond. quod sufficit quod esset optimi temperamenti, eximiæ sanctitatis, & perfectissimæ indolis. Ad rationem ideò conuenire fœminæ cognitæ, quia regulariter fœmina nonnisi cognita lac habet.

39 Dico tertio Beatissimam Virginem lactando Christum Dominum infantem in egregiam eius indolem influxisse, quatenus tantam continebat perfectionem, vt proportionatum esset ad optimum corporis Christi Domini temperamentum fouendum, & conseruandum, ex quo temperamento rectè disposito conseruabatur præclara indoles.

Probatur primo quia animi mores corporis temperamentum consequitur ex Aristotele cap. 1. Physiognomiæ. Et cum lacte instillantur infantibus mores à nutricibus. Ex Galeno de tuenda sanit. lib. 1. & Auicenna lib. 1. fun. 3. doctrina prima cap. 2. Et Michaele lib. de Principis institutione; vndè Macrobius narrat Titum Imperatorem semper aduersa fuisse valetudine quia nutricem habuit infirmam. Dionys. Halicarnasseus Caligulam sanguinis humani sitientissimum asserit, quia eius nutrix sanguine liniebat vbera prius quam infanti præberet. Adrianum Imperatorem immoderatè vinum bibisse asserunt, quia, & nutrix vini potatione dedita erat. Iustinus lib. 44. suæ historię in Hispania in vrbe Gallecia testatur se vidisse Habbidem infantem enutritum ab vberibus Ceruæ tanta velocitate fuisse pedum vt montium iuga eadem cum Ceruis celeritate ascenderit. Vide Plutarc. libro de educ. Liberis. Gellium lib. 12 noct. Atticarum cap. 1. vbi Taurinus habet, Agnos à capra nutritos duriores solito habere pilos, & hędos ab oue teneriores. Et Columella libro 7. de re rustica canes quos volumus generosos non esse alienæ nutrici, sed matri, si generosa est, prębendos.

40 Probatur secundo, quia à matribus habent filij, vt matrizent, vt habet Tiraquellus ad 2. l. Connub. num. 73 & alij. Collige hinc primo, quàm conueniens fuerit, vt esset à peccato originali immunis, & à fomite libera, & cæteris dotibus polleret Virgo Deipara: nam si ex Plinio lib. 11. natural. Histor. Apes fauum regalem ex electis floribus conficiunt, in quo ipse Rex sine aculeo proditur, & commodatur: sic, & hæc quæ erat velut fauus electissimus in quo Rex Apum idest Christus noster erat commoraturus, ex omni virtutum electarum, & prærogatiuarum insignium collectione fuerat decoranda, vt de illa verè dici posset illud Canticæ *Vna est electa mea*.

41 Collige secundo Beatissimam Virginem nouo titulo lactationis illibatum Virginitatis florem seruare obligatam fuisse, vt lac virgineum virgineo affectu infanti Virgini satis amantissimo instillaret. Vnde Alanus in Canticis cap. 1. ad illa verba: *Meliora sunt vbera tua, &c* Ait talia optabat Christus vbera, à tali vbere lac

sugere, quod non saperet carnis lubricum, sed virginitatis antidotum.

42 Collige tertio Beatissimam Virginem Deiparam concurrisse ad copiosiorem humani generis redemptionem, quæ ex eo copiosior est facta, quod intentius inflicta vulnera sensit ob delicatissimam corporis constitutionem, in quam ipsa Sanctissima Virgo Deipara influxerat.

43 Dico quarto Christum Dominum delicias ineffabiles ex sugendis vberibus Beatissimæ Virginis habuisse.

Probatur primo ex Isaia capit. 11. *Delectabitur infans ab vbere*, & Psal. 21. *Tu es qui extraxisti me de ventre matris meæ* (& quasi confortans se ipsum subdit) *Spes mea ab vberibus matris meæ*. Vnde Bernardinus de Busto serm. 3. de partu Virginis M. part. 2. in fine, ait: *Beatissimæ Virginis lac habuit saporositatem, quam traxit de Spiritus Sancti depuratione lac aliarum mulierum habet multum impuritatis, ideo non potest esse magni saporis; Lac verò B. V. ideò fuit à Spiritu Sancto depuratum, quod factum est dulcissimum, & nimium saporosum*.

44 Secunda ratio (quam non satis approbat Nouatus, sed recurrit ad optimum temperamentum) est, quia Beatissima Virgo magno lactabat cum amore quo mirum in modum res dulcorantur: nam vt ait Plautus in Cat. actu 2. scena 3. *Amor ipsum fel, quod est amarum, mel faciet*.

45 Tertia, quia Christus Dominus sitientissimus tormentorum cognoscebat aptius reddi corpus suum sacratissimum ad illa intensius perferenda, quo magis lac illud Sanctissimum delicata erat temperie constitutum: hinc ad hebræos cap. 10. *Corpus autem aptasti mihi*.

46 Quarta ratio, quia sciebat ipsum lac conuertendum in sanguinem effundendum, & in carnem lacerandam, & dilaniandam pro Redemptione eminenter præseruatiua ipsius SS. Virginis: vndè S. Augustinus ait sermone de Annunc. *Lacta Maria Creatorem tuum, panem cæli, pretium mundi, præbe lambenti mamillam, vt ille pro te percutienti præbeat maxillam; lacta eum qui fecit te talem, vt ipse fieret in te*.

47 Quinta, propter dulcissimam affectuum conspirationem cum ille lac hauriret, vt adolesceret ad cruciatus, & vniformi affectu optimè Christo Domino noto Sanctissima Mater ministrabat: vnde S. Epiphanius de laudibus Virginis sic ait: *Appellabo te thronum cælum simul, & crucem expansis enim vlnis Deum gestabas*.

48 Hinc licet cogitaret de felle, & aceto tempore passionis gustando nihil acrimoniæ, sed instar vini gratissimi illi erat; vnde in Canticis aiebat: *Bibi vinum cum lacte meo*. Vbi S. Antonius de Padua Dominica 3. in Quadragesima ait: Quare non dixisti Domine Iesu: *Bibi acetum meum cum lacte meo? Virginalibus enim vberibus lactatur*.

49 Dico quinto Beatissimam Virginem plus meruisse lactando Christum Dominum, quàm Martyres omnes simul sumpti effundendo sanguinem.

Ita Hailgrinus in illa verba Canticæ cap. 3. *Vbera tua botris, &c.* ait ille: *Vbera botris assimilata sunt, ex quo mirabilis prærogatiua merendi monstratur in B. V. quæ non minus meruit fundendo de vberibus suis ad Filij nutrimentum lac, quàm Martyres, qui per botros significantur, meruerunt fundendo suum sanguinem in martyrio omnium*.

50 Probatur secundo, quia tunc præscia futurorum cruciatuum ex tunc sustinebat altissimum martyrij genus, excedens in virtute, & meri-

to omnia merita martyrum. Vndè Rupertus in illa verba Canticæ cap. 1. *Fasciculus Myrrhæ, dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur*. ait: *Nolite, inquit Beata Maria solùm attendere horam illam, qua dilectissimum meum vidi flagellis cædi, Crucifigi, mori; nam tunc quidem, iuxtà Simeonis vaticinium gladius animam meam pertransiuit: sed antequam sic pertransiret longum per me transitum fecit: Prophetissa eram, & prauidebam eius mortem; qualem, quantam, quàm prolixam, me putatis materni doloris pertulisse passionem? hoc est quod modo dico: fasciculus mirrhæ dilectus meus mihi. O consolatio quidem dulcis; sed plena gemitibus inenarrabilibus! Ad vbera de foris stringebatur; & eisdem lactabatur vberibus, simulque inter vbera intus in corde futurorum præscio, semper apparebat quali esset morte moriturus*. Vti consona sunt verba S. Birgittæ in sermone Angelico cap. 17.

51 Probatur tertio, quia Beatissima Virgo vitam Christi Domini, quæ est infiniti valoris, lacte fouebat, & eam pro humana salute pio affectu deuouebat, quæ oblatio vt rei infiniti valoris omnium martyrum oblationes superabat in ratione meriti longè incomparabilis, vndè de illo Sanctissimo lacte possumus dicere, quod ait S. Clemens Alexandrinus lib. 1. pedagogiæ: *Lac est sanguis consentiente pietate florescens; quare etiam botris assimilata vbera illa Sanctissima possumus dicere, quia eo affectu dabat, vt lac conuersum in sanguinem Sanctissimum sub passionis suæ Sanctissima Torculari esset fundendum*.

Probatur quarto, quia eo affectu, vt omnes fideles spiritualiter lactare induceret.

52 Dico sexto Beatissimam Virginem lactando Christum Dominum, nobis etiam spiritualis alimoniæ lac præbuisse.

Primo: quia nutriebat eum à quo nos omnes nutrimur: vndè Methodius oratione in hypop. ait: *O nutrix cuncta nutrientis*. Et S. Petrus Damianus sermone 2. de Natiuitate, inquit; *O Beata vbera, quæ dum tenue lac puerilibus labris infundunt, Angelorum cibum, & hominum pascunt*.

53 Secundo quia lactando caput Ecclesiæ, simul, & lactabat eius membra; ita Guillelmus in illud Cantic. cap. 4. *Duo vbera tua sicut duo hinnuli*: vbi ait: *Siquidem per hoc quod facta est Incarnati Verbi Mater corporalis, facta est membrorum eius mater spiritualis; per hoc quod caput nostrum secundùm carnem concepit membra eius lacte alenda suscepit*. Et infra: *Plenum est vberibus maternum illud pectus intus, & foris. Foris quidem habet duo vbera, quibus pro tempore pia Mater aluit Filium Dei; intus item duo vbera habet ad alenda membra eius*. Similia dicit in exponendo eadem verba repetita Canticæ cap. 7.

54 Tertio quia dum filium suum lactabat faciliora in nos reddebat diuinæ Misericordiæ fluenta vndè Riccard. Victor. parte 2. in Canticam cap. 23. ait: *Carnalia in te Christus vbera suxit; vt per te nobis spiritualia fluerent; & cum misericordia Dei sit ab æterno amplior cæpit esse sic tempore* (infra) *ipsa prius repleta es; & ex te nobis descendit hæc abundantia*.

55 Quarto quia eo affectu propinabat, vt posteà in sanguinem, & carnem conuersum in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento nobis communicaret hinc S. Clemens Alexandrinus libro primo Pedagogiæ cap. 6. *Verbum*, ait, *dicitur, & cibus, & caro, & nutrimentum, & panis, & sanguis, & lac*. Et D. Ireneus lib. 4. cap. 47. *Ille quia erat panis verus, & perfectus, lac nobis se ipsum præstitit; quod erat secundum homi-*

hominem eius aduentus, vt quasi à mamilla carnis enutriti, & per talem lactationem assueti manducare, & bibere Verbum Dei in nobis ipsis id continere possimus.

56 Hinc collige primo per communicationem carnis, & sanguinis SS. in Sacramento fideles lactari non solùm à Christo Domino, sed etiam à Sanctissima Virgine, per illud in nos transfundi mores, & indolem tùm Christi Domini, tum etiam Beatissimæ Virginis.

57 Secundo ex eo quod nobis in modum lactis exhibetur collige affectum vere maternum, quo tum à Sanctissima Virgine, tùm à Sanctissimo Filio eius Domino nostro communicatur.

58 Tertio collige nos non solum filiationis titulo, sed etiam lactationis obligatos esse matrizare, & mores tum Christi Domini, tum Sanctissimæ Virginis exprimere.

59 Quarto collige, si communicatio in lactatione adeo solet conciliare Amorem, vt propterea aliquibus simul vno eodemque lacte potatis indiuisibilis fuerit amor, sic nos, & Christum, inuicem peculiari amoris vinculo Beatissimam Virginem deuincire voluisse.

60 Dico septimo in terris asseruari aliquid lactis Sanctissimæ Virginis Deiparæ.

Primo ex libello Romæ impresso de Rebus admirandis Vrbis Romæ instit. Mauritio Bona, in Ecclesia S. Mariæ de Populo sub Altari maiore reperiri paululum lactis Sanctissimæ Virginis. Et in Tabula Reliquiarum in Ecclesia S. Cçciliæ eiusdem Vrbis, quæ in eadem Ecclesia etiam asserit paululum eiusdem Sanctissimi lactis asseruari.

61 Secundo ex Petro Bonfinio libro secundo fastorum, qui ait in Templo summo, & Regio Parisijs asseruari paululum huius Sanctissimi lactis. Ex Marinæo Siculo lib. 5. de Rebus Hispaniæ Toleti, & Oueti. Et Assisij in Ecclesia S. Damiani quamdam partem Sanctissimi lactis venerantur fideles. Huius asseruationis multæ sunt congruentiæ.

62 Primo. Quia cum communem fidelium matrem se profiteretur hoc tamquam insigne affectus materni pignus reliquit; quem pręcipuè affectum ostendit Fulberto Episcopo Carnotensi, vt habet Baronius tomo 11. Annalium anno D. 1028. fol. 94. litt. C. qui, & librum in honorem Sanctissimæ Virginis conscripsit, & Basilicam ædificauit, & laudes magno cecinit affectu, *Ab ea autem* (idest à Beatissima Deipara verba sunt Baronij) *singulari remuneratum dono, dum ipsi ægrotanti per visum apparens, sugenda aperuerit sacra vbera, quod testatur Guillerinus, ex quo Vincentius*. De S. Bernardo Claræuallensi Abbate idem fertur.

63 Secundo, desiderium quod habet communicandi nobis suam indolem, & suas virtutes.

Tertio, vt esset continuum memoratiuum nos non debere obliuisci, ostendere nos veros filios, cùm ipsa semper piissimam se matrem ostendat.

64 Quarto, sicut lac appositum suauitatis, ac facilitatis signum est, sic, & Beatissima Virgo lac nobis facile, ac suaue præbet virtutis iter: Nam si Iunonis lactis partem fabulantur poetæ in cœlo viam lacteam strauisse dijs, vt ad æthera scanderent, partem in terris lilia dealbasse: Verissimè nos dicere possumus Sanctissimam Virginem per suum Sanctissimum lac suauem, ac facilem viam veniæ, & virtutes strauisse pec-

ſe peccatoribus, ac eos dealbare: vndè ille peccator pęnitens Pſalm. 10. aiebat *Super niuem dealbabor*, & vt ait S. Ambroſius libro de inſtitut. Virg. cap. 15. *Chriſti lilia ſunt ſpecialiter Sacræ Virgines, quarum eſt ſplendida, & immaculata Virginitas; etenim Virgineus ille venter fuit, & origo, imò, & perennis fons, vndè efficaciſſimo Deiparæ exemplo omnium Virginum Chori dimanarũt.*

DISPVTATIO III.

§. III.

De Sanctiſsima Virgine cooperante Circumciſioni Chriſti Domini.

65 DIco plures ob cauſas maximè decuiſſe Beatiſſimam Virginem Circumciſioni Chriſti Domini cooperari.

Primo quia B.V.M. vt ait Eccleſia, electa fuit ad cunctas hæreſes interimendas, vndè à Sophronio, vel vt alij à Hieronymo in ſermone de Aſſumptione *Contritio hæreticæ prauitatis* appellatur: Hinc ex prædicta circumciſione refelli poterat error Manichei, & eorum, qui dixerunt eum in ſpecie apparuiſſe, & Apollinaris, & Valentini: vide D. Thomam 3. parte quæſt. 37.

66 Secundo quia Chriſtus Dominus ideò circumciſus fuit, vt approbaret legem; ſic, & Virgo Sanctiſſima comprobauit dictam legem, vt quæ exactiſſimè exquirebat omnia ad cultum diuinum ſpectantia, & ea exactiſſimè adimplebat. Fuit enim Circumciſio actus Religionis.

67 Tertio, ideò Circumciſus eſt, ex S. Auguſtino libro quæſtionum noui Teſtamenti quæſt. 22. vt probaretur eſſe, qui promiſſus Abraham eſſet; ita congruum maximè, vt B. V. concurreret ad fidelitatem Dei manifeſtandam, idcircò *Virgo fidelis* dicta.

68 Quarto, quia Chriſtus Dominus circumciſus eſt ne hebræi excuſationem haberent, quod eum non reciperent; idcircò decuit eam cooperari, vt tolleret omnibus excuſationes, quod ad ſuum Sanctiſſimum Filium, & Redemptorem noſtrum non accederent.

69 Quinto, ſicut Chriſtus Dominus ſponte ſe Circumciſioni ſubiecit, vt ſuo exemplo nos virtutem obediendi doceret; ſic decebat ipſam Sanctiſſimam Virginem optimam obediendi magiſtram ſe exhibere, quæ obligatio non ex lege Moyſis; ſed ex diuino decreto. Hinc Guillelmus in illud Canticæ cap.7 *Caput tuum ſicut decor Carmeli*: ait *Carmelus quippè interpretatur ſcientia circumciſionis, & ne pia mater minus fortaſſe videretur intellexiſſe myſterium Circumciſionis, quod in illo veteri populo contra origi nalem reatum diuinitùs ſancitum erat; ne inquam videretur minus noſſe myſterium Circumciſionis eo quod Filium duxerit circumcidendum, quem priuilegio Sacræ Conceptionis, & Na-*

& Natiuitatis esse ab omni originali labe immunem idcircò illi specialiter dicitur caput tuum sicut Carmelus . (Et infra) *Sed diuinæ inspirationi per spiritum edocta seruiebat*.

70 Sexto puritatis Amantissima , idcircò *Virgo Purissima*, eam actionem, quæ ad animarum puritatem erat instituta, non debuit auersari , cum Filius licèt non indigens , sic eam libentissima sufferret.

71 Septimo si Christus sic legis onus in se sustinens, alios à legis onere liberabat , sic decebat hanc Sanctissimam Virginem cooperari (quæ à Deo electa erat , vt cooperaretur captiuorum Redemptioni) eidem humani generis libertati; quare à S. Hidelphonso cap. 12. de S. Virgine dicitur : *Titulus nostræ libertatis nobilissimus :* & à S. Ephrem sermone de laudibus V. M. *Captiuorum Redemptrix*.

72 Octauo quia Christus Dominus si dedit sic arrham copiosioris effusionis sanguinis iuxtà illud :

Fontem aperit ducitque nouos ab origine riuos
Expectare breui flumina larga potes.

Sic, & ipsa cooperata est vt talis Redemptionis cupidissima, quæ lac eo affectu præbebat, & verissimè est primum illum sanguinem fudisse , vt sic aliquo modo vehementi huic desiderio satisfaceret.

73 Nono, quia si Christus Dominus, sic nos inuitabat ad carnis mortificationem ; sic & ipsa SS. Virgo per dolorem cordis illi compatiendo ad animi passiones libenter perferendas : vnde à S. Hieronymo serm. de Assumpt. dicta fuit *Exemplum Perfectissimum*.

74 Decimo vt sicut ille suscipiendo nomen seruatoris, & actiones Saluatoris exercebat; sic ipsa , quæ Mater Iesu tunc incipiebat dici , curaret vt ipse Saluatoris munus exercere inciperet.

75 Vndecimo, quia sicut ex Sanctissimo nomine Iesu vt habet Gerson sermone de Circumcisione, fortes reddebantur martyres ad perferenda supplicia ; sic decuit B. V. Mariam concurrere ad virtutem illam afferendam, & vim indendam nomini illi Sanctissimi , vndè roborandi erant Martyres : quare à S. Bernardo sermone vltimo de Assumpt. *Fortitudo Martyrum* dicitur , & ab Ecclesia *Regina Martyrum* canitur.

76 Duodecimo , quia vt Christus Dominus Circumcisionis humilitate æterno Patri pro Protoplastorum superbia satisfacere voluit, vt habet S. Bernardus sermone primo de Circumcisione Domini, sic conueniebat SS. Deiparæ, quæ vt ait idem Mellifluus *est humilitatis exemplum* ; & vt Sergius Hierosolymit. ait *Eua reuocatrix*, debebat cooperari Circumcisioni , qua non solùm homo, sed etiam peccator apparens veterem iniuriam à superbiente homine Deo illatam compensabat.

77 Tertiodecimo , quia Circumcisio fuit reuocatio peccatorum ab Hypocrisi , qui cum sint peccatores volunt iusti apparere : sic & Sanctissima Virgo, quæ *Assectatrix Iesu perpetua est* ex Epiphanio hæres. 78. contra Anticomarianitas, non recusare voluit videri matrem eius esse , qui apparebat Circumcisus peccator, licèt non esset peccator.

78 Quartodecimo idcircò etiam circumcisus, quia honorem Sanctissimæ Virginis zelabat, vt eam ostenderet legis obseruantissimam; sic decuit eam cooperari , quia omnis eius honor in filium redundabat. Ex Ruperto lib. 6. in Cant.

79 Quintodecimo si Christus suæ carnis

carnis Sanctissimæ Circumcisione spiritualem Christianorum Circumcisionem indicare voluit, vt habet Eusebius Emissenus homil. in Oct. Natiuit. Domini, & S. Ambrosius libro primo Abrahæ cap. 4. ex Apostolo ad Coloss. 2. Ita decuit SS. Virginem cooperari tali circumcisioni Christi Domini; vt indicaret se suis precibus cooperatam spirituali filiorum circumcisioni.

80 Disce hinc quod Christum Dominum ostendendo se per anticipatam sanguinis SS. effusionem verũ hominem, probare etiam veram, & realem Sanctissimæ Virginis Maternitatem, & sic suæ SS. Matris honorem, qui ex vera maternitate pendebat: Sic & vero simile est anticipata passionis suæ applicatione eamdem Virginem Sanctissimam ab originaria labe præseruasse, quæ præseruatio redibat in maiorem honorem ipsius Sanctissimæ Virginis, quàm ipsa sola maternitas.

81 Dico secundo opinionem fuisse Gregorij Gallicani in suo Mariali titulo de An. V. & Francisci Syluij in 3. partem D. Thomæ quæst. 27. artic. 1. cui fauere videtur S. Hieronymus libro de cura Circumcis. & D. Bernard. tract. de planctu V. Beatissimam Virginem circumcidisse puerum Iesum.

Fundamentum illorum erat, quia nullum erat legis decretum quo statutum esset, vt infans à Sacerdote circumcideretur; Nihilominus Nouatus lib. 1. capit. 12. de Beatissima Virgine quæst. 2. putat communem, & probabiliorem esse opinionem asserentem fuisse circumcisum ab aliquo ex consuetis ministris; quia consuetudo erat iam introducto statu Sacerdotali, vt fieret à Sacerdote; quod videtur innuere Euangelista dum non agit de ministro: quare supponit fuisse ex consuetis. Secundo: quia sic melius innotescebat, quod erat conueniens propter rationes adductas à S. Thoma: Quare idem Nouatus interpretatur verba D. Hieronymi, & D. Bernardi, vt sensus sit ei consensisse, & obtulisse ad circumcidendum.

82 Dico tertio verissimum esse Beatissimam Virginem interfuisse circumcisioni Christi Domini.

Primo, quia vt habet Epiphanius libro primo contra hæreses tomo 1. cap. vltimo post hęresim vigesimam: fuit circumcisus in diuersorio Bethleæmitico.

83 Secundo, quia amor maternus suadebat ea pietatis officia circa illum exercere, quæ talem actionem subsequi conueniens erat, vt mederi, alligare vulnus, seruare sanctissimum sanguinem, quem infiniti valoris sciebat, & Sanctissimi præputij carnem.

84 Tertio, quia sic clarum constantiæ actum exercebat, dum Filius ictum patiebatur.

Quarto, quia ei demandatum fuerat ab Angelo vt imponeret nomen Lucæ cap. 1. *Vocabis nomen eius Iesum*: Ergo cum in tali actione fuerit impositum; dicendum est quod interfuit, vt nomen imponeret.

85 Hìc primo contemplanda veniunt dulcissima colloquia Beatissimæ Virginis, cum suo diuino infante, quem sciebat idcircò, primò, effundere sanguinem, vt eius redemptionem altissimo modo peragendam operaretur; & ideò ei gratias infinitas egisse. Secundo, etiam pro omnibus fidelibus, quorum se sciebat Matrem, & sua compassione, & dolore, rependisse quas poterat, Christum verò Dominum per cæli-

R tùs

tùs immissas illustrationes insinuasse ardentissimum amorem quo tenebatur sanguinis copiosius effundendi.

86 Secundo veniunt etiam contemplanda gaudia Sanctissimæ Virginis, dum videbat sanguinem, quem ipsa ministrauerat, tum in altissima conceptione, tum lactis alimonia, tàm celeriter, & salubriter applicari in salutem generis humani, quam ipsa tantopere exoptauerat.

87 Dico quarto Beatissimam Virginem cooperando Circumcisioni Christi Domini concurrisse ad actionem non solùm ex se sufficientem ad satisfaciendum pro quacumque offensa Deo illata; & cum satisfactione altioris ordinis, quàm quælibet peccati iniuria; quę licèt de se esset sufficiens, & exuperans, seù copiosa vtpotè altioris ordinis, non fuit tamen consummata nisi per passionem, & mortem eiusdem Christi Domini.

Probatur prima pars, quia vt actio Christi Domini qua voluit effundere sanguinem, erat personæ infinitissimè dignæ, & ideo infiniti valoris: Ergo, &c.

88 Probatur secunda pars prætetea Auctoritate Clementis VI. in Extrauag. S. Leonis Papæ sermone 12. de Passione capit. 3. S. Augustini serm. 128. vbi ait: *Pretium vitæ nostræ sanguis est Christi Domini*; & ex Epistolis D. Pauli ad Ephes. cap. 1. Ad Colos. cap. 1. Ad Romanos cap. 3. Ad Hebræos cap. 9. Petri prima. Ioannis prima: *Sanguis Iesu Christi Filij eius emundat nos ab omni peccato, &c.* Quia quælibet gutta erat infiniti valoris, quia Persona infinitè digna coniungebatur intrinsecè cum sua operatione, vt forma moralis nobilitans, & dignificans; & etiam res oblata vnita Verbo intrinsecè coniungebatur cum oblatione Christi Domini, vt forma moralis nobilitans, & dignificans.

89 Probatur tertia pars quia Persona Christi Domini intrinsecè concurrebat ad satisfactionem, iniuria autem Deo illata extrinsecè tantum Deum attigit, quia Persona diuina vt quasi forma intrinsecè coniuncta cum humanitate dignificabat humanitatem, & eius operationes, & sic Deus ipse intrinsecè quodammodò concurrebat ad satisfaciendum; sic etiam oblatio ipsa si consideratur vt fiebat à Christo Domino, & sanguis ille erat hypostaticè vnitus Verbo, qui offerebatur, manet quod Deus sub hac formalitate intrinsecè concurrebat; nam ipsa Persona diuina vt effectus moraliter oblatus intrinsecè coniunctus cum illa oblatione illam dignificabat. Sed Deus ab homine extrinsecè tantum fuit offensus; fuit enim purus terminus, & obiectum odij nullo modo in se intrinsecè patiens iniuriam, & læsionem propriæ dignitatis; Ergo in altiori ordine fuit Christi Domini satisfactio exhibita in Circumcisione quàm hominis iniuria.

90 Prætereà ex eo quod Persona diuina hypostaticè vnita fuit naturæ humanæ non solùm ipsa natura humana; sed etiam operationes ab ipsa exercendæ factæ fuerunt ipsius diuinæ Personæ: quapropter admittens Christus in se Circumcisionem in qua peccatum apparebat, dicitur aliquo modo Deus in se ipso recepisse læsionem propriæ dignitatis in obsequium personæ offensæ; & etiam dicitur Deus seipsum submisisse, & exhibuisse in obsequium Personæ offensæ: sed offensa illata ab homine solum extrinsecè Deum attigit, vt purum terminum, & obiectum, in quod ferebatur actus hominis peccatoris,

toris, & nullo modo intrinsecè lætabatur; ergo in altiori ordine fuit Christi Domini satisfactio, nam satisfaciens, siuè sit offendens ipse, siuè gerens vicem offendentis, si in se ipso patitur tantam læsionem dignitatis propriæ quantam intulit æquè satisfacit; & si maiorem altiori modo satisfacit, præsertim quando cætera sunt paria, vt hìc, vbi Persona læsa est Deus, & satisfaciens est Deus; Ergo satisfactio hìc exhibita fuit in altiori ordine.

91 Probatur quarta pars, quod sufficientia fuerint singula opera Christi ad satisfaciendum pro omnibus peccatis, & pœnis, patet quia infiniti valoris, & habebant omnes conditiones requisitas, quod etiam de Circumcisione dici debet, vt enim ait Eusebius Emissenus homil. in octaua Natiuit. Domini: Nobis circumciditur Dominus: *Sicut enim pro nobis est baptizatus, ita, & pro nobis circumcisus*. Et ex D. Paulo ad Galathas cap. 4. *Factus sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret*. Et 2. ad Corinthios cap. 5. *Qui non nouerat peccatum pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso*. Quod autem non consummauerit satisfactionem pro peccatis nisi in Passione, & morte, patet ex tota epistola D. Pauli ad Hebræos, quod factum est, vt ait Suarez tomo 1. in 3. partem disp. 3. sect. 4. quia ita ordinatum à Deo, vt innotesceret eius charitas magis. Secundo, vt cognosceretur grauitas peccati. Tertio, vt gratia, & remissio peccati in maiori pretio haberetur Vide D. Anselmum libro primo *Cur Deus homo* cap. 6. &c.

92 Collige hinc primo ardentissimum amorem, quo Beatissima Virgo cooperabatur Circumcisioni Christi Domini penè immensum, dum consentiebat, vt suum cooperari remaneret quodammodo in fieri, vt posteà compleretur compatiendo Christo Domino, tempore quo pænosissima morte ipse consummaret satisfactionem nostram.

93 Collige secundo quantopere exoptabat, vt agnosceret homo peccati grauitatem, & sic auerteretur à peccato, dum noluit ipse eius dilectissimus filius exprobrari reatum humanæ naturæ vt, & ipsa consentiebat vt sic hoc magis intelligeremus.

94 Collige tertio; modo mirabili eleuatam fuisse ipsius Sanctissimæ Virginis cooperationem, & consensum ita vt eius opera quemdam haberent valorem infinitum: quod si vestis Regia ex adiacentia ad personam Regiam aliquid Regiæ dignitatis, & nuncupationis sortitur; Cur non, & Beatissimæ Virginis consensus, vt coniunctus summopere Personæ diuinæ infinitè dignæ non participauerit aliquid illius dignitatis, & infinitatis iuxtà moralem existimationem; vnde & à Methodio dicitur *Dei indumentum*; & à S. Ioanne Damasceno in Hymnis de Assumpt. *Thesaurus diuinus* nuncupatur: intellige semper per participationem.

95 Dico quinto pluribus de causis decuisse, vt Deipara Virgo nomen Sanctissimum Iesu imponeret Filio Dei, quem pepererat.

Primo, vt diuino mandato obtemperaret.

Secundo, quia concurrere debebat ad munus Saluatoris obeundum.

Tertio, quia si Pater verus, & naturalis non adest ad matrem spectat imponere nomen.

Quarto, quia Deus, & homo, & sic à Deo prius, idest à Patre nomen accepit, deinde à Matre, quia nullus alius dignior erat.

Quinto, cedebat in honorem ipsius Sanctissimæ Virginis, cum per hoc Mater Filij Dei dignoscebatur.

Sexto, quia si Pater æternus communem cum Sanctissima Virgine voluit habere eumdem Filium; sic etiam voluit nominis impositionem esse communem.

Septimo quia cedebat in honorem ipsius Redemptoris nostri, quem Beatissima Virgo ardentissimè desiderabat; vt habetur ad Philipp. 2. cap. 8. vt ex hoc capite nobis magis dulcesceret; nam vt ait Rupertus in Cant. cap. 4. *Per mammam Ecclesiæ Mariam, quæ terra Paradisiaca est, aquæ diuinitatis nobis dulciores factæ sunt*; vndè hoc Sanctissimum nomen à S. Bernardo sermone 15. in Cant. dicitur: *Nomen Iesu mel in ore, melos in aure, iubilum in corde.*

96 Quare autem, & S. Ioseph hoc demandatum fuerit habet egregiè S. Ioannes Chrysostomus homil. 4. in Matthæum introducens Angelum sic alloquentem S. Ioseph: *Non quia ex Spiritu Sancto est, idcircò te à ministerio tantæ existimo dispensationis extraneum; nam etsi nihil habeas in hac generatione commune, tamen quod est proprium Patris, quodque nihil lædit Virginis dignitatem hoc tibi facilè concedo, vt scilicet nato nomen imponas; quamquam enim non sit Filius tuus tu tamen curam erga illum, & solicitudinem ostendis parentis, & propterea te illi ab ipsa statim nominis impositione approprio, familiaremque facio.* Vndè Primario à Beatissima Virgine tamquam à naturali matre. Secundario à S. Ioseph propter ipsam Sanctissimam Virginem Mariam; hinc S. Bernardus homil. prima super *Missus est*: ait: *Nec tantum Mariæ, sed etiam Iosepho propter Mariam.*

97 Dico sexto præputium Christi Domini in Circumcisione abscissum, fuisse asseruatum à Beatissima Virgine.

Habetur in Reuelationibus S. Birgittæ lib. 6. cap. 12. his verbis. *Cum Filius meus circumcideretur ego membranam illam in maximo honore seruabam quoquò ibam; quomodo enim ego illam traderem terræ, quæ de me sine peccato fuerat generata? Cum tempus vocationis meæ de hoc mundo instaret, ipsam Commendaui S. Ioanni custodi meo, cum sanguine illo benedicto, qui remansit in vulneribus eius quando deposuimus eum de Cruce.* Quæ magni facienda est propter auctoritatem Bonifacij IX. Martini V. & Concil. Basiliensis, & Constantiensi. Hoc Sanctum Præputium testatur Innocentius III. lib. de Myst. Mis. fuisse ab Angelo delatum ad Carolum Magnum, qui illud Aquisgrani in Templo collocauit, & hinc sub Carolo Caluo Romam ad Lateranensem Ecclesiam delatum, & positum in loco, qui ob insignes reliquias *Sancta Sanctorum* dicitur; vt Cardinalis Toletus in Commentario super Lucam cap. 2. Annot. 3. recenset historiam, ex qua colligitur esse Calcatæ (quæ est pagus 20. milliarijs Romę distans) in Ecclesia Sanctorum Cornelij, & Cypriani; quod Præputium Titus Bostrensis ait à Christo Domino rediuiuo reassumptum fuisse: Gabriel vero in supplement. 4. distinct. 44. quæst. 1. ait simul esse in terra non animatum; & in corpore Christi Domini animatum. Turrecremata in C. inuitat de Consecrat. distinct. 2. & Sylu. in aurea Rosa, vt rem dubiam relinquunt, an fuerit reassumptum. Suarius tomo 2. in 3. partem disput. 47. sect. 1 tenet reassumptum non tamen idem numero.

98 Quæ ex ijs vijs ineunda videat hic pru-

prudens Lector; hoc vnum animaduerto cum Nouato, Auctorem quemdam apud Auersam primo de Generatione capit. 5. comment. 38. Hugonem de S. Victore par. 6. de Sacramentis cap. vltimo; Magistrum Sententiarum in 2. distinct. 30. cap. vlt. Auctorem historię Scolasticæ lib. 19. cap. 78. Abulensem in capit. 22. Matthæi quæst. 243. dicere non resolui per nutritionem partem, quę in Conceptione Mater suppeditauit, neque in vltima senectute; vndè S. Augustinus sermone de Assumpt. Virginis, ait; *Caro Christi quamuis gloria Resurrectionis fuerit magnificata eadem tamen mansit, quæ suscepta est*, & in Psal. 98. *De Carne Maria carnem accepit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit*. S. Bernardinus Senensis sermone primo de laudibus Mariæ ait: *Virgo fuit vicinissima Filio Dei per carnis idemtitatem, quia eadem caro, quæ fuit Virginis Matris, fuit caro Filij Dei*. Similia etiam habet Petrus Damianus serm. de Natiuit. V.

99 Dico septimo verisimile esse Sanguinem illum Sanctissimum, quem Christus Dominus in sua Circumcisione effudit fuisse à Beatissima Virgine asseruatum vsquè ad tempus Resurrectionis eiusdem Christi Domini, quod probabiliter credi potest illum reassumpsisse. Fauet Suarez tomo 2. in 3. partem disp. 47. sect. 3. dum ait Probabile esse quod reassumpserit Sanguinem in Circumcisione effusum; & sic modo plus sanguinis esset in glorioso Christi Domini corpore rediuiuo, quam vnquam quando in terris fuerit. Quod deducit Nouatus hìc ex Reuelationibus S. Birgittæ lib. 6. cap. 12.

100 Quod etiam probari potest, quia ex Durando in 4. dist. 44. quæst. 2. Gabriele eamdem dist. quæst. 1. art. 3. dubio 6. Suarez tomo 2. disp. 47. sect. 3. Nihil sanguinis Christi Domini in Passione effusum fuit corruptioni obnoxium; quod & de hoc Sanctissimo in Circumcisione effusum videtur dicendum.

Secundo, quia nulla historia tradit aliquid in contrarium.

Tertio, quia cum à sola Sanctissimæ Virginis substantia traxerit originem congruentius erat hunc potius asseruare quàm quemlibet alium.

DISPV-

DISPVTATIO IV.

§. IV.

De Beatissima Virgine tres Magos excipiente.

101 Dico primo à Beatissima Virgine exceptos fuisse Magos ante 40. diem: nam S. Lucas refert cap. 2. S. Ioseph, & Beatissimam Virginem, vt perfecerunt omnia secundùm legem Domini reuersos esse in Galilæam in Ciuitatem suam Nazareth; & nullum habemus fundamentum asserendi redijsse posteà in Bethleem ad ibi morandum: vndè Baronius anno primo Christi numero 31. putat 13. die receptos, quem sequitur Barradius tomo primo lib. 9. cap. 8. Quod etiam probatur ex Ammonio Alexandrino in Harmonia, Suarez tomo 2. disp. 5. sect. 4. ex Constitutione Ecclesiæ celebrantis hoc festum dicta die. Et Lucidus Matth. lib. 7. cap. 2. ait peruenisse feria 6 in Bethleem; & ortus eius fuit die Dominico ex VI. Synodo C. 8. & docent Nicephorus lib. 1. cap. 12. Sophronius oratione de Natiuitate Christi Domini; D. Antoninus prima parte tit. 5. cap. 1. §. 2. Eusebius libro primo cap 5. Durandus libro 6. Rationalis cap. 13. Dadræus libro de emendatione temporum, & Schol. super Eusebium lib. 1. cap. 5.

102 Obijcies ex D. Epiphanio hæresi 51. habetur venisse post biennium. Primo quia ex Euangelio habetur, quod Hærodes iussit occidi *A Bimatu, & infra iuxtà tempus, quod exquisierat à magis*. Secundo, quia venerunt ab Oriente: Ergo longo tempore.

Respond. ad primum ex D. Ioanne Chrysostomo homil. 6. in Matthęum ad maiorem cautelam factum à furente ne vllus affugeret; subdit aliam Baronius loco supra citato, quam ait esse Iansenij; quia difficile est in pueris ætatem dignoscere; Alias adducit Suarez disp. 13. sect. 4.

Respond. ad secundum Barradius potuisse 13. diebus venire; & Suarius notat Arabiam vndè venerunt distare solùm 300. Leucis ab Hierusalem, quod erat iter decē dierum nam *Dromedaris* ex Isaia 60. vti qui vno die 40. leucas conficiunt vt habet Philostratus in vita Apollonij septem circiter dierum spatio venire poterunt.

103 Dico secundo communem sententiam esse, quod fuerint recepti in stabulo.

Habetur libro 7. Reuel. S. Birgittæ cap. 24. vbi B. Virgo, ait: *Filia mea scias quod quando tres Magi venerunt in stabulum ad adorandum Filium meum, benè ego antè præsciebam*. Et S. Augustinus sermone 2. de Epiph. *In Præsepe tunc iacebat, & Magos ab Oriente ducebat; absconditur in stabulo*. Sic, & S. Cyprianus de Sella, & Magis *in loco humili, & suppellectili vili*. Alios citat Suarez loco supradicto. Licet S. Epiphanius libro 2. contra hæreses hæresi 51. existimat fuisse domum

non

non verò speluncam.

104 Probatur primò ratione; quia magister humilitatis tamquam ex magistrali cathedra nos docebat veræ humilitatis germanam esse sublimitatem à Deo.

Secundo, quia ex Caietano in S. Lucæ caput secundum illud Præsepe erat commune, & per Antonomasiam dicebatur Præsepe (ex illis verbis *Positum in Præsepio*) nam non distinguendo quodnam esset hoc præsepium, & vbi, cum ibi multa essent, innuit fuisse locum commune omnibus. Quare cum pro salute omnium nasceretur in loco omnibus communi dignoscendus erat.

105 Tertio vt insinuaretur Beatissimam Virginem indifferenter paratissimam esse ad omnes introducendos ad Christum Dominum; vndè, & à D. Bernardo sermone primo de Assumpt. *Propitiatorium vniuersæ terræ* dicitur; & prætereà omnibus se præbet clementissimam omnibus exorabilem, omnium necessitates amplissimo miseretur affectu.

106 Contemplatur hìc primo, Gaudium Beatissimę Virginis quæ cupida diuini honoris, & humanæ salutis in summo erat, dum videbat Reges nudato capite, & popliter flexo ante Redemptorem nostrum.

107 Secundo tacetur nomen Regis, quia Rex Regum erat ille ante cuius pedes procumbebant non tamen nomen Magi; nam qui sic sapit exquirere, vt ipsam diuinam sapientiam inueniat ac etiam ipsum Deum iudicatur dignus nomine sapientis.

108 Tertio Beatissimæ Virgini donum linguarum concessum, cum ad ipsorum verba attenderet; vt habet S. Birgitta in Reuelationibus.

109 Dico tertio; per illa verba S. Matthæi cap. 2. *Inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes*. Indicare efficacissimum medium ad hoc vt Reges procumberent antè infantem Iesum fuisse videre Beatissimam Virginem quodam diuinitatis fulgore radiantem; nam longè clariori fulgore rutilabat, quàm stella, ex qua Christi Domini diuinitatem agnouerunt.

Vndè S. Epiphanius sermone de laudibus Mariæ ait *Aue gratia plena, quæ Cherubicum thronum diuinitatis fulgore superas*; & S. Hidelphonso sermone 7. de Assumpt. *Tabernaculum gloriæ Dei*. A S. Augustino in præfatione libri de Assumpt. tomo. 9. *Thronus Dei* dicitur à S. Bonauentura in speculo cap. 11. *Ipsa thronus ille sapphirinus*; nam sapphirus ex Plinio lib. 37. cap. 11. *Cælestem habet colorem punctis aureis ornatum*. A Ieremia cap. 17. *Solium gloriæ altitudinis*.

110 Vndè videntes Magi Christum Dominum assumptum in tam Regali, & sublimi, ac radianti solio; quia vt dicunt S. Ioannes Chrysostomus, Theophylactus, & Eutymius illum tunc Sanctissima Virgo in suo gremio collocauit, non potuerunt se continere, quin ad eius pedes procumberent; nam vt habet S. Athanasius à Surio relatus sub die 25. Decembris tomo 6. *Parua illa domus Ecclesiæ figuram continebat, præsepe verò Altaris; Iesus Pontificis formam in se gerebat, thronus autem Dei per Virginem Mariam figurabatur*. Quod est consonum dictis Isaiæ 16. *Præparabitur in misericordia solium Agno dominatori terræ, & sedebit super illud in veritate*: Nam reuera fuit *solium* præparatum *in misericordia*; dum misericorditer fuit præseruata ab omni macula tàm originali, quàm actuali, in quo Christus *Agnus*; vt *dominator terræ* in

ræ in veritate, quia verissimo latriæ cultu fuit adoratus. Fuisse autem B. V. Thronum radios emittentem probat Epistola illa celebris S. Dionysij Areopagitæ, quam ex probatissimis auctoribus refert Ferreolus de Maria Augusta sic:

111 *Seruus, & nouissimus vinctus Dionysius*
Electissimo vasi calico Paulo Præceptori, & Principi

S.

Confiteor coràm Deo Princeps mi, ab hominibus non posse percipi, quam ego oculis non tantum mentis; sed corporis vidi, prospexi, atque proprijs oculis intuitus sum deiformem (aduerte quod hoc verbum deiformem tàm à S. Augustino, quàm à S. Hieronymo *Forma Dei* dicitur) *Atque supra omnes cælicos Spiritus Sanctissimam Matrem Christi Iesu Domini nostri, quam mihi benignitas Dei, & Clementia Saluatoris ostendere dignita est; & cum à Ioanne vertice Euangelij, & Prophetarum, qui in terris corpore habitans quasi sol fulget in cęlo ductus fui ad deiformem præsentiam Altissima Virginis tantus me immensus diuinus splendor circumfulsit exterius, & plenius irradiauit interius; tanta etiam in me omnium odoramentorum superabundauit fragrantia, vt nec corpus infelix, nec spiritus posset totius, ac tantæ felicitatis insignia sustinere. Defecit cor meum, defecit spiritus meus tanta gloria maiestate oppressus. Testor qui aderat in Virgine Deum, si tua doctrina non me docuisset, hanc verum Deum esse credidissem, quoniam nulla videri posset maior gloria Beatorum, quàm felicitas illa, quam ego infelix nunc, tunc vero felicissimus degustaui.*

112 Obijcies. A solo infante potuisse cognoscere Magos Christi Domini diuinitatem; nam vt habet S. Hieronymus in caput 2. S. Matthæi fulgor ab ipso egrediebatur. Ergo &c.

Respond. Nos quidem admittere hoc; sed vt ait S. Bonauentura in speculo cap. 7. *Plena est tota Maria relucente in se plenissimè diuina gloria.*

113 Collige hinc primo ipsam Dominam esse mediatricem,& cooperatricem conuersionis nostræ; vndè Cyrillus homil. contra Nest. *Per te omnis creatura Idolorum errore detenta conuersa est ad agnitionem veritatis, & fideles omnes ad Sanctum Baptisma peruenerunt atque in toto terrarum orbe constructæ sunt Ecclesiæ, te adiutrice gentes veniunt ad pænitentiam.* Et S. Methodius in Hypop. *Maria virtute, & precibus penè innumeræ peccatorum conuersiones fiunt.*

114 Collige secundo nobis per manus S. Virginis Mariæ offerendum Deo quidquid Deo offerre volumus; nam vt habet S. Bernardus sermone de Aquæductu; *Sibi aqua ductum voluit prouidere, forte enim manus tuæ, aut sanguine plenæ, aut infectæ muneribus, ideoque modicum illud, quod offerre desideras gratiosissimis illis omni acceptione dignissimis Mariæ manibus offerendum tradere cura.* Vndè est significata in illo thuribulo aureo Apocal. cap. 8. vt quod *Thuribulum* habent S. Ephrem sermone de laudibus Virginis, & Gregorius Nicomed.

115 Est etiam, vt ait Hugo super Psal. 39. *Liber Vitæ Beata Virgo.* Eccl. cap. 24. *Ego quasi vitis fructificaui, &c.* Similia habet S. Antoninus parte 4. tit. 15. cap. 5. in illud Isaiæ capit. 8. *Sume tibi librum grandem. Liber grandis*, ait, *quia continuit diuinam sapientiam, cuius non est numerus, optimus scriptor Spiritus Sanctus, qui omnium est artifex habens omnem scientiam.* Scribamus ergo in hoc libro opera nostra nam sic arrham prædestinationis nobis

bis

bis polliceri possumus, nam liber vitæ est indelebilis cum sit præordinatio electorum in mente Dei, quæ non potest esse irrita.

116 Collige tertio, per admirabilem humilitatem in stabulo nos edoceri quatenus scilicet in quantumcumque excelso statu ab humilitate non sit recedendum, & singulæ actiones diuinæ voluntati conformandæ.

117 Collige quarto, Immunitatem à peccato originali vt mediatrix; nam vt ait S. Paulus ad Hebræos cap. 7. Mediator *Sanctus Innocens, impollutus segregatus à peccatoribus*; sic, & Beatissima Virgo quia mediatrix debuit esse *Sancta* per gratiam iustificantem excludentem omne peccatum mortale, *Innocens*, idest aliena ab omni piaculo vel leuissimo culpæ venialis, & *Impolluta, ac segregata à peccatoribus*, idest, non inter eos connumerata per contractionem alicuius culpæ; nam si de Eua dictum Genesis 2. *Faciamus ei adiutorium simile sibi*: Multo magis debuit hæc similitudo esse inter Beatissimam Virginem, & Christum Dominum.

118 Dico quarto verisimile esse à Beatissima Virgine Magos complete de Christi Domini Incarnatione, atque adeò de Mysterio SS. Trinitatis fuisse instructos.

Vndè, ait, S. Gregorius Thaumat. orat. de S. Annunciat. *Per te ò B. V. Deipara substantialis Trinitas mundo innotuit*; & S. Cyrillus Alexand. homil. contra Nestorium. *Per te ò Maria tota Trinitas sanctificatur*.

119 Et Probatur à fortiori à nomine quod sonat illuminatrix; nam vt habet S. Anselmus libro de Excellentia Virginis cap. 7. *Licèt Apostoli per reuelationem Spiritus S. edocti fuerint, incomparabiliter tamen eminentius, & manifestius ipsa* (idest Maria) *per eum spiritum veritatis illius profunditatem intelligebat, & per hanc multa eis reuelabantur*. Et Rupertus Abbas cap. primo in Cant. *Horum discernendorum vtrisque magistram te esse oportebit ò B. V. & magistram magistrorum, idest Apostolorum iuxta illud Cantica cap.* 4. Fons hortorum, & puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano. *An quia Spiritus Sanctus illos docuit ideircò tua vocis magisterio non illis opus fuit? Imò vox tua vox illis fuit Spiritus Sanctus*. Quare si docuit Apostolos cur non etiam Magos, qui erant primitiæ fidelium cum à Cyrillo Alexandrino homil. 6. contra Nestorium appellatur *Ecclesia fundatrix*; & à Ruperto libro de op. Spiritus sancti *Sancta Religionis Magistra*.

120 Similiter etiam probabile est eam instruxisse Magos de alijs Mysterijs, vt de morte Christi futura, de Triumphali Resurrectione, de Ascensione gloriosa, & alijs; vndè S. Augustinus sermone de Natiuitate eam sic alloquitur: *Recole Maria propheticam lectionem; nec enim te scientia potest diuinorum præterire librorum, qua ipsam plenitudinem paritura es Prophetarum*. Et D. Bernardus homil. 4. super *Missus est*. Post multa de hoc argumento concludit: *Plenè de omnibus à principio cælitus fuerat instructa Mysterijs; vt ipsa rerum tempus, & ordinem meliùs tenens scriptoribus, & prædicatoribus Euangelij reserarit veritatem*. Quod etiam poscere videbatur ipsius Eminentissima Charitas tùm erga Deum, tum erga proximum.

Collige hinc, quam nobile opus sit rudimentis fidei populos imbuere, quod & Sanctissima Virgo voluit erga Magos exercere.

121 Dico quinto Beatissimam Virginem in pauperes erogasse munera Christo Domino à magis oblata.

Ita D. Bonauentura de vita Christi cap. 9. Abulensis super Matth. cap. 2. quæst, 47. Pelbartus in stellario libro 3. 1. p. art. 2.

Primo, quia magistram Perfectionis etiam eleemosynam docere decebat.

Secundo quia in maiori pretio habebat paupertatem, quam munera regia; nam vt habet S. Ioannes Chrysostomus, siuè Auctor operis imperfecti in cap. 2. Matthæi: *Matrem eius vix tunicam vnam habentem, non ad ornatum corporis; sed ad tegumentum nuditatis inuenerunt Magi*. Sciebat enim omnia Christi Domini sibi fuisse communia, & ipsum esse Paupertatis amantissimum. Sciebat etiam Christo Domino non auferri, quod pauperibus erogatur, iuxtà illud S. Matthæi cap. 25. *Quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis*.

122 Collige hinc primo Virginem fuisse primam, quæ docuit nos, pauperes loco Christi Domini esse substitutos, dum oblata Christo Domino in pauperes erogauit.

123 Secundo quàm erubescendum diuitibus, qui ne quidem de superfluis eleemosynas elargiri volunt; cum tamen adsit præceptum dandi eleemosynam etiam in ordinarijs necessitatibus de superfluis; vt Lucæ cap. 7. *Qui habet duas tunicas det vnam non habenti*, & qui escas habet similiter faciat, & 2. ad Timoth. cap. vltim. *Diuitibus huius sęculi præcipe facile tribuere*. Et Exodi cap. 3. & Lucæ cap. 11. castigatus diues, qui habebat multa bona reposita.

124 Adde quod cum primo essent hæc omnia communia malè facta esset diuisio, & nimium detrimentosa, si non essent hæc mutua officia charitatis, & futurum erat, vt aliqui egerent necessarijs. Vltimo læditur charitas, & amicitia contemnendo necessitates proximi licet non extremas.

DISPV-

DISPVTATIO V.

§. V.

De B. V. Deiparæ Purificatione, & Præsentatione Infantis Domini ad Templum.

125 Dico primo Beatissimam Virginem non fuisse obstrictam legi Purificationis, quæ habetur cap. 12. Leuitici.

Hoc insinuatur in Canticis cap. 7. vbi habetur. *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis*. Nam calceamenta erant signum libertatis.

Secundo docent Theophylactus in cap. 2. Lucæ. S. Bernardus sermone 3. de Purific. vbi ait: *Quis non aduertat ipso huius sententiæ initio Matrem Domini liberam ab hoc præcepto?* Sic & Cyrillus Alex. in Leuit. cap. 8. Eusebius Emiss. de Purificat. Mariæ. Origenes homil. 4. in Leuit. S. Hidelphonsus serm. de Purificat. Mariæ. S. Ioannes Chrysostomus orat. de occursu Domini. Euthymius in capit. 2. Lucæ. Titus, & Haimon ibidem. S. Laurentius Iustinianus in festo Purific. Paulus Burgensis in cap. 12. Leuit. Lyranus, & Cardinalis Hugo ibidem; Raban. de Cleric. instit. cap. 3.

126 Probatur ex lege aliter ff. de leg. vbi habetur *Non aliter à significatione verborum eius recedi quàm cum manifastum est aliud sensisse*. Sic & in l. p. §. *Si is qui nauem* ff. de exercitatoria act. Atqui lex ait, *Mulier si suscepto semine pepererit*: Ergo debet excludi ea quæ non suscepto semine peperit, quę sola est Beatissima Virgo.

127 Obijcies in hebræo esse vocem *thazriangh*, quæ non solùm significat semen suscipere, sed etiam prolem gignere, aut semnificare. Ergo, &c.

Respond. enim primo Cardinalis Toletus, quod Hebræi omnes vertunt, *quæ effuso suscepto semine*. Et septuaginta vertunt: *Si seminata fuerit*. Et nostra vulgata quæ ex Concilij Tridentini Decreto omnibus est præferenda, habet, *Si suscepto semine*: ergo secundum proprietatem verborum intelligenda est mulier, quæ de suscepto semine prolem fecerit.

128 Probatur secundo ex Reuelat. S. Birgittæ lib. 6. cap. 57. vbi Beatissima Virgo M. sic ait: *Filia mea sciat, quod ego non indigebã purificatione sicut aliæ fœminæ, quia filius meus, qui natus est ex me, ipse mundauit me, nec ego aliquam quantumcumque minimam maculam contraxi*. Sic communiter Theologi sequentes D. Thomam 3. parte quæst. 37. art. 4. & Guerricus Abb. sermone 1. de Purific. ait: *Quid in ea purificandum mansit, quæ Virgo concepit, Virgo peperit, Virgo permansit, imò quæ ipso conceptu plenè purificata fuit?*

129 Probatur etiam, quia ex D. Augustino quæst. 40. super Leuit. Purificationis lex lata est ob originale

peccatum; quod & innuit Origenes homil. 8. in Leuiticum. Sed Beatissima Virgo, & concepta fuit, & concepit sine labe originaria; ergo tali legi non erat obstricta.

130 Insuper quia ex Esychio, & Procopio tanto temporis spatio impura censebatur mulier, quanto embrio formabatur, masculus 40. fœmineus 80. diebus, quia quodammodo remotè per accidens, & naturaliter contractioni peccati originalis cooperatur: tàm ingens malum est hoc peccatum originale, vt per illud indiga purificatione censebatur mulier, quæ taliter conceperat. Sed Beatissima Virgo non concepit abstrictum huic labi sed puritatis fontem: Ergo per puritatis transfusionem quam à filio suscepit tali legi obnoxia non manebat.

131 Probatur quarto, vt obseruat, & ait Eusebius Emissenus, *Non de ea dicendum fuerat; omne Sanctum non tanget, quæ ipsum Sanctum Sanctorum in gremio tenebat, sinu fouebat, & Virgineo lacte nutriebat.*

132 Quinto aliquo modo erat idem cum illo ratione maternitatis, ait enim Aristoteles 8. Ethicorum *Filij à parentibus sunt veluti aliter ipsi inseparati*. Et in l. fin. C. impub. eadem Patris, ac Filij vox, & §. ei vero de inutilib. stipul. vnum corpus, & vna caro censentur filij.

133 Sexto, non habuit sordes Puerperij ad quas mundandas dirigebatur purificatio, & oratio Sacerdotalis iuxtà illud, *Sic mundabitur à profluuio sanguinis*.

Septimo momento Christum Dominum concepisse, & non 40. dierum spatio.

143 Quare non est audiendus Abulensis in cap. 12. Leuitici existimans Beatissimam Virginem fuisse comprehensam in lege Purificationis (quem sequuntur Oleaster in Leuit. Iansenius cap. 10. suæ Concordiæ, & inclinasse videtur Caiet. super Leuiticum) propter sequentes rationes.

Prima supponit quod B. V. M. excurreret sanguinis fluxus propter quod manebant mulieres indigæ purificatione.

Secunda, quia non poterat probare se de Spiritu sancto concepisse.

Tertia quia si illa particula exceptiua, *Si suscepto semine* fuisset apposita pro Beatissima Virgine tentasset immunitatem, alias inutilis fuisset illa exemptio; quod si dicas hoc fuisse quod non potuit probare se de Spiritu sancto concepisse, Resp. quod Deus in testimonium huius rei aliquod miraculum fecisset.

Quarta quia ait lex ista non præsupponebat peccatum, & erat de actu latriæ, quare concludit illam particulam fuisse appositam per figuram *pleonasmum*, idest per superabundantiam, vt cum dicitur ore locutus.

135 Ad primam Respondet S. Augustinus libro de quinque legibus; *Stulte vndè sordes in Virgine Matre, vbi non est concubitus cum homine Patre; vndè sordes in ea, quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo est perpessa dolorem! Vndè sordes in domo ad quam nullus hospes accerserit!* Sic & S. Elogius de Purificatione B. V. & S. Idelphonsus libro de Virginitate Mariæ ait: *Et hæc est complectio dierum secundùm consuetudinem legis, & non secundum necessitatem purificationis, quia Virgo Beata, & intemerata Virginitas immaculata, immaculata, & incorrupta permansit nullis coinquinata sordibus*. Et paulo post ait: *Et ideò alia expurgatio illa fœminarum in qua purgabantur non minus delicta animarum quam vitia corporum, & alia purgatio Mariæ in qua non est aliud quàm pro myste-*

mysterio consuetudo legis , quia nullis egebat purgamentis quæ Dominum de se omnium purificatorem genuit incarnatum.

136 Ad secundam Respond. Explicando prophetias, testimonio Iosephi, publico Magorum aduentu, & impetratione noui miraculi hoc potuisse probare: & dato, & non concesso, quod non potuisset probare, manet tantum ipsam per accidens fuisse obstrictam, idest ad euitandum scandalum, non vi legis.

147 Ad tertiam: ideo non tentasse quia humilitatem aliasque virtutes diligebat. Vndè ipsa loquens de sua immunitate à purificatione S. Birgittæ lib. 6. cap. 57. ait, *Totum quod erat humilitatis diligebam.*

138 Ad quartam, Respond. negando non supponere peccatum vt supra diximus.

Vltimo Respond. huiusmodi pleonasma non habere locum in legibus, quæ breues, & non superabundantiæ redundare dicantur: maximè hęc quæ diuinam sapientiam legislatricem habuit. Vndè ab hac opinione recedendum omninò cum Concilium Tridentinum sessione 4. expressè prohibeat interpretationem Sacræ Scripturæ contra vnanimem Sanctorum Patrum consensum, qualis videtur istà: & ex alia parte nihil conferat ad deuotionem erga Sanctissimam Virginem Deiparam fouendam; sed potius officiat.

139 Dico secundo Beatissimam Virginem voluisse purificari.

Primo vt obuiaret scandalo, quod in pusillis oriri poterat.

Secundo ob humilitatem, vt habetur in Reuelationibus S. Birgittæ lib. 6. cap. 57. vnde Venerab. Beda homil. de Purificat. *Sicut Dominus, & Saluator noster .... Ita etiam Beata ipsius Genitrix quæ singulari priuilegio supra legem fuit, pro ostendendo tantum humilitatis exemplo legalibus subdi non refugit institutis.* Sic & S. Laurentius Iustinianus serm. de Purificat. S. Mariæ: *Supra legem illam fecerat gratia; sed sub lege humilitas.*

140 Tertio, vt comprobaret legem datam per Moysem tamquam bonam; sic S. Ambrosius de Purificatione.

Quarto, vt obedientiam eminentissimam exerceret spontè se legi, à qua exempta erat subijciens.

Quinto, vt Diabolus confunderetur: vndè Pelbartus in stellario libro 3. 1. parte art. 1. ait: *Vt ad purificationis legem accederet propter confusionem Diaboli pro eo quod sic Christi diuinitas, & B. Mariæ Virginitas celabatur Diabolo, ne Redemptio humana impediretur.*

141 Sexto, vt perfectè imitaretur filium, qui sine peccato voluit circumcidi. Vndè S. Bernardus sermone de Purificat. ait: *O B. V. Maria verè tu habes causam, nec tibi opus est purificatione; sed numquid filio tuo opus erat Circumcisione? Esto tamen inter mulieres tanquam vna earum; nam, & Filius tuus sic extitit in medio puerorum.*

142 Septimo, vt sicut tot priuilegia, & gratias à diuina manu gratis acceperat, sic quodammodo gratitudinis legi satisfaceret voluntaria obsequia supererogatione offerens.

Octauo Amor puritatis: vndè D. Thomas serm. de Purificat. Amor puritatis in superabundanti purificatione.

143 Nono vt nobis puritatis amorem suaderet, & per pœnitentiam, cuius Symbolum erat Purificatio, mundari debere animas: sic S. Bernardus serm. 6. in paruis ait: *Nobis ergo, & hic circumciditur, & illa purificatur, prabentes exemplum pænitentibus, vt à vitijs continentes primum per ipsam*

ipsam continentiam circumcidamur, deindè à commissis per pœnitentiam purificamur. Hoc etiam argumentum deuotissimè prosequitur Guerricus Abbas serm. 4. de Purificat. & sic concludit. *O Filij hominum tempus purgationis aduenit quando Mater summę puritatis de cuius Purgatione dies festus est nobis, pariter, & fontem edidit, & exemplum nobis dedit, quo debeamus purgari.*

144 Collige hìc primo quàm pulchrè Lunæ comparetur Cant. cap. 6. *Pulchra vt Luna*; nam Luna licet nobis videatur maculas in se habere illam à longè aspicientibus, reuera tamen nullam habet maculam; sic & Beatissima Virgo licet in sua purificatione hominibus visa sit habere maculas, vt cæteræ; tamen re vera nullam in se habuit.

145 Collige secundo humilitatem hanc infinitatis aliquid secundùm se prętulisse, non secundum entitatem, sed secundùm affectum. Primo, quia ipsius puritas, quam in hoc actu abscondit nescio quid infinitatis habuit, quatenus maior sub Deo puritas nequit intelligi; vnde puritate iam Angelicas creaturas exuperat. Secundo probatur. Dignitas maternitatis Dei occultata per hunc humilitatis actum ex D. Thoma est infinita: ergo actus ille infinitæ dignitati præpositus infinitatis aliquid habebit.

146 Dico tertio Beatissimam Virginem legem Purificationis implendo, nouos puritatis gradus esse assecuta; etiam in humano conceptu.

Probatur prima pars ex B. Alberto Magno apud D. Antoninum 4. parte tit. 15. capit. 20. §. 7. nam puritas eo magis augetur, quo magis aliqua substantia alteri summæ puræ, idest, luci propior fit; (sicut per humilitatem Deus, qui est fons puritatis magis participatur à creatura, nam ex S. Augustino serm. 157. Altus est Deus erigis te, & fugit à te; humilias te, & descendit ad te.) Sed Beatissima Virgo heroicum humilitatis actum exercuit se purificando. Ergo.

147 Secundo, per amorem quo qui se vilioribus immiscet; nam argentum non dicitur impurum ex mixtione auri quo eleuatur; sed plumbi vel stamni: sic & rationalis creatura, vt docet D. Thomas 2. 2. quæst. 7. artic. 2. per amorem terreriarum, quæ viliora sunt ipsa, impura redditur: Ergo à contrario per recessum ab illis pura redditur, & amorem ad Deum, qui est fons puritatis: ergo Beatissima Virgo exercendo tam insignem actum amoris, Religionis, &c. quæ exercuit, nouos puritatis gradus acquisiuit.

148 Probatur secunda pars, (nempe, quod, & in humano conceptu, &c.) Quia, & à Simeone, & ab Anna fuit cognita Mater Dei: Ergo ea puritate fulgens, quæ Matrem Dei decet. Idest maior sub Deo quę reperiri possit.

Aduerte hìc illa verba completi dies Purgationis. Non intelligi hìc aliam purgationem nisi hanc purificationis cæremoniam. Aduerte secundo admirabile humilitatis priuilegium, nam media quibus aliquis vtitur ad sui humiliationem Deus dirigit ad ipsius exaltationem: sic patet in B. V. M.

149 Dico quarto Beatissimam Virginem non obtulisse agnum, non quia paupertate ad id omnino adstringeretur (vt habet Pelbartus in stellario lib. 2. 1. parte art. 2.) Sed quia spectato statu paupertatis, quam profitebatur, & amabat commodè non poterat emere agnum.

Fauent Abulensis in Leuit. cap. 12. quæst.

quæst.25. & Suarez tomo 2. in 3. partem disp. 17. sect. prima nam,& paupertatis, & humilitatis amantissima sic seruabat legem, quæ dicebat *Nec potuerit offerre agnum*, quod intelligendum est moraliter, idest commodè.

150 Quæres cur non declarant euangelia determinatè quid obtulerit?

Respond. non declarant, quia columba aggregale animal est significatiuum communis vitæ; Turtur verò solitarium; & ne putaremus vnum alteri preferendum esse non determinarunt; nam vtrumque Deo gratum, & prosequendum sit disserit Beda lib. 1. in Lucam; qua posita interpretatione ex Diuo Bonauentura in cap. 2. S. Lucæ dicere possumus, quod vtrique vitę competit gemitus, quorum vnusquisque æquè Deo placet tàm in actiua, quàm in contemplatiua vita, figurati in gemitu columbæ, & Turturis. Quare S. Laurentius Iustinianus serm. de Purificat. S. Mariæ, ait; *Signanter par turturum, aut duos pullos columbarum, vt rectè intelligas, & contemplationis, & actionis Domino placere commercia*.

151 Secundo quia Turtur castitatis,& simplicitatis Symbolū, columba verò charitatis.

Tertio fæcunditatis, & vnionis, quam charitas efficit, quod pulchrè prosequitur S. Laurentius Iustinianus serm. supradato his verbis. *Non aurum non gemmas obtulerunt pro Rege cælorum; sed animalia munda, viua, atque volantia, vt mysterium hoc intelligerent esse, qui legerent; in turture quippè S. Ecclesiæ per amoris Sacrosanctum connubium Christo copulante, intellige Castitatem: In Columba vero speciem vnitatem Charitatis credentium, quibus est cor vnum, & anima vna, præfiguratam agnosce, quæ videlicet per exhortationem mutuam Sacramentorumque collationem quotidie sponso suo spiritualis prolis fœcunditatem parere non desistit. Hanc oblationem mysticam sub Ecclesiæ typo pro suo Deo obtulit vnigenito*.

152 Respond. secundo cum Suarez tomo 2. in 3. partem disput. 17. sect. 1. id factum, quia solùm voluit signare fuisse oblationem pauperum.

Respond. tertio id fuisse quia facile iudicari nequit, quænam virtus per has aues significata Deo fuerit in B. V. prestantior; nam pari passu videntur incedere in ipsa, Castitas, per Turturem significata, & fæcunditas per Columbam.

Respondet quarto Nouatus id factum vt intelligeremus diuinum esse beneplacitum, vt mortificemus nostrum iudicium in Sacræ Scripturæ arcanis iudicandis; nam idcircò multa voluit nobis esse occulta.

153 Dico quinto Christum Dominum non fuisse obnoxium Mosaycæ legi, quia etiàm Deus erat, & vt homo virtute Spiritus sancti fuerat conceptus, & sic cessante in eo principali obligatione cessabat, & in Virgine pariente vt accessorio.

Quare illa verba Exodi capit. 13. *Omne primogenitum, quod aperit vuluam*, non sunt posita ad includendum Christum Dominum, vt videntur velle Origenes 14. in Lucam, S. Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum. Chrysostomus homil. de occ. Christi Domini. Nyssenus homil. de occ. Christi. S. Ioannes Damascenus de Purificat. B. V. Euthymius in cap. 2. Lucæ, & Amphylochius homil. de Purificatione.

154 Quod si obijcias eis quod Claustra B. V. non fuerunt aperta.

Respond. Amphylochius loco citato, non fuisse quidem aperta quantum ad Virginitatem, quia semper Vir-

Virgo permansit; nec claustrum Virginale fuit reseratum; sed dici reserata Domino, quatenus nullum impedimentum potentiæ Domini ægredientis, seclusa omni physica aperitione.

155 Alij dicunt, quod per aperitionem intelligitur conferre fæcunditatem, de qua Suar. tom. 2. in 3. partem disp. 15. sect. 2. Sed posita fuere illa verba ad excludendum Christum Dominum. Ita S. Cyrillus Hierosolym. homil. de occursu Domini, ait: *Christus autem solus, ex solo Vnigenitus, cum Virginis portas non aperuisset*. Cardinalis Toletus in cap. 2. Lucæ annot. 16. & alij recentiores; quam sententiam Suarius disp. 17. sect. 2. simpliciorem, & proprietati literæ magis consentaneam existimat.

156 Probatur etiam primo, quia verba Scripturæ in proprio sensu sunt accipienda quando nihil inconueniens sequitur; nam, & in legibus humanis à proprietate verborum non est recedendum: ergo cum illa verba loquebantur tantum de illis, qui aperiunt vuluam, cum Christus non aperuerit dicendum non includi. Alias frustra fuissent posita illa verba; vnde multo minus dici potest, quod ad solum Christum comprehendendum fuerint posita.

Secundo, præcipiebat lex vt sanctificaretur, idest peculiari ritu Deo dicaretur: sed Christus non egebat tali peculiari dicatione, cum esset Deo hypostatico vinculo vnitus: ergo non fuit comprehensus.

157 Obijcies verba Euangelistæ: *Tulerunt eum in Hierusalem ... sicut scriptum est in lege Domini*, videntur innuere comprehensum fuisse in lege. Ergo.

Respond. cum Suarez loco citato dicta verba solùm significare fuisse obseruatam legem, quamuis ad eam seruandam non teneretur.

158 Dico sexto, plures ob causas Beatissimam Virginem infantem Iesum in templo præsentasse.

Prima, vt implerentur dicta Prophetarum, idest, Aggæi capit. 2. *Ad huc modicum, & venit desideratus cunctis gentibus*. Dauid Psalm. 10. *Dominus in templo Sancto suo veniet*. Malachiæ cap. 3. *Statim veniet*.

159 Secunda vt presignaretur oblatio Crucis. Vndè S. Bernardus serm. de Purificat. ait: *Veniet quando non in templo offeretur, non inter brachia Simeonis, sed extrà ciuitatem intra brachia crucis*. Et fortè idcirco Simeon subdidit sermonem de passione.

160 Tertia quia *afflictorum consolatrix*, vndè Simeonem Senem solari debuit.

Quarta, vt Religionis, & deuotionis cultus nobis exemplum exhiberet.

Quinta, vt suaderet chariora esse offerenda Deo.

Sexta ait D. Thomas sermone de Purific. *Gratiarum actio in filij oblatione, ibi*, vt sisterent eum Domino, *quia tibi Domine, quem dedisti offerimus*.

Septima, vt exemplum principibus proponeretur vi directiua obtemperandum illis legibus, ad quas vi coarctiua non tenentur.

161 Voluit autem Christus Dominus redimi quinque siclis à Beatissima Virgine, vt non solùm iure materno; sed etiam iure quodammodo Redemptionis se propriùs ipsius faceret; ex quo habes esse quodammodo in manu Virginis de Filio suo ad libitum disponere. Quare S. Thomas à Villa noua serm. de Purific. ait. *O bone Iesu iam noster es, & duplici iure es, te nobis Pater dedit, te nobis Mater emit; noster es, quia datus, noster*

ster es, quia emptus? duplici te iure possidemus.

162 Dico septimo admitti posse Deiparæ collatam fuisse benedictionem Sacerdotalem, cum dicatur in Sacro Textu: *Et benedixit illis Simeon*. Ergo in propria significatione accipienda sunt hæc verba cum nullum sequitur inconueniens.

163 Obijcies cum Iansenio in concordia Euangel. capit. 10. fuisse tantum precationem felicium, vel prædicando parentes beatos, qui talem filium habuerunt; eo quod ad hæbreos cap. 7. habetur quod minor à maiore benedicitur.

Respond. tamen Beatissimam Virginem in omnibus esse excedentem summè, & sine comparatione, in hac solùm potuisse dici minorem præcisè, quatenus ipsa non habebat dignitatem Sacerdotalem cuius munus erat solemniter benedicere. Fauent Murillus in oper. Vide 11. excellencias de la madre de Dios; & Nouatus prima parte cap. 15. quæst. 7. maximè cum Sacerdotes veteris legis Christum summum Sacerdotem futurum repræsentarent, & sic summè elucet virtus Religionis in Beatissima Virgine, quæ sic voluit venerare dignitatem sacerdotalem.

164 An verò fuerit benedicta ea forma benedictionis, quæ habetur Numeror. capit. 6. *Sic benedicetis filijs Israel, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus, & custodiat te: ostendat Dominus faciem tuam tibi, & misereatur tui, conuertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem*. Putat Nouatus quod non, quia multo maiora Priuilegia diuinitùs edoctus Simeon cognoscebat.

Quare Pelbartus in stellario lib. 2. par. 2. art. 3. c. 3. ait *Sed quali benedictione non exprimitur; deuota tamen mens potest plura contemplari, vt dixerit: Benedicta tu in mulieribus; quæ Virginum Virgo, Angelorum Domina, & omnium Regina fieri meruisti; vel Benedicta filia tu à Domino, quia per te fructum vitæ æterna communicauimus*.

DISPVTATIO VI.

§. VI.

De B. V. cum puero Iesu in Ægyptum fugiente.

165 Dico primo idcirco S. Ioseph admonitum ab Angelo, & non B. V. M. quia à diuina Prouidentia electus fuit ad munus nutrici obeundum; ergo, & media suppeditanda erant; & scientia ad cauenda pericula; quam licèt Beatissima Virgo haberet, tum quia eminenti scripturarum scientia illustrata fuit; & ideò Prophetarum oracula perfectissimè nouerat, quæ expresse de hoc loquuntur, vt Isaiæ capit. 19. & Oseæ cap. 5. tum quia cum esset Prophetarum Regina omnia mysteria ad Christum spectantia nouerat; tamen non suppeditauit S. Ioseph, vt haberet obedientiæ, quam summè adamabat

mabat exercendæ occasionem. In quo edocentur subditi alacriter obtemperare superioribus debere.

166 Dico secundo voluisse Christum Dominum à Beatissima Virgine in Ægyptum deferri multis de causis.

Primo, vt implerentur oracula Prophetarum.

Secundo, vt indicaretur persecutiones in hac vita esse necessario tolerandas, ita Origenes homil. 17. in Numer. & S. Gregorius Nazianz. in oratione de Christi Domini Natiuitate. Præclarum est cum Christo persecutione presso fugam inire. Quod si Phocion socio qui erat moriturus, ait, *Parum tibi videtur cum Phocione mori*? Sic, & nos cum Christo Domino non debemus passionem recusare.

167 Tertio, vt nos doceret factis, quod postea verbis docturus erat, summoperè expedire ad Tirannorum furorem euitandum migrare ex vna in aliam Ciuitatem, ita Aymon.

Quarto, vt hoc argumento veram humanitatem à se assumptam declararet; dum infirmitates humanas experiebatur. Ita in Reuelationibus S. Birgittæ lib. 5. interrog. 12. vbi ait: *Quod autem fugi in Ægyptum in hoc infirmitas humanitatis meæ ostensa est*. Quod etiam perpendit S. Ioannes Chrysostomus in cap. 2. Matthæi sic *Verum hoc modo rebus impletis creditum non fuisset verè illum suscepisse carnem, tantique hodie mysterij Sacramenta mutarent*.

168 Quinto vt doceret Religiosos libentissimè patrium solum esse relinquendum; qua in re virtus perfectissima B. V. notatur cum tamen de Patria dicat quidam.

Nescio qua natale solum dulcedine cunctas
Replet, & immemores non sinit esse sui,

vndè Genesis cap. 12. tot promissiones factæ Abrahæ, vt egrederetur de Patria.

Sexto ne Innocentibus SS. causa tantæ sortis subtraheretur. Vndè S. Petrus Chrysologus serm. 135. ait: *Si non fugisset Iesus, haberet eos Synagoga filios non eos haberet Ecclesia Martyres*.

169 Septimo Amor patiendi pro nobis: sic D. Fulgentius sermone de Epiphania. *Dignatus est in Ægyptum fugere, vt posteà crucem dignaretur ascendere; vndè manifestum est amore nostri, non Herodis timore, quem solo nutu cohibere potuisset fugam arripuisse; sed potius instar strenui ducis singulari stratagemate inimicum fugiendo delusisse*.

170 Octauo, vt ardentissimus Virginis Sanctissimæ Amor comprobaretur. Amor enim, qui in arduis non comprobatur suspicione non caret.

Nono, vt ostenderet quamcumque regionem quantumuis vitijs profligatam Virgine SS. cum Iesu occurrente cœlo reconciliari posse. Sic S. Ioannes Chrysostomus in capit. 2. Matthæi; *Simul toti orbi denunciantur optima spei in posterum præmia, quia & Babylon, & Ægyptus præ omnibus terris flamma impietatis ardebant, ab ipsis statim principijs ostendit, quod vtramque emendaturus esset, & igne potius fidei succensurus ex ijs vtique persuadens, etiam de alijs mundi partibus speranda essent meliora; nam Persidi quidem Magos remittit, ipse verò cum Virgine Matre in Ægyptum descendit*. Sic impletur illud Psalmi 77. *Posuit in Ægypto signa sua, & prodigia sua in campo taneos*: Vndè idem S. Ioannes Chrysostomus hom. 8. in Matth. *Si quis nunc ad Ægypti veniat solitudinem paradiso quouis omnem illam Eremum inueniet digniorem, & innumeros Angelorum cætus in corporibus agere mortalibus, & populos Martyrum, & Choros Virginum, & omnem*

omnem tyrannidem Diaboli dirutam; Christi autem Regnum coruscans; & illud etiam oraculum Isaiæ cap. 19 *impletum: In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti: & titulus Domini iuxtà terminum eius, & erit in signum, & in testamentum Domino exercituum in terra Ægypti*. Sic Aurea Chrysostomi eloquentia luculenter prosequitur, & deuotè hoc argumentum.

171 Collige primo, quod Ægyptus est singulare Beatissimę Virginis tropheum significatum in Luna, vt habet Pierius lib. 44. Hierogliphic. cap. 19. vndè Antoninus Pius iussit nummis imprimi hominem ambabus manibus Lunam apprehendentem inscripto nomine Alexandriæ, vt innueret se Ægypti possessionem fuisse assecutum; vndè sub pedibus B. Virginis innuit Ægyptum peccatorum ipsius ope à Dæmonum seruitute erutum. Iuxtà illud Canticæ c. 4. *Veni coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus Leonum, de montibus pardorum*; idest de Ægypto peccatorum.

172 Collige secundo admirabilem ipsius mansuetudinem nolens Deum pro iuxta Herodis vindicta supplicare.

Collige tertio Virginis exemplo libenter sustinendas quascumq; ærumnas.

Quarto opus heroicum Christi Domini, & Virginis Sanctissimæ exemplo proximorum quęrere salutem, etiam in remotissimis mundi plagis; vt D. Franciscus Xauerius, & eius sectatores fecerunt.

173 Dico tertio Christum Dominum voluisse in Ægyptum transferri propter tria.

Primo, vt gloriosius de Tartareo hoste cum Sanctissima Matre triumpharet, nam ex Cyrillo in caput primum Isaiæ. *Ægyptij præ alijs superstitiosissimi delubra, & simulacra infinita habebant, adorauerunt volatilia, & pisus, & capram, & ouem, & vitulus ab illis in honore habitus est*. S. Ioannes Chrysostomus homil. 8. in Matth. *Ægyptum colentem porros, & capas*. S. Isidorus lib. 1. epist. 489. ait *Ægyptios propter crudelitatem, & morum immanitatem lex ab Imperio, & præfectura arcet*: Et Herodotus in Euterpe *Primos aras, imagines, & templa extruxiße. Omnia fere deorum nomina ex Ægypto in Græciam comigrarunt*.

174 Secundo vt exemplo suo, & SS. Matris ostenderet inimicis esse benefaciendum; Aegyptij enim Deo ortus infensissimi, & præthereà vt ait Philo in Flauum constat Aegyptios antiquo odio fuisse in Iudæos infensissimos.

175 Tertio vt ostenderet veterem iram in misericordiam conuertisse. vnde D. Thom. catena aurea in cap. 2. Matthæi ait: *Recordatus est Dominus, qui non in finem irascitur, quanta mala fecerit super Ægyptum: ideò mittit filium suum in eam, vt det illi magnæ reconciliationis signum, vt decem plagas Ægypti vna medicina sanaret, vt populus, qui anteà fuerat persecutor Populi Primogeniti, custos fieret Filij Vnigeniti, vt qui illi violenter dominati sunt; isti cum deuotione seruirent; vt iam non irent ad mare rubrum demergendi; sed vocarentur ad aquas baptismatis viuificandi*.

176 Dico quarto probabilius esse B. V. M. via terrestri, & non maritima in Aegyptum migrasse.

Ad cuius euidentiam sciendum est primo, quod ex capite 2. Lucæ habetur, quod post Purificationem B. V. rediit in Regionem suam Nazareth. Secundo huic ciuitati propè esse quidem littora maritima vt Ptolemeus versus Iiniam, & Pheniciam, Syrus,

Auiam, Sarepta, & Sydon. Versus Aegyptium, Dorca, Micmerath, Diospolis, Ioppe, quæ viciniora erant Hierusalem.

Tertio viam terrestrem à Nazareth in Aegyptum esse per Sichem, Samariam, Ramam, Morezam propè Hierusalem Enachain tendendo ad vrbem Gazæ vnam, per quam reuertebatur Eunuchus Candacis Reginæ, vt in Aegyptum post in Aethiopiam iret.

177 His positis Io: Mairo. cap. 2. in Matth. Io: Gerson in Ioseph disc. p. Tostatus in cap. 2. Matthæi quæst. 60. Carthagena tomo 3. lib. 9. hom. 6. D. Bonauentura, & alij recentiores tenent sententiam, quam supra insinuauimus: vnde, & Gerson habet præclarum Distichon sic

O quoties latro, quoties sitis algor, & ardor

Atque fames inopes potuit venare viantes.

178 Probatur primo quia ex Gratiano in vita S. Ioseph: per locum à Bethlem quantùm duo ictus lapidis distantem transiuit S. Ioseph, vbi relicta Beatissima Virgine ingressus est ciuitatem ad comparanda necessaria pro itinere, & Beatissima Virgo interim lactauit infantem, & ex eius sanctissimo lacte supra petram cecidit, quæ statim facta est candida, & mollis, ex qua nunc etiam defurantur placentulæ, quæ varijs morbis prosunt. Ex quo patet eam terrestre iter suscepisse; nam ex hac parte iam declinauerat pericula Herodis; vndè non est probabile reliquisse susceptum iter terræ; nam si voluisset iter via maris suscipere Ptolemaidam iuisset non Bethleem.

179 Obijcies primo propter commoditatem nauium, quibus statim poterat transmigrare in Aegyptum. Secundo ad declinandas manus Herodianorum. Tertio ne perageretur arenosum desertum, & multa incommoda probabilius est via maritima iuisse.

Respond. ad primum, non semper in portu esse naues.

Ad secundum, etiam in illis partibus fuisse pericula satellitum Herodis pro exigendis vectigalibus.

Ad Tertium, dulce illi fuisse quodlibet incommodum pro dilectissimo filio.

Prætereà in mari etiam adesse pericula tempestatum, & alia, &c.

Collige hìc stillam illam lactis emollientem petram significare etiam aliquando intercessionem B. V. in lacte expressam emollire Christum Dominum contra nos iustè obduratum ad vindictam. Secundò, etiam emollire dura peccatorum corda.

180 Dico quinto, quod intrante Deipara Sanctissima cum Filio in Aegyptum corporea Idola diruta corruerunt.

Probatur ex Isaia cap. 19. *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & commouebuntur simulacra eius*: Quod & septuaginta vertunt: *Mouebuntur manufacta Ægypti*, & Vatablus: *mouebunt se ad aduentum eius*. Sic exponunt S. Anselmus in capit. 2. Matthæi S. Bonauentura de vita Christi capit. 12. S. Dorothæus Martyr in Synopsi in vita Ieremiæ, vbi ait: *Ieremias signum dedit Sacerdotibus Ægyptiacis, quod oportebat coram simulacra concuti, & decidere per seruatorem puerum ex Virgine nasciturum. Proptereà etiam nunc Virginem in lecto infantem in præsepio collocant, & adorant. Et cùm caussam olim Ptolemæus Rex percunctaretur responderunt Mysterium esse ipsis à maioribus traditum, quod illi à S. Propheta acceperunt*. Idem habet S. Epiphanius libro de

de vita, & interitu Prophetarum relatus à Murillo in Mariali tomo 2. orat. 2. discursu 3. S. Antoninus 1. parte titulo 5. cap. 1. §.4. S. Cyrillus Hierosolymit. cathec. 10. S. Athanasius de Incarn. Verbi Lyranus in Isaiam cap. 19. & Tostatus quæst. 60. in cap. 2. Matthæi, ait: quod *in Heliopoli vbi primo intrauit cum non haberet B. V. vbi diuerteret ingressa est templum Idolorum, vbi erant 365. idola iuxtà numerum dierum anni, quæ erant fortè omnia Idola Ægypti; quod cum esset renunciatum Aphrodino Principi Sacerdotum venit cum exercitu suo, & adorauit Iesum puerum, alloquens exercitum, & dicens: Hic nisi esset Deus Deorum nostrorum simulacra non se prosternerent coràm eo, nos ergo si idem non faciemus sicut Pharao periculum incurremus*.

181 Probatur secundo, quia & coram arca quæ erat figura Deiparæ pronus, cecidit Dagon.

Tertio ex Genesis cap. 2. *Ipsa conteret caput tuum*, idest expulsum à simulacris in quibus caput erigebat: vndè Euthymius oratione de Zona Deiparæ ait: *Sanctissima Virgo aras contriuit Idolorum, & delubra gentilium perdidit, & comminuit*.

Quarto, quia venit in Aegyptum, vt ait Eusebius Emissenus, *vt lux luceret in tenebris, & populus qui sedebat in tenebris videret lucem magnam*; Quod cum nollet præstare verbis congruum erat, vt præstaret signis. Suarez putat in dist. 19. non corruisse in tota Aegypto; sed credibile, quod tantùm in aliquibus, vbi Christus habitauit, & addit hoc in prophetia Isaiæ non habere fundamentum, quod vltimum non arridet cum præcitati Patres, & Doctores sint in contrarium.

182 Dico sexto Beatissimam Virginem cum infante Iesu plures Aegypti ciuitates perlustrasse.

Et primo quod fuerit Heliopoli probatur ex Tostato supra citato, & Baronio.

Secundo quod incoluerit Hermopolim tradunt Sozomenus libro primo Historiæ cap. 25. & Nicephorus lib. 10. cap. 13. his verbis. *Cum Ioseph propter Herodem assumptis secum Christo, & Maria Sancta Deipara fugisset atque venisset Hermopolim, simul vt porta appropinquauit, statim arborem licet plane maximam aduentu Christi curuatam esse, atque ad solum vsquè se inflixisse, & Christum adorasse*.

183 Tertio Iansenius in Concordia cap. 2. Matth. scribit: *Habitasse Matharea, & Mauros in eo loco vbi fertur fuisse eius habitatio perpetuò ardentem lampadem conseruare*.

Quarto Gerson in proemio Iosephinæ, ait fuisse Memphi.

Quinto Brocardus in descriptione terræ sanctæ parte secunda capit. 11. ait: *Inter Heliopolim, & Babylonem in medio fermè loco est Hortus balsami, qui irrigatur ex paruulo fonte, in quo est fama B. V. Iesum paruulum pluries lauisse, panniculosque eiusdem mundasse. Est etiam ibi lapis super quem dicitur eosdem consedisse: hæc omnia venerantur Christiani, & Saraceni*. Sic, & Baronius anno Christi primo num. 46. Tostatus quæst. 40. in cap. 2. Matthæi, & Iansenius in concordia ibidem.

184 Sexto Bellonius relatus ab Antonio Magino in sua Geographia ait *B. V. fuisse Babylonem, quæ fuit vrbs plurium splendidorum ædificiorum, quorum adhuc conspiciuntur fragmenta: paulo supra Cayrum nunc exiguus pagus Christianorum, Armenorum, & Græcorum, vbi est sacellum B. V. dicatum, in quo est fornix subterranea in qua ipsa B. V. cum infante Christo latuisse fertur*.

185 Septimo his addit Nouatus Syene, Thebem, Diospolim, Temyram,

myram, & Alexandriam, nescio tamen quo fundamento. Quod probat primo ratione conuersionis plurium populorum. Secundo, ne diuturna commoratio in eodem loco officeret.

186 Hìc collige quod si sola aqua, quæ Christi Domini carnem, & panniculos ac Sanctissimas Virginis manus tetigit balsamum pretiosum producit; quid erit de admirabili Eucharistiæ virtute, in qua ipsa Christi Domini caro, & caro Mariæ recipitur! Nam caro Christi caro B. V. Mariæ est, vt ait S. Augustinus sermone de Assumptione: quam pretiosum Balsamum à putredine peccatorum præseruans emanabit?

187 Dico septimo probabile esse Beatissimam Virginem cum infantulo Iesu mansisse in Aegypto non plus quinquennio.

Nam anno 15. Iesu Octauianus Augustus obiit; sed in hoc spatio, non plus quàm quinque annis regnare potuit Herodes; ergo non plus, &c.

Probatur maior. Quia intra illos 15. annos Octauianus permisit regnare Archelaum per decennium, & postea eum relegauit Viennæ, vt habet Ioseph lib. 17. antiquit. cap. 19. Ergo dempto decennio restant quinque anni; si tamen historia Ioseph non errat in supputatione, nam errare affirmat Baronius anno Christi Domini 16. numero 3. & 4. & alibi.

188 Probatur autem quod anno 15. Christi Domini obierit Octauianus Augustus ex S Lucæ cap. 3. vbi habet: *Anno autem quintodecimo Imperij Tiberij Cæsaris*. Et paulo post. *Et ipse Iesus erat incipiens, quasi annorum triginta*.

S. Epiphanius libro primo Panarij t. 1. in fine post hæres. 20. & libro 3. hæresi 78. putat duobus tantum annis, existimat enim biennio peracto iuisse in Aegyptum. Nicephorus lib. primo cap. 14. & Druthmarus in Matth. c. 2. putant duobus annis.

Barradius tom. 1. lib. 10. capit. 9. circa quinquennium vel sexennium; nam putat anno 32. Herodis natum, & anno 37. ætatis suæ Herodem defunctum; & Maldonatus refert alios. Ammonius Alex. in Harmonia Euãgel. D. Bonauentura de vita Christi cap. 13. Magister historiæ Scholasticæ cap. 23. D. Antoninus 1. parte titulo 5. cap. 1. § 4. Didacus Murillus tom. 2. tract. 2. dist. 3. putant septennium exegisse. Maldonatus putat nec plus septennio, nec minus quatuor annis in Aegypto commorari potuisse.

189 Baronius anno 8. Christi Domini colligit B. V. ex Aegypto redisse cum Christus Dominus annum nonum ageret. Et Suarez disp. 17. sect. 2. cum Benedicto Pererio lib. 11. in Danielem quæst. 5. putat nihil certi definiri posse, licet approbent diligentem Baronij obseruationem. Et quidem, quod paulo post Magorum adorationem Christus Dominus secesserit in Aegyptum innuit Matth. cap. 2. dum ait de illis qui cum recessissent *Ecce Angelus Domini*. Particula enim *Ecce* significat apparitionem non multum distantem.

190 Et non multo post Herodis obitum Deiparam ex Aegypto redijsse probant illa verba: *Defuncto autem Herode Ecce Angelus Domini*. Dixi non multo post, quia secundum Martyrologium Romanum, & alios grauissimos Auctores vt notat Baronius anno Christi octauo numero 13. in fine, reditus Deiparæ fuit septima die Ianuarij; & Herodes obijt circa tempus Paschale, vt notat idem Baronius anno citato numero primo. Ergo initio sequentis anni.

DISP V-

DISPVTATIO VII.

§. VII.

De Beatissima V. Templum Hierosolymitanum frequentante.

191 Dico primo Beatissimam Virginem consueuisse pro Azymorum celebratione ad Templum accedere.

Probatur primo ex cap. 2. S. Lucæ vbi habetur *Ibant parentes eius per omnes annos in Hierusalem*.

Secundo probatur ex virtute Religionis, quæ in Beatissima Virgine erat eminentissima.

Tertio, quia maxime decebat ipsam venerari eam solemnitatem, quam typum Eucharistiæ, & Passionis Filij sui Sanctissimi esse sciebat: vnde, & Eucherius homil. 2. in Lucam de B. V. proficiente ad templum ait: *Mater quoque eius multa ibi in lege, & Prophetis cantari audiebat, quæ de ipsa dici intelligebat, & in se ipsa iam completa esse sciebat*.

Quarto quia cum Mysteriorum illorum impletionem exoptaret figuris saltem dictas moras quodammodo fallere voluisse videbatur.

192 Pro cuius rei intelligentia, sciendum quod tribus vicibus in quolibet anno apparebant masculi in templo, idest, in solemnitate Azymorum, in solemnitate Hebdomadarum, & in solemnitate Tabernaculorum. Et non apparebant vacui; nam in festo Azymorum offerebant manipulum messis Hordaceæ, & adolebantur coràm Domino, In secunda, quæ erat Pentecostes manipulum mesis Triticeæ. In tertia quædam de ramis tabernaculi exurebantur, & quædam fiebant de folijs arboris pulchræ excultæ, vide cap. 23. Leuitici, quæ etiam differebant ab alijs solemnitatibus in magnitudine Sacrificiorum, vt habetur num. 28. & 29. & in 8. Scenophegiæ, quæ erat tertia festiuitas colligebantur sumptus pro Sacrificijs, quæ Scenopegia celebrabatur die 15. septimi mensis. Sed festiuitas Azymorum die 14. primi; & Festiuitas Tabernaculorum post 50. dies; ad quas festiuitates mulieres non obligabantur præcepto. Porro Christus Dominus licet non teneretur legibus voluit sua præsentia domum Patris honorare.

193 Obijcies Angelus monuerat Iosephum ex Aegypto redeuntem ne Hierosolymam proficisceretur, eo quod ibi regnaret Archelaus Matth. cap. 2. ergo non est verisimile singulis annis consueuisse accedere.

Respond. hunc timorem non potuisse retardare religiosum feruorem B. V. M. quod suadetur ex eo quod ait Lucæ cap. 2. *Ascendentibus illis secundum consuetudinem*. Quæ rationes probant etiam Beatissimam Virginem alijs duobus solemnitatibus vtpotè perfectionis magistram accessisse, & sic in operibus supererogationis abundasse.

194 Collige hic primo B. V. hoc exemplo extirpasse hæresim Eustatij, qui aiebat blasphemans, Deum in- tem-

templis non esse excolendum.

Secundo negligendum esse pro honore Dei quemuis humanum timorem, sicut ipsa non timuit Archelaum.

Tertio deuotis B. V. M. opera supererogationis esse adamanda; nam vt ait Rupertus lib. 1. de Conf. cap. 16. *Euasistis pœnam nondum meruistis gratiam; inutiles enim estis, quia nihil pro amore, aut gratia Domini nostri supra debitum seruitutis pensum adijcere vultis.*

195 Dico secundo propter quatuor præcipue rationes Christum Dominum inscia Sanctissima Virgine in templo remansisse.

Primo, quia iaciebat fundamenta Religionis, & sic docebat filios posse etiam sine consensu parentum Religionem ingredi. Salmeron tomo 3. tract. 46. Petrus Morales in cap. primum S. Matthæi libro 5. tract. 8. numero 13.

196 Secundo vt suo exemplo paupertatem commendaret. Dum ex emendicatione viueret, vt habet Psal. 39. Ego autem mendicus sum, & pauper. Vndè D. Bernardus homil. infra octauam Epiphaniæ ait: *Domine quis te cibauit illo triduo? Quid dicam Deus meus, vt te per omnia nostra conformares paupertati, & in te humanæ naturæ calamitates susciperes, quasi vnus è turba pauperum stipem per ostia mendicabas.* Sic S. Basilius int. 265. Alensis 4. parte quæst. 107. S. Bonauentura in Apolog. paup. Respons. 3. artic. primo, & D. Thomas 2. 2. quæst. 187. artic. 5.

197 Obijcies cum Abulense capit. 17. in Deuteronom. quæst. 194. Lyrano, & Cart. in cap. 15. Deuter. non fuisse moris apud Hebræos stipem emendicare; nam, vt habetur Deuteronomij 15. *Et omninò indigens, & mendicus non erit inter vos.*

Respond. primo, hæc verba dirigi ad diuites, vt promptè erogent necessaria pauperibus.

Respond. secundo, fuisse promissionem factam obseruantibus legem, vt habet Oleaster in dicto loco; nam parabola Lazari, & verba Iudæ *Potuit hoc vnguentum venumdari multò, & dari pauperibus*, omninò indicant fuisse egenos.

198 Obijcies secundo cum quodam Doctore Anglicano relato à Gersone tom. 3. serm. de Natiuitate Virginis; mendicare est mendicitatem petere de solo debito naturali sine omni dignitate iustitiæ, seu debito personali habito ad petitum; sed fuit impossibile Christum Dominum aliquid petijsse, sine omni dignitate, iustitia, seu debito personali: Ergo non mendicauit, alias fuisset fictio, &c.

Respond. quod vt ex supra dictis habetur; licet habuerit Regium Dominium nihilominùs ad paupertatem commendandam potuit abdicare, & de facto abdicauit talis Dominij exercitium, & sic, cum verè indigeret, licitè, & absque fictione potuit mendicare.

199 Tertio se celauit, vt magis sic accenderet amorem eiusdem SS. Virginis ingenioso stimulo; nam licèt, vt ait ille *Amor, & aspectu*, & Prop.

Dum nos facta sinunt oculos satiemus amore.

Si nescis oculi sunt in amore duces.

Tamen quando est perfectus absentia magis accenditur. Vide Platonem in Phæd. S. Augustinum lib. 10. de Trinit. S. Thomam 1. 2. quæst. 29. Sic Tobiæ Mater capit. 10. Tobiæ. Sponsa in Canticis cap. 5. declinantem sponsum sequitur, & licèt vulnera recipiat, ait, ad filias Hierusalem, quod nuncient dilecto amorem, & languorem, nullam faciens de vulneribus

tribus mentionem vnde quando habet præsentem incitat ad fugam dicens : *Fuge dilecte mi*.

200 Quarto se subtraxit vt vberiorem merendi segetem SS. Virgini suppeditaret ; transierant enim afflictiones Herodis ; Aegypti labores , quare dum cessant cæteri affligere Matrem , affligit Filius , ne otiosam in illa Sanctissima anima sineret ad patiendum dispositionem . Vnde tot illius capiti coronas gloriæ multiplicabat, quot doloris aculeos singulis momentis absentiæ cordi infigebat .

201 Collige hìc quàm alacriter ferendæ tribulationes neque enim tribulare desinit Deus , quos amat : vnde in Reuelationibus S. Catarinę Senensis habetur ; quod Dominus illi declarauit, quod si inueniret animam rectè dispositam , & paratam ad omnia perferenda omnes in eam dolores , ęrumnas , & calamitates congregaret . Hinc Iobi cap.6. *Dominus soluat manum suam , & succidat me , & hac sit consolatio mea , vt affligens me dolore non parcat* .

202 Dico tertio Beatissimam Virginem protulisse illa verba *Fili quare fecisti nobis sic* ?

Primo ob mirum amoris affectum ex illo verbo *Fili*, quod à matribus solùm excitato amoris affectu profertur . Sic Stapletonius in Promptuario Dom. 1. post Epiphan. & sic postea maiori amore efferbuit .

203 Secundo indicatur doloris affectus iustus ex amoris vehementia proueniens, ob quem sanctissime cupiebat Filium suum habere præsentem subintellecta conditione sic Stapletonius loco citato .

204 Tertio volebat Christus Dominus ob plures optimos fines abesse præsentia corporali à SS. Virgine, ab illa desiderari, & cum dolore perquiri; in quibus tamen omnibus semper erat diuinæ voluntati conformis .

205 Ludouicus à Ponte in Meditat. 2. parte Medit. 13. puncto 3. putat non quæsisse tunc Sanctissimam Virginem facti causam ; sed tantum voluisse aperire sui cordis dolorem , quia putat, quod fuisset superflua curiositas . Nihilominus Nouatus ait : potuisse Sanctissimam Virginem ex aliquo honesto motiuo causam à Sanctissimo Domino consueta submissione quærere .

206 Vndè reprobandi hæretici Brentius, & Spangerbergius relati à Stapletonio impiè blasphemantes Beatissimam Virginem conquestam eo quod non seruarit obedientiam parentibus debitam , nec Magdeburgenses , & Alij affirmantes non sine cōturbatione pro iure suo filiū compellasse, & alij impia verba proferentes ; quos refert Canisius libro 4. de Virg. cap. 14. Imò etiam Caluinus in sua Harmonia Ecclesi. confutat prædictam calumniam dicendo prędicta verba dolorosam inquisitionem, quæ decebat matrem non acerbam , aut arrogantem expostulationem continere .

207 Collige primo Beatissimam Virginem de nullo conquestam nisi de filij absentia , non de tortoribus , nec alio accidente ; sic enim vt amato præsente omnia licèt amarulenta dulcescunt , eo absente etiam dulcia amara redduntur .

Secundo , quàm dolendum ijs, qui sua culpa Christum Dominum amiserunt , quando sic dolet , quæ sine culpa amiserat .

Tertio nos allici ad gustandum quàm suauis Dominus, vnde Elradus tract. in Eu. præs. in Biblioth. Patrum tom. 13. ait . *O Domina mea quid dolebas ? Credo non famem, non sitim , non*

 inediam

inediam timebas puero, quem Deum noueras, sed tantùm subtractas tibi vel ad modicum ineffabiles præsentia eius delicias querebaris. Tam enim dulcis est Iesus gustantibus eum, tam speciosus videntibus, tam suauis amplectentibus, vt breuis eius absentia maximi doloris materia sit.

208 Dico quarto Beatissimam Virginem prius nominando Sanctum Iosephum, quàm se ipsam eminentissimum charitatis, & humilitatis actum exercuisse.

Humilitatis, quia honor defertur communi Iurisperitorum calculo ei, qui primo nominatur. Charitatis, quia afflicta primo compatitur dolori S. Ioseph, quàm proprio; vndè verè Consolatrix Afflictorum iure dicitur. Et licet S. Ioseph non esset verus Pater naturalis, nihilominus, etiam in hoc profundissimum Sanctissima Virgo actum humilitatis exercuit, dum tacet nomen Matris, quod est infinitæ dignitatis, & affert nomen Patris, quod audientibus nisi speciali diuino lumine illustratis de vera Paternitate arguebant. Qui actus humilitatis secundum affectum an aliquid infinitatis habuerit ex dictis de Purificatione §. 5. collige.

209 Dico quinto ex illis verbis Christi Domini: *Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis quod in ijs, &c.* Indicatur eminens patientia, & resignatio B. V. quam volens Redemptor mundo in exemplum proponere, vsus est illa loquendi forma; ita Ludouicus de Ponte in Cant. lib. 3. exhort. 7. §. 3. & 2. parte meditationum medit. 30. puncto 4. Vndè in prædictis verbis, & defenditur, & honoratur à Christo Domino; nam iis verbis declarat se non habere alium Patrem, quàm æternum, & signanter vsus est nomine Patris quia se mater humiliauerat.

210 Collige primo, eos qui in Deiparam piè afficiuntur eius exemplo submissè audire debere superiorum increpationes, nec afferendæ excusationes.

Secundo, nunquam omittendas humilitatis occasiones, etiam si fama periclitetur aliquantulum cum sit certum Deum subleuare humiliantes se, iisdem etiam instrumentis, quibus vsi sumus.

211 Dico sexto idcircò dicitur in Euangelio: *Et ipsi non intellexerunt Verbum, quod locutus est ad eos.* Quia Deo permittente non penetrarunt illicò verba prolata à Christo Domino, sed posteà meditando, & conferendo perceperunt, quid Christus Dominus voluerit per illa significare.

Primo, quia Sanctissimæ Trinitatis mysterium optimè nouerant vndè de circumstantiis loci, & temporis tantum potest esse sermo; nam de reliquo B. Virgo nouis semper illustrationibus irradiabatur, & scientiis infusis, & prophetiç spiritu ornata erat, per quæ aliquid clariùs semper intelligebat, & in Sacrarum Scripturarum lectione, & meditatione proficiebat. Vnde Suarez tomo 2. disp. 19. sect. 2.

212 Secundo Rupertus lib. 2. expositionis in Lucam putat Beatissimam Virginem intellexisse quidem; sed instar aliorum, qui non intellexerunt se gessit.

Tertio Dionysius Richelius libro primo de præc. & dignitate Virg. cap. 13. putat B. Virginem sciuisse Filium secundùm assumptam naturam semper intentum cultui Patris æterni esse oportere, sed nondum cognouisse circumstantias loci, ac temporis.

213 Quarto Suarez loco cit. sect. 6. ait, non intellexisse quænam essent illæ res, quæ ad æternum Patrem ita spectabant, vt ob eas relinquendi essent

ſent parentes. Vel non intellexiſſe, quod aduenerat tempus ſe manifeſtandi, vndè non fuit ignorantia priuatiua; ſed carentia ſcientiæ, quæ pro illo tempore ad eam non ſpectabat.

Quinto Elredus tract. ſupra hoc Euangelium putat dicta per Synechdochem, ideſt, intelligenda tantum de vno parente ſicut cum dicitur, quod Latrones blaſphemabant, ex grauiſſimis Auctoribus, de vno tantum eſt dicendum.

Sexto alij opinantur dicta de auditoribus.

214 Nihilominus omninò contrà Hæreticos conſpirandum ex quibus Lutherus in Epiſtola Dominicæ primæ poſt Epiphaniam Spangerbergius, & Lorius in cap. 2. S. Lucæ aiunt Sanctiſſimam Virginem, & S. Ioſeph ignoraſſe ſalutarem Chriſti Domini miſſionem; ſed tantum temporale regnum cogitaſſe, quæ Blaſphemiæ nihil ſtultius. Alij impiè ſentiunt alia vt Culmerus quem increpat Caniſius lib. 4. cap. 19.

DISPVTATIO VIII.

§. VIII.

De ijs, quæ acciderunt B. V. à Nuptijs Canæ Galileæ vſque ad Paſsionem Domini.

215 Dico primo B.V. ob multas cauſas cum Sanctiſſimo Filio ad nuptias Canæ Galileæ acceſſiſſe.

Prima, quia electa, vt interimeret hęreſes, & ſciebat futuros Hæreticos, qui vt ait S. Auguſtinus tract. 9. in Ioannem eas damnarent. Qua de re, videndi ſunt S. Epiphanius hæreſi 7. D. Cyrillus lib. 2. in Ioan. cap. 22.

Secunda; vrbanitatis gratia erga inuitantes.

Tertia, vt temperantiam, quæ in conuiuijs periclitari ſolet ſuo exemplo ſtabiliret.

Quarta, quia Matrimonium carnale adumbrat ſpirituale verbi diuini cum humana natura, & Chriſti cum Eccleſia.

216 Dico ſecundo circa illa verba ſecundùm illa S. Ioannis cap. 2. *Vinum non habent*, S. Ioannis Chryſoſtomi homil. 20. in Ioannem circa medium tomo 3. quæ ſunt (*Volebat ſe ipſam clariorem facere per filium*) D. Thomam 3. parte quæſt. 27. art. 4. ad 3. tenere *quod exceſſit*.

Tamen quidquid ſit de mente D. Chryſoſtomi certum eſt ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. canone 23. Beatiſſimam Virginem nulla vnquam vel leuiſſima venialis culpæ labe fuiſſe coinquinatam.

217 Dico tertio in his Beatiſſimæ Virginis verbis: *Vinum non habent* eluxiſſe maternas virtutes.

Prima vt habet D. Bonauentura eminens B. V. charitas; qua compaſſa eſt verecundiæ illorum antequam fuiſſet inuocata; de qua charitate Concilium Baſilienſe ſeſſione 42. de viſit. B. Virginis loquens, ait: *In cuius*

V 2 com-

commendationem qui tribulati sunt Mariam implorant, quæ gaudiorum huiusmodi memor, vt sperandum est, non solùm supplicantes exaudiet; sed sicut ex sua clementia consueuit, etiam supplicare volentium preces præueniet.

Secunda eximia fides eius.

Tertia humilem resignationem.

218 Quarta conspicuam Prudentiam, & modestiam. Prudentia pro euitando sponsorum ignominia; Modestia non compellando, vt Filium. Vndè D. Bernardus de gradibus humilitatis grad. 12. ait: *Disce in matre Domini magnam, & in mirabilibus fidem habere; in magna fide verecundiam retinere. Disce verecundia decorare fidem, reprimere præsumptionem.* Vinum, *inquit*, non habent, *quàm breuiter, quàm reuerenter suggerit.*

219 Quinta vt habet S. Cæsarius Arelatensis homil. 7. in cap. 2. Ioan. *Quando Dominus nuptiali tempore aquam in vinum conuertit manifestè præfigurat multitudinem gentium de Sanguinis sui gratia esse venturam.* Quod habet etiam S. Methodius in Hypop. Domini, & S. Petrus Chrysologus sermone 43. Quod, & innuit Textus Euangelicus in hoc loco dum ait, *& crediderunt in eum discipuli eius.* Vndè si quod est causa causæ est causa causati, sequitur, quod Beatissima Virgo, &c. Adde quod ipsa conuersio aquæ in vinum est typus Conuersionis peccatorum in iustos per Beatissimæ Virginis Mariæ intercessionem factæ.

220 Obijcies quomodo vocantur discipuli si prius non credebant? Similem habet difficultatem S. Augustinus libro 2. de cons. Euang. capit. 17. & soluit sic, idest *quia futuri erant.* Adde, paratum ad credendum, discipulum posse appellari.

221 Dico quarto per illa verba: *Quid mihi, & tibi mulier; nondum venit hora mea* indicari:

Primo quod fuerunt prolata à Christo Domino mira suauitate, ita Ribeira, & fauent Patres, imò indicat Textus dicendo, *Quodcumque dixerit vobis facite.*

222 Secundo hìc innui eminentem misericordiam, & efficacem B. Virginis intercessionem. Fauent S. Epiphanius heresi 51. & 79. Euthymius in cap. 2. Ioannis, & Cardinalis Toletus annot. 6. in dictum locum; & quod ob Virginis preces citiùs operatus sit, quam fuisset operaturus habent S. Cyrillus lib. 2. cap. 23. S. Ambrosius sermone 16. in Psal. 118. S. Ioannes Chrysostomus homil. 21. in Ioan. & S. Iustinus Martyr lib. quæstionum quæst. 136. ait: *Sensus est nostra cura non est, nec ad me, vel ad te pertinet si vinum deficiat: si tamen ex singulari charitate tua vis ne deficiat vinum, dic ministris; vt quæ dixero faciant. Non igitur matrem increpuit, quam operibus coboneslauit.*

Tertio indicari per illa verba *Hora mea* tempus Passionis Sanctissimæ, quo aliud vinum saluberrimum nobis parandum erat.

223 Aliqui opinantur per ly mihi, & tibi indicari commune non habere cum Maria, ratione cuius facturus erat miraculum, quod erat eius Sanctissima diuinitas, & præterea in spiritualibus parentum curam gerendam non esse; ita Richelius libro 3. de laudibus Virginis cap. 19. in illo de parentibus conuenit D. Bernardus serm. 2. post octauam Epiphaniæ, & S. Augustinus libro de fide, & Symbolo cap. 4.

224 Alij opinantur ideò prolata, ne videretur festinare ad patrationem miraculorum propter inanem gloriam. Theophylactus in caput 2. Ioan. cui fauet D. Thomas 3. parte quæst.

quæst. 27. artic. 4. ad 2.

Alij quia intempestiua petebat, vt Irænæus lib. 3. cap. 18. & Richelius in Ioan. cap. 12. Quod tamen non probatur à Cardinale Toleto, & Nouato cum solum proposuerit defectum.

Alij vt Ludouicus à Ponte lib. 3. in Cant. exhort. 7. §. 3. vt confidentiæ specimen præberet.

225 Dico quinto ex illis verbis Dominæ nostræ, *Quodcumque dixerit vobis facite*, colligitur diuinitùs innotuisse Beatissimæ Virgini intima Cordis Christi Domini arcana. Ita D. Maximus homil. prima in Epiphania. S. Gaudentius Brixiæ Episcopus tract. 2. de festo huius Euangelij; Eusebius Emissenus homil. de festo Epiph. Rupertus Abbas lib. 3. in Ioan. vbi ait: *Voluntatis eius conscia, & de potentia eius non dubitans opportuna commonitione ministros præparat*. Est enim intimè se amantium omnia cordis profunda sibi inuicem indicare; vt Iudicum cap. 16. de Sampsone, & Dalila habetur.

226 Secundo dicendum, approbatricem se declarasse eorum omnium, quæ à Christo Domino prædicanda erant. Ita Albertus Magnus c. 117. super Missus est vbi ait; B. V. M. breuissimè, & lucidissimè omnia prædicabilia vno verbo prædicauit, quando dixit in Nuptijs: Quodcumque dixerit vobis facite. Ratio est quia cooperatrix erat salutis hominum.

227 Dico sexto ex hoc miraculo in quo manifestata est Filij Dei gloria; *Nam crediderunt, &c.*

Colligi efficaciam intercessionis Beatissimæ V. dependenter à qua Christus Dominus gloriam suam mundo aperuit; & mortificandum esse nostrum iudicium, vt ministri illi, qui *impleuerunt hydrias aqua*.

Vltimò spem diuinæ gratiæ obtinendæ etiam durioribus peccatoribus dari, nam lapideę hydriæ duritiam cordis significant: aqua verò iniquitatem, iuxtà illud: *Bibunt sicut aquam iniquitatem* Iob. cap. 15. Per vinum verò Gratia Sancti Spiritus.

228 Dico septimo Beatissimam Virginem sectatricem fuisse Christi Domini ad diuersa loca peregrinationis gratia proficiscentis.

Fauent Simeon Metaphrastes oratione de Deipara S. Augustinus sermone 18. de Tempore. Guerricus S. Bernardi discipulus serm. 4. de Assumpt. Virginis, & Gerson tract. 11. super *Magnificat* parte prima, & colligitur apertè ex Ioan. cap. 15. ex Luca cap. 10. ex Matth. cap. 12. ex Marco capit. 3.

229 Probatur etiam ratione; primo vt habet S. Petrus Damianus serm. primo Annunciat. *Erat cooperatrix nostra salutis*.

Secundo quia ex S. Birgitta de Virgin. excell. orat. prima. *Erat Magistra, & illuminatrix Apostolorum*; quod, & Idiota lib. de contemplat. B. Mariæ, & S. Antoninus 4. parte summæ.

Tertio quia sollicita in excipiendis, quæ de ipso dicebantur, etiam à Pastoribus.

Quarto quia Christus Dominus suis verbis sanctitatem augebat.

Quinto quia hoc erat perfectæ fidelitatis signum. An verò semper astiterit, & nunquam defuerit relinquo piæ meditationi.

230 Dico octauo Christum Dominum illis verbis: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, soror, & mater est*, Matthæi cap. 12. docuisse.

Primo spiritualia munera cuius parentum esse anteponenda, ita S. Ambro-

brosius in cap. 8. S. Lucæ S. Augustinus, Tertulianus libro de carne Christi, & Abulensis ibid. quæst. 11.

Secundo tales instruit cognationi carnali præferendam esse spiritualem. Ita S. Hieronymus in dictum locum S. Matthæi S. Augustinus epist. 38. ad Lætum. S. Ambrosius loco citato, & S. Hilarius in Matth.

231 Tertio ostendit à se honorari B. Virginem, non tantum eo quod mater carnalis esset; sed etiam quia spiritualis; vndè S. Augustinus loco citato: *Extendens Dominus manum in discipulos dixit non pertinere ad cognationem suam, nisi qui faceret voluntatem Patris eius, in quo numero profectò etiam ipsam Mariam benignus includit.* Et tract. 10. in Ioann. ait: *Sic matrem meam quam appellatis filium, inde felix quia Verbum Dei custodiuit, non quod in illa Verbum caro factum est, & habitauit in nobis; sed quia custodiuit ipsum Verbum per quod factum est, & quod in illa caro factum est.* Quod, & ipsa professa est quando ait *Ecce Ancilla Domini*, idest, se esse matrem spiritualem exequendo diuinam voluntatem: de qua maternitate in SS. Virgine optimè disserit Guerricus Abb. sermone 4. de Assumpt. sic *Mariam qua secundùm carnem Mater. erat alia quoque ratione matrem sibi Iesus probat, quando quidem, & ipsa voluntatem Patris in tantum faciebat, vt de ipsa prædicaret Pater* Isaiæ capit. 62. *vocaberis voluntas mea.*

232 Dico nono quod posito id quod habet Nicephorus lib. 1. cap. 28. & 38. nempe Beatissimam V. fuisse Hierosolymis tempore Dominicæ cœnę; Nam ex Euangelio habetur, quod stetit *iuxtà Crucem* sequenti die, & ex Metaphraste orat. de vita, & dormitione S. Mariæ sub 15. Augusti fuisset in eadem domo; tamen communis sententia etiam ipsius Metaphrastis loco citato, est non interfuisse Cœnæ Dominicæ, vndè solus est Rupertus in libro 5. Canticæ asserens eam omnibus cœnæ mysterijs fuisse præsentem. Verba Metaphrastis sunt: *Matrem autem iussit curam gerere mulierum, quæ ministrabant; tanquam per eam ipsas benignè accipiens, & adimplens officium humanitatis, & simul cum eis vescens, & sic pro ministerio eis referens gratiam.* Ratio cur non interfuerit esset potest vt tolleretur omnis erroris occasio arbitrandi scilicet, quam sacerdotali caractere fuisse insignitam, sicque posse fœminis conferre sacerdotium, & aliæ Ecclesiasticæ dignitates.

233 His tamen non obstantibus Barradius tomo 4. lib. primo cap. 17. putat verisimile in eadem domo Deiparam comedisse agnum cum fœminis; & Augustissimam Eucharistiam per Petrum missam suscepisse. Quod tamen inter pias meditationes adscribitur, quia nullo alio fundamento fulcitur. Nisi fortè esset illud Gersonis tract. 9. in *Magnificat* partita prima. *Maria quocumq; loco fuerit corporaliter in vespere Cœna Domini comedit ante, & post institutionem huius Sacramenti verum corpus, & bibit spiritualiter verum sanguinem filij sui* (& paulo post) *Maria vespere dicta cœna dicenda fuit frui corpore, & sanguinem filij sui.* Quod tamen de manducatione spirituali omninò tenendum esse puto; vt arbitratur Nouatus cap. 17. quæst. 9.

234 Collige hìc primo, nobis quando deest copia Sacramentalis huius epulæ saltem spiritualiter exemplo SS. Virginis esse manducandam.

Secundo, potius debere nosmetipsos aliquando priuari proprijs etiam spiritualibus consolationibus, vt bono communi prospiciamus.

235 Obij-

235 Obijcies si non fuit Maria Sacerdotali insignita charactere, quomodò S. Epiphanius sermone primo de laudibus S. Deiparæ ait: *Mariam dixerim Cruciformem Sacerdotem pariter, & Altare.*

Respond. Gerso tract. 9. in *Magnificat* vbi supra *Maria eodem vespere quinta feria maioris hebdomada, etsi non fuit insignita charactere Sacerdotalis officij, nihilominus, & tunc, & anteà, & postmodum facit in Regale Sacerdotium pra sodalibus suis inuncta non quidem ad consecrandum; sed ad offerendum hanc hostiam puram, plenam, & perfectam in altari cordis sui, in quo semper ignis ardebat holocausti: fuit enim Rubus ardens incombustus.*

236 Dico decimo SS. Eucharistiæ Sacramentum magis pro sola Virgine Sanctissima, quàm pro reliquis fidelibus simul sumptis fuisse institutum.

Probatur, quia Christus magis amabat Sanctissimam Virginem, quàm cæteros omnes fideles simul sumptos, vt iam libro primo §. de visitatione B. V. num. 366. & 367. vidimus.

Probatur secundo, quia magis pro ipsa redimenda carnem assumpsit; ideò electa, vt donis, & Charismatibus omnes Sanctos simul sumptos antecelleret, quod in hoc Sacramento mirificè perfici docet S. Thomas opusc. 57.

Probatur tertio quia institutum pro vniuocatione animarum cum Deo vt Ioan. cap. 6. sed in Beatissima Virgine est ratio magis exigitiua huius vnionis, quàm in cæteris fidelibus. Ergo.

Quarto, quia quo magis aliquid appropinquat primo principio, magis debet participare de illo; sed B. V. magis appropinquat per maternitatem Deo: ergo magis.

237 Quinto, quia Christus Dominus magis debebat Sanctissimæ Virgini, quàm omnibus alijs creaturis: vndè Methodius in Hypop. ait; *Euge qua debitorem illum habes, qui omnibus mutuatur; Deo enim vniuersi debemus, tibi vero etiam ille debet: Tu enim admirabilem Incarnationem; quam aliquando non habuit Deo mutuam dedisti.* Si ergo ex Alexandro in oratione scit. proprium est Dei tribuere beneficia magis proprium erit retribuere; Cum ergo ipsa lac, & sanguinem ex quo Dominicum Corpusculum formatum dedit; & ne vinci videretur à Sanctissima Virgine reddere debebat omnem hanc substantiam in melius commutatam, & innumeris vicibus. Adducit hìc Nouatus dictum illud Socratis ad Eschinem, qui se totum eidem Socrati dederat, quod commendat Senecam libro de beneficijs nempè; *Cura igitur mihi erit, vt te tibi meliorem reddam, quam accepi.*

238 Probatur sexto ex Salazaro in caput 9. Prouerb. versic. 4. vbi loquitur de hoc Sanctissimo Sacramento ait: *Sed tamen ante omnes alios, & pra omnibus propter Mariam institutum fuit.* Addit Salazarus id factum est, vt moras suæ beatitudinis facilius ferre potuisset.

239 Pro cuius explicatione sciendum Arborem Libani feruidissimis solis radijs percussam interdum propè interitum pallescere, cui succurrunt apponendo radicibus aliqua frumenti grana, superuenientibus posteà noctis roris guttulis reuiuiscit. Sic Beatissima Virgo, quæ in Eccl. cap. 24. dicitur, *Quasi cedrus exaltata sum in Libano*, languebat præ feruidissima solis æterni incendia, cælitus irrigata sumendo sacrum Eucharistiæ frumentum reuiuiscebat.

240 Obij-

240 Obijcies Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ex Concilio Tridentino sessione 13. cap. 2. institutum est pro liberandis animabus à culpis quotidianis, & pro præseruandis à mortalibus; quod, & habetur in Cathechismo B.Pij V. & tradit Innocentius III. libro 4. de mysteriis Missæ cap. 44. & D. Bernardus sermone in Cœna. Ergo, &c.

Respond. non impediri ex hoc quo minus Sanctissimum Eucharistiæ sacramentum conferret Virgini SS. gratiam, per quam magis ac magis sanctificaretur, quæ gratia vim habebat delendi venialia si adfuissent, & præseruandi à mortalibus si fuisset necessarium: sicut in Sacramento Pœnitentiæ, quando quis confitetur peccata, de quibus iam habuit contritionem, tamen recipit gratiam, quæ de se est sufficiens ad ea delenda si adessent.

241 Adde quod Beatissima Virgo erat capax cæterorum effectuum Sacramenti, vt maioris eleuationis in Deum, vnionis, illustrationis, sanctificationis, fortitudinis, gaudii, & exultationis; deindè vberiora auxilia recipiebat, per quæ magis, ac magis interius inimica fiebat peccato; & sic nouos semper in gratia impeccabilitatis gradus acquirebat.

242 Collige hìc primo, quam rectè à Ruperto Abbate comment. in Ioan. libro de victoria Verbi Dei dicitur *Eucharistia Sacramentum Diuini honoris restauratio*. Primo, quia retribuit Sanctissimæ Virgini locupletius, quod ab ipsa (vt ait Methodius) habuit. Secundò, quia prima Serpentis nota, quod scilicet denegasset hominibus cibum quod commutaret in Deos, vindicauit honorem suum, dum secundæ, & meliori Euæ hanc SS. escam dedit; de qua Eusebius in epistola ad Damasum de morte Hieronymi ait: *O esca Sacratissima, quam verè comedens Deus efficitur!*

243 Collige secundo per hoc Sacramentum firmatum modo altissimo fœdus altissimum amoris inter Christum, & Sanctissimam Virginem; nam Cornelius Tacitus libro 12. ait: *Mos est Regibus quoties in societatem coeunt implicare dextras pollicesque inter se vincire nodoque perstringere donec sanguis in artus extremos se infuderit, leui ictu cruorem eliciunt, atque inuicem lambunt, id fœdus arcanum habetur, quasi mutuo cruore firmatum.* Vndè ad præsens institutum ait S. Augustinus in Psal. 98. *De Carne Mariæ carnem accepit, & quam carnem Mariæ nobis manducandam ad salutem dedit.*

244 Collige tertio cum D. Bernardino Senensi tomo primo sermone 61. substantiam, qua Christus Dominus à Sanctissima Virgine habuit eleuatam fuisse ad quamdam infinitam eminentiam; quod colligit Sanctus Doctor ex eo quod omnis institutio Sacramentorum ad Eucharistiam ordinatur; ponitur enim in hoc Sanctissimo Sacramento solum ex vi verborum sub speciebus panis corpus, & sub speciebus vini sanguis, quæ sunt ea quæ ex Virgine Sanctissima habuit Christus Dominus. Et hoc ait Nouatus hoc loco vt sic Deiparam dignificaret: & hæc sunt, quæ per se causant illam gratiam Sacramentalem, quæ est concessa comedentibus hoc Sacramentum, idest carnem, & sanguinem, vndè præsentia animæ quasi per accidens se habet ad causandam hanc gratiam.

245 Dico vndecimo probabile esse Sacramentum Eucharistiæ ex hoc speciali capite quod ex ea carne institutum est, quam in Virgine

Ver-

Verbum assumpsit, aliquid in se continere excellentiæ.

Fauet S. Bernardinus tom. 1. sermone 6. nam de carne Virginis benedictæ, & in parte corporis eius excisa consistit perfectio, & terminatur totum decus, ac pondus Sacramentorum Ecclesiæ.

246 Secundo ex Suarez tomo 2. in 3. partem disput. 2. sect. 2. substantiam quam Christus Dominus desumpsit ex Sanctissima Virgine non fuisse resolutam. Sic etiam Vincentius Regius in diluc. Euangel. lib. 1. cap. 2. digress. vnica. S. Bernardus S. Augustinus, & Petrus Blessensis, qui ait: *Et tamen est eadem caro tunc de Virgine nata. Et caro nunc Verbo vita de pane Sacramentali propter non homines; nunc prius ille suo nos optat sanguine nasci.*

247 Prætereà ex D. Thoma in 4. dist. 44. quæst. 1. artic. 2. Argentina dicta disp. artic. 1. eamdem materiam primæ generationis, siue affluat, siue non, in Resurrectione reparandam; ergo in Christo resurgente. Fauet S. Augustinus sermone de Assumpt. & roboratur, quia substantia illa antequam assumeretur erat quid excellens, quam excellentiam non amisit ob assumptionem. Ergo.

248 Collige primo ex hac etiam debuisse esse ab originali labe immunem, quod, & S. Basilius de humana Christi generatione, ait: *In sanctitate namque caro conglutinata digna quidem Vnigeniti diuinitati coniungi.*

Secundo, non parum prodesse ad dignam receptionem huius Sacramenti ad Sanctissimam Virginem confugere.

DISPVTATIO IX.

§. IX.

De ijs quæ B. V. M. gessit, & pertulit in Passione Filij sui Dilectissimi Domini Nostri Iesu Christi.

249 Dico primo contra impijssimum Bullingerium in explicatione cap. 19. S. Ioannis indubitatè credendum esse Beatissimam Virginem verè doluisse, & maximè in Passione filij sui.

Habetur ex Luca cap. 2. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*; quod Euthymius hoc loco Beda ibidem, Ambrosius Ansbertus de festo Purificationis. S. Hidelphonsus sermone de Virgine Assumpta. Damascenus de fide orthodoxa cap. 15. Guillelmus in caput tertium Canticæ, & Ecclesia in Cantico illo: *Stabat Mater dolorosa*. Vnanimiter interpretantur de doloribus quos pertulit Beatissima Virgo apud Crucem.

250 Probatur secundo ex illo S. Ioan. cap. 19. *Stabat iuxtà Crucem Iesu Maria Mater eius*; vbi cum indicet Matrem esse simul insinuat maternum affectum, qui cum naturalissimus

sit, nequit non condolere, quod, & notificauit lib. 3. Regum cap. 3. Salomon in illa Matre, &c. Vndè, & Ioannes Baptista Mantuanus, sic Beatissimam Virginem alloquitur.

Nate Dei qui fers humana piacula solus

Me affligi simul atque tuos sentire dolores

Cogit amor, natura iubet: mihi ferrea plantas

Spicula mortiferæ penetrant mea pectora, sensus,

Cordaque dilaniant....

251 Probatur tertio quia si sic doluit de absentia eius in triduo, cum dolens eum quærebat Lucæ 8. quid facere debuit cum tot pœnis afflictum vidit?

Quarto ex communi Ecclesiæ consensu approbante imagines B. V. M. ob Christi Domini passionem afflictissimas.

252 Obijcies Beatissima Virgo erat conformis summè diuinæ voluntati; ergo alacri animo perferebat Vnigeniti mortem; non erat enim minus, sed magis conformis ac illa mulier Machabæorum lib. 2. cap. 7. Ergo, &c.

Respond. Diuinam voluntatem fuisse vt ex hac passione acerbissimum sentiret dolorem. Quoad illam mulierem Respond. in parte quidem superiori alacritatem seruasse, at in inferiori naturæ subiectæ credibile est illam persensisse.

253 Dico secundo. Vtrumque appetitum B. V. idest sensitiuum, & rationalem doluisse in passione filij sui dilectissimi.

Indicat hoc S. Anselmus libro de excell. Virginis cap. 5. Sic V. Sanctissimam alloquens. *Passio tua sua immensitate transfixit cuncta penetralia tua, tuique benignissimi cordis intima*. Et S. Bernardus sermone de passione, & de Lament. B. V. ait *Nec lingua poterit loqui, nec mens cogitare valebit quanto dolore afficiebantur pia viscera Mariæ. Nunc soluis cum vsura quod in parte non habuisti à natura; dolorem pariendo Filium non sensisti quem millies replicatum filio moriente passa fuisti*. Et S. Bonauentura in stimul. cap. 4. de Planctu Virginis iuxtà Crucem. *O stupendum prodigium tota quippè es in vulneribus Iesu Christi, & totus Iesus Christus crucifixus est in intimis visceribus cordis tui.*

254 Probatur etiam ratione, quia non solùm in appetitu sensitiuo datur Amor, desiderium, gaudium, dolor, &c. sed etiam in appetitu rationali, cum tali tamen dispositione, vt dolor, vel voluptas, quæ percipitur ab vno, trahat etiam secum voluptatem, aut dolorem alterius; vndè internus dolor pœnantis refundit sensibilem afflictionem in corpus, quam D. Thomas 3. parte quæst. 85. artic. 1. pœnitentiæ passionem, & virtutis actum dicit: & in viris perfectis eorum lætitia redundat etiam in carne iuxta illud Psalmi 83. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum*. Ergo dum vehementius erat dolor appetitus rationalis Sanctissimæ Virginis, simul etiam dolebat appetitus sensitiuus.

255 Obijcies Guillelmus super caput 3. Canticæ. S. Hidelphonsus sermone 2. de Assumptione; Guerricus Abbas sermone 4 de Assumpt. aiunt fuisse martyrium spirituale, & D. Hieronymus, vel, vt alij volunt Sophronius sermone de Assumpt. ait, Quia spiritualiter, & atrocius passa est gladio passionis plusquam martyr fuit.

Respond. illos non exclusisse dolorem ab appetitu sensitiuo, sed tantùm testari fuisse principaliter in

parte

parte superiori, idest in appetitu rationali.

256 Dico tertio dolores Beatissimæ Virginis fuisse actus elicitos simul à rationali, & sensitiuo appetitu.

Probatur ex communi sententia Ferrariensis contra G. cap. 90. Caietani 1. p. quæst. 64. art. 3. & D. Thomæ prima 2. quæst. 22. art. 3. ad 3. & contra Gentes cap. 90. & aliorum qui tenent delectationem, & tristitiam esse operationes appetitus siuè rationalis, siuè sensitiui, &

Probatur ex S. Augustino lib. 14. de Ciuitate Dei cap. 6. vbi inter operationes voluntatis, quas ait esse volitiones numerat tristitiam. Et Aristotele 3. de anima textu 29, ait delectari esse operari ad bonum; imò numerat inter actiones delectationem. Secundò, sequitur ex opinione contraria in delectatione, & tristitia nunquam esse meritum, aut demeritum, cui auersatur Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 4. & can. 5. vbi habet dolorem Paccatorum esse actum liberum, & meritorium.

257 Probatur tertio, quia interdum oritur delectatio ex tristitia, ex obiecto non reali; sed ficto, & apparenti; interdum quidem ex reali; sed quod apprehenditur disconueniens cum tale non sit, & ex neutro casu potest esse causa delectationis, vel tristitię ex obiecto. Ergo debet esse potentia non in primo vt patet, nec in secundo, quia vere non causaret delectationem vel tristitiā secundum quamcumque rationem; sed tantùm secundum rationem disconuenientiæ sed hæc verè non est in obiecto ergo in potentia.

258 Obijcies cum Scoto, cuius est opinio contraria, in 3. distinct. 15. quæst. vnica; & in 4. dist. 49. quæst. 7. nec gaudium, nec dolor est in potestate voluntatis, ergo sunt puræ passiones.

Probatur antecedens, quia omnis actus voluntatis, est volitio, vel nolitio; sed gaudium non est huiusmodi alias esset amor. Ergo.

Probatur secundo; quia potentia vitalis ad consecutionem obiecti proprij iucundatur, seu delectatur, nam vt ait S. Augustinus fruimur rebus cognitis, in quibus voluntas delectata conquiescit; sed in hoc tantùm pàssiuè se habet recipiendo dictam qualitatem. Ergo, &c.

259 Nominales ponunt differentiam inter appetitum sensitiuum, & rationalem quatenus appetitum quidem sensitiuum volunt mere se passiuè habere, at rationalem effectiuè concurrere mediante tamen actu amoris vel odij; Sed contra est quod in delectatione, & tristitia non esset meritum, aut demeritum secundum se, eodem enim modo se haberent, ac habitus qui non habent rationem meriti ratione sui; sed ratione actuum.

260 Ad fundamenta apposita Respond. ad primum non omnem actum à voluntate elicitum esse liberum; sed aliquando necessarium, vt patet in actu amoris, quo Beati diligunt Deum; vnde, & actus gaudij, vel tristitiæ poterit aliquando esse necessarius, nam de appetitu sensitiuo certum est non parere ad nutum voluntatis, & in voluntate, vel est motus primus, vel deliberatus, si motus primus certum est quod non est in nostra potestate; si deliberatus tunc est aliquando in nostra potestate, saltem quando potest remoueri causa vt in via.

261 Quæres an posito amore, vel odio sit in nostra potestate dele-

ctari, vel tristari?

Respond. experientia constare viros constantes, & virtute præditos, cohibere nimiam tristitiam in aduersis, & lætitiam in prosperis.

262 Ad confirmationem Resp. omnem actum voluntatis esse prosecutionem boni, vel fugam mali. Vnde S. Augustinus lib. 14. de Ciuitate Dei cap. 6. Lætitiam vocat consensionem, tristitiam, dissensionem.

Ad secundum fundamentum, neganda est minor quod potentia passiuè tantùm se habeat, nam, & actiuè, & passiuè se habet, quia delectari, & tristari sunt exercitia potentiæ vitalis.

263 Dico quarto mihi probabilissimum videri Beatissimam Virginem in filij sui dilectissimi passione lacrymas fudisse.

Probatur ex Reuelat. S. Birgittæ lib. primo cap. 6. vbi ipsa Deipara sic ait: *Ex oculis meis erumpebant lacrymæ sicut sanguis è venis*. Idem confirm. cap. 10. lib. 6. cap. 5. & sermone Angelico capit. 16. idem affirmatur à S. Augustino sermone de passione sic: *Ecce Mater tua curam illius habe, eam tibi commendo. Suscipe matrem tuam, imò magis suscipe matrem meam; dum hæc pauca diceret illi duo dilecti lacrymas fundere non cessabant, tacebant ambo illi martyres, & præ nimio dolore, ambo loqui non poterant*. (Et paulo post) *Amarè flebant, quia amarè dolebant*. Sic, & S. Anselmus de compassione Virginis; *O Domina quas fontes lacrymarum dicam erupisse de sanctissimis oculis tuis*. S. Bernardus sermone 4. in Cœna Domini de B. V. ait: *Quàm amarè flebat, quàm amarè dolebat*; & serm. de planctu V. Guillelmus super cap. 2. Canticorum. D. Bonauentura in stimulo amoris de planctu Virginis; *Insinua nobis ò plena lacrymis*. D. Bernardinus de Lament. Virginis. Salmeron lib. decimo cap. 2. & Ecclesia in planctu B. V.

Stabat Mater dolorosa
Iuxtà Crucem lacrymosa
Dum pendebat Filius.

264 Probatur etiam, quia aptæ erant ad veram maternitatem contestandam; quod habet Euthymius in caput 2. Lucæ ad illa verba: *Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes*. ait: *Tunc autem intuentes eam amarè dolentem, ac plurimum lugentem, naturaque cedere credebant, quod Mater eius erat*. Quod si filius illam veram matrem ostendit (vt ait S. Hidelphonsus de Natiuit. *Vt te veram matrem ostenderet, se verum hominem patiendo tormenta monstrauit*.) Ita, & illum verum filium suum amarè lugendo declarabat.

265 Adde quod ait S. Gregorius Nyssenus *Vulnerum animæ tanquam sanguis lacrymæ sunt*. Et Daniel Molsonius in libro stigmatum Iesu Christi cap. 5. num. 16. refert in Bibliotheca S. Mariæ Gratiarum in quodam manuscripto continente fragmenta historiæ Theophyli habetur *Sanguineas lacrymas ex oculis Deiparæ erupisse*. Et idem Auctor cap. 8. nu. 18. adducit verba SS. V. Deiparæ ad S. Birgittam *Ex oculis meis erumpebant lacrymæ sicut sanguis è venis*, & addit testimonium B. Germani asserentis; *post vberem lacrymarum imbrem, tandem sanguineas lacrymas emisisse*. Ioannes Baptista Lignius libro de reliquijs, & veneratione Sanctorum in quibusdam Ecclesijs reperiri lacrymas B. V. M.

266 Obijcies; est testimonium S. Ambrosii de obitu Valentiniani. *Stantem lego, flentem non lego*.

Secundo; vehemens dolor lacrymis subleuatur; Ergo;

Respond.

Respond. ad primum non conuenire, quia nec ibi habetur se dolore, & tamen certissimum est quod dolebat.

Respondet ad secundum Nouatus posse credi diuinitùs factum, vt talis dolor non minueretur.

267 Has verò lacrymas non solum pro passione Christi Domini; sed etiam pro peccatis humani generis Beatissima Virgo obtulit, vndè D. Bernardus lib. Medit. ait: *Virgo plus doluit super nostris culpis, & peccatis, quàm super filij sui corporalibus pœnis.* Obiectum enim doloris est malum, & malum culpæ est magis dolendum, quàm malum pœnæ. Credo etiam doluisse ob Iudaicæ gentis obduratam malitiam, vt habet Canisius lib. 4. de Deipara cap. 27.

268 Et has lacrymas Deo obtulisse crediderim cum Nouato p. p. cap. 10. quæst. 4. vt facilius nobis peccata donarentur, nam de illis dicere possumus potiori iure, quod de lacrymis suæ matris Olimpiæ dixisse Alexandrum, vt refert Plutarchus: *Numquid ignorat Antipater quod vna matris meæ lacryma multas delebit epistolas?*

269 Dico quinto adeo vehementem fuisse dolorem quo Beatissima Virgo ob filij passionem excruciata fuit, vt ne diuinitùs detenta in vita obitura fuisset.

Certum est enim aliquos ob dolorem interijsse; nam Rutilius videns dignitatem consolarem fratri suo concessam, & sibi denegatam dolore actus interijt. Sic Marcus Lepidus ob separationem ab vxore. Iulia coniux Pompei videns vestem eius sanguine conspersam. Diodorus item dialecticus eo quod quæstionem à Stilicone propositam soluere nequiuerit, & Homerus etiam non valens attingere solutionem ænigmatis propositi à piscatoribus.

270 Probatur secundo ex Reuelationibus S. Birgittæ vbi in cap. 18. serm. Angelico habetur. *Vnde quia mirabile cernitur, quod illa vxor Phinees doloribus mortua fuit, quæ minoribus doloribus vrgebatur, & Maria reuixit, quæ grauioribus mæstitijs fuit lacessita! Quis enim ex hoc aliud cogitare poterit nisi quod de speciali omnipotentis Dei dono contra omnes corporales vires suas ipsam vitam retinuit.* Ita etiam expressè habet S. Anselmus libro de excell. Virginis cap. 5. Vndè, & S. Bernardinus Senensis tomo primo serm. 61. artic. 3. cap. 2. ait: *Tantus fuit dolor Virginis, quod si in omnes creaturas, quæ dolorem pati possunt diuideretur omnes subitò interirent.* Item Amædeus homil. 5. de V. Matre. *Vicit sexum, vicit hominem, & passa est vltra humanitatem; torquebatur namque magis, quàm si torqueretur ex se quantum incomparabiliter diligebat id vndè dolebat.*

271 Ratio est quia amor quo prosequebatur Christum Dominum erat intensior, quam omnes amores omnium creaturarum: ergo obiecta creata, quia plures gradus bonitatis in vita, & Persona Christi agnoscebat, quàm omnes creaturæ in obiectis creatis cognoscere, & amare possũt, quod si non infinito, summo saltẽ amore illam diuinam Bonitatem diligebat; nam vt ait Bernard. *Quantùm sine personali vnione creaturæ conditio patitur luci illi inaccessibili videtur immersa.* In apprehensione mali, vel priuatione boni oritur dolor.

272 Hic autem dolor etiam ante tempus passionis, sic illam excruciabat vt in Reuelat. S. Birgittæ serm. Angelico cap. 17. dixerit eidem Sanctæ Angelus *Ille namque doloris gladius cordi Virginis omni hora tanto se propiùs approximabat, quanto suus dilectus Filius pas-*

passionis tempori magis appropinquabat; Vndè sine dubio credendum est quod ille piissimus Dei filius innocentissimus suæ matri filialiter compatiens dolores eius frequentibus consolationibus temperabat, alioquin eius vita vsque ad Filij mortem illos sustinere minimè valuisset.

273 Dico sexto, Dolorem B. V. excessisse omnium martyrum tormenta.

Probatur ex illo Threni cap. 2. *Cui comparabo te? vel cui assimilabo te filia Ierusalem? cui exæquabo te, & consolabor te Virgo filia Sion? Magna est velut mare contritio tua*. Sicut enim mare omnium fluminum aquas colligit, & excedit, ita, & dolor Beatissimæ Virginis.

274 Probatur secundò ex S. Anselmo libro de excellentia Virg. cap. 5. vbi ait: *Quidquid crudelitatis est inflictum corporibus Martyrum leue fuit, aut potius nihil comparatione suæ passionis*. Et in sigillo B. V. quod habetur tomo 12. Bibliothecæ Patrum habetur; *Quasi plantatio Rosa in Ierico, Ierico dicitur Luna idest Ecclesia, in qua rosa significat Martyres, quos omnes Sancta Theotocos eminentia suæ passionis, ita trascendit, vt rosa alios flores rubedine præcellit; cum enim Dei filium ex se genitum, tàm innocenter torqueri vidit maiorem præ omnibus martyribus cruciatum in animo sustinuit; vnde, & plusquam martyr fuit, dum alij in corpore, ipsa verò in anima passa fuit*.

275 Probatur tertio, quia martyres affluebant delicijs in ipsis passionibus; vt videtur in S. Ignatio in epistola, quam scripsit ad Romanos, & Theodoretus teste D. Augustino libro 18. de Ciuitate Dei cap. 5. in equuleo ab Eusebio interrogatus, respondit se tanto affici iubilo, vt non sine molestia eripi ferens, addens sibi iuuenem pulcherrimum astare lauantem vulnera, & linteo tergentem. Idem Theodoretus libro 3. Ecclesiast. historiæ cap. 11. narrat adolescentem quemdam Antiochenum ob ludibrium quod de Idolis ostenderat iussu Iuliani crudelissimè flagris cæsum nullum doloris signum dedisse; & interrogatus quare? respondit sibi à principio astitisse iuuenem omnem dolorem plagarum auferentem. At Beatissima Virgo licet ob diuersas rationes gauderet tamen gaudium non imminuebat dolorem, vt nec in Sanctissimo filio visio Beatifica; idcircò in Thr. habetur; *Quis medebitur tui*? Et ibidem cap. 1. vers. 16. *Quia longè factus est à me consolator*.

276 Præterea Martyres torqueri videbant carnem aduersùs spiritum concupiscentem, quam idcircò odio habebant, & quam naturali tantùm amore amabant. Sed Beatissima Virgo dolebat quia Sanctissimam, & innocentissimam carnem filij sui laniari videbat, quam, & naturali, & morali, & supernaturali amore ex pluribus titulis prosequebatur.

277 Collige hic quàm meritò à S. Ephrem oratione ad Virginem appellatur Beatissima Virgo: *Martyrum decus*, Ab Ecclesia: *Regina Martyrum*; à S. Hidelphonso: *plusquam Martyr*; ita etiam à Sophronio apud Hieronymum tomo 4. epist. 10. *Quia spiritualiter, & atrocius passa est gladio passionis Christi plusquam Martyr fuit*. Sic, & à S. Bernardo sermone in *Signum Magnum*.

278 Dico septimo probabilissimum esse Beatissimam Virginem spasmũ nullo modo passam esse in passione Domini.

Pro cuius intelligentia sciendum est triplex genus spasmi assignari à Physicis. Primus est quando dolor

est intensissimus, ita vt partibus corporis internis constipatis, & frigore diffuso obrigescant, & contrahantur nerui, & ea fiat temperamenti dissolutio, vt organis internorum sensuum perturbatis, sensibusque etiam externis spiritibus destitutis, rationis, & sensuum vsus in homine suspendatur quo posteà recuperato aliquo tamen tempore perseuerat languor, hìc propriè spasmus dicitur.

279 Secundi generis est cum dolor non est ita intensus, sed omnia eueniunt, vt in primo excepta neruorum contractione, & contorsione.

Tertij generis est dolor quo frigentibus membris naturalique vigore destitutis vires sic debilitantur, vt corpus sustentari nequeat, tamen vsus rationis, aut sensuum non amittitur.

280 Probatur nunc de primo, & secundo genere ex illo Ioannis capit. 19. *Stabat autem iuxtà Crucem Iesu*, Vbi, & Medina 3. p. quæst. 27. art. 4. Caietanus tomo 2. opuscul. quæst. vltima: Suarez disp. 4. sect. 3. & disput. 41. sect. 2. aiunt esse efficacissima ad hanc veritatem comprobandam, si enim eo tempore stabat, quando erant maiores cruciatus; ergo, & alijs temporibus.

281 Probatur secundo; quia plurimum derogaret excellentiæ Sanctissimæ Virginis, quæ nec etiam in vtero materno caruit vsu rationis.

Tertio, quia eo tempore exercendæ erant ab ipsa virtutes fortitudinis, resignationis, submissionis, & aliæ quamplurimæ ad fidelium exemplum; vndè quocumque etiam breuissimo tempore vsu rationis caruisset, maxima ei meritorum seges ablata fuisset.

Quarto quia ex multorum sententia Charitas eius erga Deum nullam interruptionem vmquam habuit.

Circà tertium genus probatur ex ijsdem verbis Doctorum præcitat. quos sequuntur Iansenius in concordia Euangel. Toletus in cap. 19. Ioannis ad illa verba *Stabat*. Et Ribera ibidem.

282 *Stabat* nec valet cum Consaluo, & Salmerone dicere, quod à principio cecidit, & posteà *Stabat* tum quia sic corruentes non statim recipiunt vires, præcipuè si crescit dolor, & motiuum doloris vt in casu nostro. Et si quis statim reassumit vires id fit, quia primos motus non habent iu sua potestate, & sic statim deiciunt, & subito illis superatis resurgunt; sed in Beatissima Virgine non erant motus primo primi.

Secundo quia eius constantia fuit heroica, & perfectissima: ergo non est admittendum quod illam reddit imperfectam.

283 Tertio ex virtute diuina, quæ in cæteris Beatissimæ Virginis affectibus necessario est admittenda, qua corporei temperamenti alteratio, quæ ex vehementissimis affectibus solet oriri, reprimeretur; vel intra fines debitæ Symmetriæ, & proportionis detineretur; quam etiam videntur admittere Suarez tomo 2. disput. 40. sect. 2. Cyprianus sermon. 2. de Natiuit. Aretas in cap. 12. Apocal. & Ioannes Geometra hymno 2. nam alias ex amore eius vehementer Sanctissimo, qui facit statim auolare spiritus à corde ad cerebrum, quibus simulacrum amati repræsentatur, & sic resolutis manente sanguine crassiori, & frigescente ventriculo solent infirmitates generari.

284 Ex Gaudio verò quo solet dilatari cor, & sanguis diffundi, & spiritus ad cætera membra confluere, quod cum nimium mortem repentinam

nam adduci ex tristitia coarctari, & calore intus adducto membra frigescere, & languere, vel repente mortua concidisset; vndè ad diuinam sapientiam spectabat his occurrere tali virtute.

285 Obijcies ex D. Bonauentura in meditationibus vitæ Christi Domini cap. 77. habetur: *Semimortua præ angustia facta est, nec verbum dicere potuit.*

Secundo ex D. Anselmo Dialog. de passione Domini B. V. ait: *Nudauerunt filium meum, & ego exanimis facta fui.*

Tertio S. Bernard. de lamentatione V. *Iuxtà crucem Christi stabat emortua Mater.*

Quarto ex Reuelat. S. Birgittæ sermone Angelico cap. 18. *Tunc omnibus Virginis sensibus deficientibus ipsam in terram velut mortuam doloris magnitudo prostrauit:* Sic, & libro 1. cap. 10. lib. 2. cap. 21. lib. 4. cap. 70. & lib. 7. cap. 15. sic, & Commentator Reuelat. Consaluus Durandus lib. 4. in notis ca. 70. Caietanus in fine 2. tomi opusculorum refert festum spasmi B. Virginis cum octaua fuisse celebratum à Dominica Passionis vsquè ad Dominicam Palmarum.

286 Dictus Consaluus refert templum fuisse ædificatum iuxtà Caluariæ montem cuius adhuc extant vestigia sub nomine S. Mariæ de spasmo, vbi occurrisset Filio, & quasi exanimem corruisse aiunt.

Adde Imagines pictorum, quibus consonare videtur, quod spasmus est imago mortis, vndè sic magis conformis Filio reddebatur, quam conformitatem maximè exoptabat, vt habet Arnoldus Carnotensis de verbis Domini: *Sic optabat quidem ipsa ad sanguinem animi, & carnis suæ addere sanguinem.* Hanc opinionem de spasmo sequuntur Ioannes Lanspergius S. Elucidat. Passionis Christi. S. Laurentius Iustinianus de Triumphali agone cap. 21. Aranda tract. 1. cap. 14. Dionysius Carthusianus in caput 19. Ioannis. Ioan. Ludulphus 2. p. vitæ Christi capit. 644. & 70. Mallonius de stigmat. cap. 17. & alij.

287 Ad hæc argumenta Respondet Nouatus, & primo ad SS. Patres, esse intelligendos secundùm quemdam loquendi modum, quo vtimur ad exprimendum vehementem affectum, sicut etiam Virgilius Ecloga 8. ad exprimendum vehementem amorem, ex aspectu, &c. ait *Vt vidi, vt perij*. Quod indicat etiam D. Bernardus loco citato dum ait: *Quasi mortua viuens viuebat, moriens moriebatur viuens.*

288 Ad Reuelationes S. Birgittæ Respond. ita accipiendas esse, vt non puguent inter se, vnde cum libro 6. cap. 57. habetur. *Sed virtute Dei dolor meus modum, & honestatem habuit in impatientia, aut leuitas in me notaretur* (paulo post) *Sic patienter sufferens, vt nec inimici, nec alij in me aliud reperirent nisi grauitatem*. Quare hæc Reuelationum verba ait Nouatus non esse ita ad rigorem restringenda. Sed re vera verba libri primi cap. 10. sunt. *Ego ad primum ictum conturbata cecidi quasi mortua, oculis obscuratis, manibus tremantibus, pedibus nutantibus, & non respexi præ amaritudine antequam ex toto affixus erat, surgens verò, &c.*

289 Ad illud de Festo Respond. nomine spasmi venire dolorem quemdam maximum ex vsu loquendi; non tamen spasmum propriè de quo hìc loquitur: ad quid enim celebrare, ait Nouatus, festum imperfectionis corporeæ. Sic, & ad illud de templo spasmi, idest vehementissi-

tissi-

tissimi doloris.

290 Ad illud de imaginibus de Beata Virgine iacente, & exanimi. Respondet Carthagena tomo 3. libro 12. homil. 7. quod ipso præsente mandauit Magister Sacri Palatij expungi, vt derogantes fortitudini Beatissimæ Virginis: Quoad confirmandum Respond. maiorem fuisse vitando spasmum fortitudinem (nam sic ait Nouatus est includere leuitatē inconstantiam, & pusillanimitatem) sed vitando illum continuabatur dolor, qui in spasmo sopito cum sensibus remanet.

291 Dico octauo in Beatissima Virgine dolorem appetitus sensitiui ex passione Christi fuisse arbitrarium, idest non elicuisse dolorem nisi ex imperio voluntatis; ita vt ille dolor non habuerit rationem primi motus.

Probatur ex dictis de Immaculata Conceptione, quia erat priuilegium non derogans statum viatoris: quod tamen ita accipiendum est, vt præsente obiecto, vel grato, & conuenienti, vel disconuenienti, & debitè sensibus applicato non sentitur delectatio, vel dolor: quod etiam aduertit Gerson in Magnificat tract. 5. not. 1. sic: *Anima Mariæ dum viatrix erat cogebat necessitate naturali multa pati contra naturalem inclinationem suam; sed non contra rationem, & spiritum; fuit iste status Mariæ singularis inferior quàm status Beatorum, & Christi dum mortalis erat; fuit superior ad alterum cuiuslibet hominis viatoris statum.*

292 Quare Beatissima Virgo sitis, famis, &c. incommoda reluctante naturali inclinatione patiebatur, præuia tamen directione ad Dei gloriam, virtutum exercitium, & proximorum vtilitatem, in quo fuit inferior Christo Domino, qui adhuc applicatis sensibus externis obiectis iucundus poterat delectari, & non delectari. Ita cum D. Thoma Scholastici.

293 Ratio autem est connexio appetitus sensitiui cum sensibus externis; nam durante alteratione in sensibus, non poterat voluntas B. V. actum Phantasiæ impedire, quia Phantasia necessariò agit, dum à suo obiecto mouetur, est enim potentia naturalis; Quo posito, etiam appetitus sensitiuus necessario operabatur, est enim potentia necessario operans, cum habet obiectum debitè applicatum, quod applicatur per actuale; & absolutum Phantasiæ iudicium, &c.

294 Tamen probabilissimè dici potest B. V. ex singulari Dei priuilegio seclusa dicta corporis læsione, aut alteratione ab obiectis externis sensibus applicatis causata, suo voluntatis imperio potuisse phantasiam excitare, & excitatam eo perducere, vt constitueretur illud Phantasiæ iudicium, quo posito appetitus operatur, & sine quo non operatur, quod in nobis non habet locum; non solùm in primo; sed nec etiam in secundo casu, quando scilicet per solam naturalem humorum alterationem; & spirituum vitalium agitationem, vel ministerio alicuius agentis extrinseci humores excitantur, & commouentur.

295 Quod probatur auctoritate Andreæ Cretensis homil. 2. de Assumpt. vbi ait: *Quod autem ita viueret, vt non haberet omnino easdem quas nos proprietates, erat proprium eius, quæ illi cum Deo intercedebat propinquitatis. Quin etiam aperta est quoque probatio summæ eius impassibilitatis.* Et oratione in Annunciat. Deiparæ, ait, *Corporis templum in libero à passionibus Virginis vte-*

ro, omni expurgata mali molestia, & affectione.

296 Probatur etiam ex alijs asserentibus appetitum sensitiuum fuisse semper rectæ rationi rectum, vt non moueretur nisi à ratione imperatum esset. Ita Medina parte 3. quæst. 27. artic. 4. concl. 2. & Egidius Columna lib. 4. de effectibus gratiæ Virginem prę seruantis quæst. 2. art. 10.

297 Probatur etiam ex ijs, qui aiunt fuisse extinctum fomitem, quod in hoc sistit, vt inferiores vires numquam moueantur sine arbitrio rationis. Ita D. Thomas 3. parte qu. 27. art 3. in corpore. Fauent etiam, Gerson in Magnificat tract. 5. not. 1. vbi ait; *Anima Mariæ dum viatrix erat, potuit apprehendere tentationes forinsecus immissas: sicuti anima Christi, sed nullo modo fuisset mota passionaliter per eas absque iudicio rationis poterat sane eas protinus iudicare atque repellere; poterat non moueri secundum eas ad libertatem, vel iram, vel ad superbiam ipsis etiam in apprehensione durantibus.*

298 Cardinalis Toletus in caput primum Lucæ annot. 74. vbi ait: non habere expressum ex SS. Patribus, sed esse rationi consentaneum, vt omnes affectus essent in eius potestate.

Primo, vt Mater quantum fieri potest Filio esset simillima, vt sicut ille quia Deus affectus habebat subiectos; ita Virgo eos haberet ex priuilegio.

Secundo, quia in nobis inuoluntarij præuenientes rationem ob contractum originale peccatum; sed non sic debet esse illi, quæ immunis:

Tertio quia erat medium aptissimum, quo præseruaretur à quacumque leuissima culpa, à quibus omnibus præseruatam fuisse est de fide quod notauit Gerson in Magnificat tract. 5. not. 1. sic *Consequenter hæc veritas ex dictis Patrum ponentium ipsam nullatenus venialiter deliquisse, quod saluari non posset, si non habuisset omnes motus nedum Spiritus, & rationis; sed anima sensualis subditos rationi, vel non contrarios neque præuenientes rationem.*

299 Confirmatur, quia electa vt esset magistra virtutum, quæ elucerent in ipso vultu, & exterioribus actionibus, vt habet S. Ambrosius libro 2. de Virg. *Vt ipsa corporis species simulacrum esset virtutis, figuraque probitatis.* Quod ex subiectione appetitus sequitur,

Confirmatur; quia si ex dignitate matris Dei factum, vt eam vermis materialis corruptionis in morte non attingeret; multo decentiùs vt vermis sensitiui appetitus longè abesset cuius motus sentiebat Apostolus dicens ad Rom. cap. 7. *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Ex his sequitur dolorem ex passione fuisse arbitrarium.

300 Obijcies passio erat præsens, & applicata; ergo non poterant viscera non commoueri præ materno amore, qua mentione posita eius phantasia actu moueretur, & per consequens appetitus sensitiuus, vt qui est potentia naturalis contraria; non arbitraria.

Respond. Idcircò dictum supra ex priuilegio illi fuisse concessum, vt pro arbitrio Phantasiam excitaret, & excitatam eo perduceret, vt vel actuale illud Phantasiæ iudicium constitueretur, vel non quo posito moueretur appetitus, non posito non moueretur, quare commotio ex aspectu Filij non determinabat Phantasiam vt alliceret iudicium absolutè quo induceretur appetitus ad operandum.

301 Prætereà etiam erat arbitrarius

rius dolor, quando dolebat, ex obiecto proposito ab intellectu operante absque conuersione ad phantasmata, quem dolorem poterat retinere in appetitu rationali, vel permittere, vt transfunderetur; nam tunc anima non vult, vt forma informans, sed vt substantia intelligens. Hæc autem intellectio independens duplici ex capite habetur in Beatissima Virgine.

302 Primum quia non est semper necessarium intelligentem phantasmata speculari, vt patet in iis, qui patiuntur ecstasim, in qua solus intellectus, & voluntas operatur. Sic Conimbricenses 2. de anima cap. 8. quæst. 8. artic. primo, & Valentia prima parte quæst. 6. puncto 3. ait: non esse necessariam hanc conuersionem in abstractioribus obiectis, vt Deus Angeli, quidditates rerum; quare illa conuersio est tantum necessaria ad exordium operationum.

303 Secundum est priuilegium speciale illi concessum per quod etiam dormiendo contemplabatur vt infra dicemus. Ex his habes quod contemplando passionem per cognitionem sine conuersione ad phantasmata poterat pro libertate dolere, vel non dolere in appetitu sensitiuo.

304 Dico nono, omnes dolores Christi Domini condolentem Matrem intimè excruciasse.

Probatur primo, quia ex Dionysio Areopagita cap. 7. de Cęlesti Hierarchia: *Anima amantis magis est vbi amat, quàm vbi animat.* Et S. Augustinus tom. 9. tract. 2. in epistolam Ioan. *Talis est quisque, qualis est eius dilectio: terram diligis? terra eris; Deum diligis? Quid dicam, Deus eris.* Horatius etiam libro primo Ode 3. *Et serues animæ dimidium. Amicus alter ego* lib. 9. Ethic. cap. 4. vt in Alexandro, & Ephestione, apud Curtium libro 3. Iacob, & Beniamin Gen. cap. 44. Ionata, & Dauid 1. Regum capit. 18.

305 Secundo probatur ex Reuelat. S. Birgittæ libro primo c. 6. *Sic ego cum flagellaretur, & pungeretur Filius meus, quasi cor meum flagellabatur, & pungebatur*, (& paulò post) *Dolor eius erat dolor meus, quia cor eius erat cor meum.* Sic, & Rupertus in Cant. cap. 2. Guillelmus in Cant. pariter. Arnoldus Carnotensis de Laudibus Virginis. S. Bonauentura in stimulo. cap. 4. S. Hieronymus ad illa verba Ioannis *Stabat autem.* S. Bernardus sermone de Passione ait: *Quod in carne Christi agebant claui, & lancea; hoc in Virginis mente naturales affectus, & materna angustia.* S. Laurentius Iustinianus libro de Triumphal. agone capit. 21. *Clarissimum passionis speculum effectum erat cor Virginis, nec non perfecta mortis imago, in illo agnoscebantur sputa, conuitia, verbera, & Redemptionis vulnera.*

306 Collige hìc primo, mysterium satis claro ænigmate in verbis illis Isaiæ cap. 63. expressum idest: *Torcular calcaui solus*: si verba sunt Christi Domini quomodo *solus*; si cum ipsa B. Virgine? præcipuè cum de functionibus ob ipsius amorem ab alijs præstitis ita exacta fiat mentio. Ah! en mysterium. Christus, & Sanctissima Virgo ob reciprocum amoris vinculum veluti vna eademque persona ideo indistinctè de suo, ac matris dolore loquitur; Huc etiam respicit illud Simeonis Lucæ capit. 2. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*; idest tuam animam, quæ est ipsius Christi ob amorem, idem dolor vtrique communis affliget.

307 Collige secundo clarè non recensitas à S. Ioanne Beatissimæ Vir-

ginis Deiparæ afflictiones, quia satis erat dicere *Mater eius*; nam Mater magis ob Filij, quàm ob proprios torquetur cruciatus. L. isti quidem ff. de eo quod metus causa §. vltimo habetur: *Cum pro affectu magis in liberis parentes torqueantur quàm in se ipsis*. Vndè magis torquebatur, quàm si in propria carne vulnera susciperet.

Collige tertio, optimum meditandæ passionis modum esse vna cum Filij doloribus, matris tristitiam considerare.

308 Dico decimo quod licèt absolutè loquendo, & adæquatè sumendo passionem Christi Domini secundum omnes rationes doloris, & tristitiæ, maior fuerit dolore Beatissimæ Virginis; nam ex D. Thoma 3. parte quæst. 46. artic. 6. duplex fuit dolor, sensibilis scilicet, & interior tristitia, & vterque maximus, ille ex læsione corporis delicatissimi; iste ex cognitione peccatorum totius generis humani; ex amissione vitæ, quæ erat infinitè digna, ideò eius amissio maioris tristitiæ causa, Et ex vi perfectissimè apprehensiua omnium causarum doloris, & tristitiæ ex diuina permissione secundum omnes circumstantias efficacissimæ absque vlla interruptione, &c.

309 Quod totum innuit illud Threni cap. 1. *Attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus*. Tamen si sumatur inadæquatè, idest dolor tantum sensibilis Christi Domini præcisè sumptus, & comparetur cum tristitia, quam intrinsecè pertulit Beatissima Virgo, occurrunt aliquæ auctoritates, & secundæ rationes, secundùm quas maior videtur hæc Sanctissimæ Deiparæ tristitia.

310 Et quidem primo D. Bonauentura de compassione V. lect. prima habet: *Hæc maiorem dolorem habuit, quam Saluator, qui tot sustinuit*. Et Metaphrastes homil. de Dormitione B. V. ait: *Hæc omnia illam trasuenabant profundius, quam vlli Claui, & pro vna Filij plaga innumeris ipsa plagis sauciabatur*.

311 Non placet tamen ratio Salazari in cap. 8. Prouerb. vers. 14. numero 82. idest fuisse maiores in Virgine SS. quia fortitudo, & magnanimitas, quæ in eo erat maior faciebat, vt quodammodo minus doleret; nam licèt constans existeret ad fortiter, & constanter perferendos illos dolores, non tamen in Christo Domino imminuebat dolorem; vt videtur facere in cæteris hominibus transmittendo gaudium in partes sensitiuas; nam fuit destitutus hoc, & omni alio solatio, quod imminuere posset dolorem; vt habetur in 3. dist. 15. & 3. p. quæst. 46. art. 6.

312 Quare prima igitur ratio Nouati capit. 18. quæst. 10. est ex intensione; quia tristitia, ait ipse, intendebatur ex singulis læsionibus corporis Christi; dolor verò corporis Christi non intendebatur ex singulis læsionibus in toto corpore; sed tantum fiebat extensio per diuersas partes corporis.

313 Quod si obijcis per quamdam redundantiam qua proportionatum temperamentum dissoluebatur, ex qualibet percussione intensionem accepisse in toto; & maximè cum è tribus clauis penderet.

Respond. diffundi quidem dolorem; sed efficaci ratione probari non posse quod idem omninò dolor qui est in vna parte, redundet, & sit cum eadem intensione in alijs.

314 Vndè Diuus Bonauentura in opusculo de Passione Christi ad B. V. conuersus ait: *Nec non singula vulnera per corpus eius dispersa in tuo corde generaliter sunt vnita*. Hinc in singulari

appel-

appellatur gladius (*tuam ipsius animam pertransibit gladius*) quia omnes pœnæ per modum vnius maximè afflictiui describuntur.

315 Secunda ratio est duratio, quia, & ante passionem, & in passione ipsa, & post passionem etiam dolebat. Vndè S. Bernardus sermone in *Signum Magnum* ait; *Quando crudelis lancea filio iam mortuo latus aperuit; ipsius nimirum anima ibi non erat; sed tua planè auelli nequibat, vt plusquam martyrem te non immerito prædicemus, in qua sensum corporeæ passionis excessit affectus compassionis*. Sic, & eadem SS. Virgo S. Birgittæ lib. 6. cap. 61. dixit. *Omni tempore quo post Ascensionem Filij mei viui visitaui loca in quibus ipse passus est, & mirabilia sua ostendit, sic quoque passio in corde meo fixa erat, quod siuè comedebam, siuè laborabam, quasi recens erat in memoria mea.*

316 Collige hìc mirabile diuini amoris inuentum, cum enim Christus Dominus ad extremum tormentorum peruenisset, & adhuc pati cuperet, vt patet ex illo Ioannis cap. 19. *Sitio*. Pro se matrem substituit, quæ vnum moraliter cum Filio censetur; nam vt habet Aristoteles 10. Magn. moralium cap. 34. *Membrum parentis est Filius imò idem cum ipso*; & ita manebat testimonium illius immensi desiderij; quam compassionem matris proculdubio gratissimam Filio fuisse credendum est; vndè, & dicere poterat *Adimpleo, quæ desunt passionum Christi in animo meo.*

Aduerte ergo secundum has duas rationes esse intelligendas sententias D. Bonauenturę, & Metaphrastis.

317 Dico vndecimo ex matris dolore Christum maximam perpessum fuisse tristitiam.

Probatur ex Reuelationibus S. Birgittæ lib. primo cap. 6. vbi habetur: *Cum ipse me cerneret dolore confectam in tantum amaricabatur de dolore meo quod omnis dolor vulnerum suorum quasi sopitus erat pro dolore meo quem in me viderat*. Sanctus etiam Bernardus homil. in Euang. S. Ioannis cap. 19. S. Laurentius Iustinianus de Triumphali agone cap. 11. Arnoldus Carnotensis in Biblioth. Patrum tomo primo tract. de laudibus B. V. ait *Christus tunc in Matre amplius, quàm in se pati videbatur*. Ioannes Lanspergius homil. 48. de Passione. Lodulphus in vita Christi 2. parte cap. 63. *Ideoque, & ipse geminum dolorem patiebatur, scilicet Crucis, & Matris.*

318 Probatur etiam ratione quia Christus Dominus amabat Sanctissimam Virginem, & per consequens eius tristitiæ particeps erat; vnde dum affectu compassionis respiciebat illa Christum Dominum excruciatum cum nouo doloris ictu vulnerabat. Hinc Honorius Augustodunensis Præsbyter tomo 12. in Biblioth. Patrum opuscul. cui titul. Sigillum B. M. ait. *Filius Virginem alloquebatur tactus sum intrinsecus dolore cum viderem te dolentem pendens in Cruce; in vno oculorum idest in vno materno affectu, & in vno crine colli tui, idest in vno ornamento humilitatis, quo mihi inhæsisti, vt collum capiti.*

319 Obijcies primo Dolor B. V. proueniebat ex charitate, ergo erat aliquod bonum. Ergo potius obiectum delectationis quàm tristitiæ.

Respond. quod sub ratione moralis bonitatis, quam præseferebat non erat obiectum tristitiæ; sed solùm sub ratione afflictiui quatenus scilicet affligebat ipsam Sanctissimam Virginem. Hoc modo etiam Passio ipsius Redemptoris Sanctissimæ V. quatenus opus excellẽtissimæ charitatis non erat afflictiua matris; sed

sed quatenus afflictiua filij.

320 Obijcies secundo. Ergo si tanta tristitia, vt dictum est Christus Dominus afflictus fuit potius per hos dolores quàm propter vulnera à Iudæis inflicta; nam quod est vehementissimum magis dissoluit temperamentum; sed non est admittendus quod non fuerit occisus à Iudæis ergo nec id ex quo sequitur.

Respond. Heroicam Christi Domini fortitudinem postulasse, vt in his affectibus admittendis, qui ex sola consideratione excitabantur, moderationem haberet, vt ipsos effectus cohiberet ne causare possent eam alterationem ex qua tolleretur dispositio ad vitam necessaria.

Collige hic solam B. V. electam ad satisfaciendum desiderio, quo tenebatur Christus patiendi cruciatus ex amore, & non ex odio illatos.

321 Dico duodecimo dolorem Beatissimæ Virginis ex multis capitibus auctum fuisse.

Primo quidem ex duplici potissimum capite nempè ex vehementissimo amore secundum cuius mensuram crescit, & magnitudo doloris, quem amorem excitabant hæ causæ.

Prima quod naturalis filius eius esset sine Patre vnde plusquam omnes matres, & ex Spiritu Sancto, qui amorem conceperat.

Secunda, quia vnicus, & primogenitus.

Tertia, quia simillimus Sanctissimæ Matri.

Quarta, Sanctitas, & Sapientia Filij.

Quinta Filij beneficentia, à quo tàm multis aucta donis, & beneficijs.

Sexta diffusio charitatis à Spiritu Sancto à primo momento, quo concepta fuit.

Aliud caput erat viua apprehensio, quam de doloribus filij sui de offensis ingrato hominum animo obstinata malitia, & alia quæ dolorem Beatissimę V. intendere poterant.

322 Porrò isti dolores aucti fuere potissimum ex sequentibus capitibus. Primum, quod pro amore Filij mori non poterat: nam si tantus fuit amor Pyladis, & Orestis, vt habent historiæ, & canit Ouidius 3. de Ponto 2.

Ire Iubet Pylades carum petiturus Orestem
Hic negat, inque vicem pugnat vterque mori.

quanto magis id præstaret amor Sanctissimæ Virginis? Vndè sæpius in corde suo hæc verba repetiisse credendum est. Quis mihi det, vt pro te tuique amore sanguinem vitamque profundam? hoc eleganter, & deuotissimè meditatur S. Bernardus serm. de lamentatione SS. Virginis dicens. *Fili mi amor vnice noli me derelinquere post te; malè solus moreris, moriatur tecum ista tua Genitrix*: Et D. Bonauentura de Planctu SS. Virginis. Adde quod optimè nouerat Christum Dominum primariò pro ipsa redimenda mori, vt ait idem S. Doctor, & vt ipsam veram matrem contestaretur, vt habent S. Augustinus, & S. Hidelphonsus, cupiebat, & ipsa vicem rependere, & videns non concessum, vehementem dolorem excitatum fuisse cogamur fateri.

323 Secundo crescit iste dolor ex agnitione quod suo compassionis dolore nouum dolorem Christo Domino afferebat; nam vt ait S. Laurentius Iustinianus supra citato. *Gemebat filius, quod mater in tam horrendo esset spectaculo: ad cor Virginis loquebatur dicens, vt quid venisti columba mea formosa mea?*

Dolor

Dolor tuus meum auget, cruciatus tuus transfigit me. Vnde dicere poterat illud Canticorum cap. 7. *Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius.*

Tertio ex hoc quod nullum leuamen maternis officijs suo Sanctissimo Filio præstare poterat.

324 Quarto ipsa continua præsentia illorum dolorum; nam vt ait Aristoteles 2. de Anima. *Potentia propinqua magis percipit obiectum quàm remota.*

325 Quinto maximè ob peccatum Iudæorum, & aliorum delinquentium in morte, & passione Christi Domini inter quos, & discipuli, quod deuotissimè obseruarunt. D. Bonauentura in speculo cap. 3. & S. Anselmus de compassione B. Mariæ dolebat autem, & quia illud peccatum erat offensa Dei cuius ius diuinum, & Cultum summopere exoptabat seruari illæsum, quod tantis modis in morte Christi Domini violabatur; & vt erat miseria proximorum, & maximè Iudæorum, quibus optimè cognoscebat quantum nocumenti esset allaturum.

326 Sexto creuit ex ingratitudine fidelium futurorum, quorum indignantes ex tunc præuidebat, vt ait Apostolus ad Hebræos cap. 6. *Christum iterum crucifigentes;* quod si, vt obseruat Suetonius in vita Cæsaris, Cæsar vsquè adeò doluit videns Brutum, quem regia magnificentia, & splendore nutriri iusserat, & ad dictaturæ successionem testamentario iure promouendum, curauerat, inter coniuratos, vt exclamaret alijs omissis sic; *Tu quoque Brute fili mi?* Quid Beatissima Virgo quid Christus Dominus de nobis dicere poterit?

327 Septimo dolebat ob paucitatem saluandorum, sciens multos ad metam beatitudinis non peruenturos, & videns quàm ingens bonum beatitudo, & quam atrox pœna malis maneret.

328 Collige hìc primò B. Virginem tantum doluisse quantum amabat, vnde plus doluit de filio quam si sustinuisset tales cruciatus; quia plus illum amabat quàm se ipsam. Sic Amædeus homil. 5. de V. Maria; sic, & D. Bonauentura primo sententiarum dist. 46. quæst. vltima.

329 Collige secundo quod plus doluit super nostris culpis, quàm super pœnis corporalibus Filij; magis enim dolebat de iis quæ magis Christum Dominum affligebant; sed magis affligebant peccata, quàm vulnera: ergo, &c. & sic sub vtroque motiuo, & quatenus affligebant illum, & quatenus offensæ Dei summè dilecti dolebat.

330 Collige tertio, sub hoc etiam capite deuotis B. V. M. detestanda esse peccata, quæ tantopere eam afflixerunt.

Collige quarto, quàm aptè septem gladij pectori Beatissimæ Virginis Mariæ affligantur propter septem dolores de septem peccatis capitalibus.

331 Dico tertiodecimo Beatissimam Virginem ob sequentes rationes voluisse interesse passioni, & morti Christi Domini.

Primo scilicet vt innotesceret eminentissima ipsius Redemptoris charitas erga genus humanum, qui tale amoris inuentum reperiit, quod si mirum in modum cruciatus augeret, àc si tacitus diceret quantumuis crudelia præcordia vestra contra me sæuiant, adhuc tamen vestras inuentiones meis superabo.

332 Secundo, vt se veram approbatricem monstraret, eorum, quæ pro humana salute Christus Dominus

nus

nus patiebatur, & eumdem tamquam victimam acceptabilem æterno Patri litaret: vndè Arnoldus Carnotensis tract. de Laud. Virginis ait: *Omninò tunc erat vna Christi, & Mariæ voluntas, vnumque holocaustum ambo pariter offerebant, hac in sanguine cordis, hic in sanguine carnis, vndè communem in mundi salute cum illa effectum obtinuit.*

333 Tertio, quia cum magis ob Virginem redimendam pateretur, decuit, vt præsens ei gratias ageret pro tanto beneficio.

Quarto vt indicaret se moribundis tamquam matrem spiritualem, & adiutricem ad futuram, & approbaret piam assistentium illis actionem.

Quinto, vt habet auctor Pomerii lib. 3. p. 4. vt nos doceret sæpè menti reuoluendam passionem, & mortem Redemptoris nostri, & maximè tempore tribulationis amandam.

334 Collige hìc, Religiosis sumendum ab hoc exemplo viuum ad assistendum infirmis morientibus. Primò ad exemplum, & imitationem Sanctissimæ Virginis. Secundò, quia fideles sunt membra Christi quibus compatiendo possunt compati ipsi Christo, maximè quia, & ipsam Sanctissimam Virginem etiam ipsam Christianis adstare piè credendum est: Quod si exercitus ceruorum, ait ille, duce Leone potentior est, quàm exercitus Leonum duce Ceruo; quid non poterit esse infirmis viribus corporis, qui Antesignanam, & adiutricem habebit hanc matrem fortissimi Leonis, de qua scriptum est, *Vicit Leo*?

335 Quare, & summè presentaneum erit Sanctissimum sanguinem, & Christi Domini, ac Deiparæ dolores in mentem illi reuocare; nam vt ait Petrus de Voragine in illud Prouerb. cap. 30. *Sanguisugæ duæ sunt filiæ dicentes Affer affer.* ait: *Dic quod Diabolus sanguisuga est, quando insidet alicui membro, idest peccatori, sugit sanguinem, idest compassionem, memoriam Passionis Christi Domini, & Sanguinis eius.* Quod si vt refert Alexander ab Alexandro libro 4. dierum Genialium cap. 4. propè Danubium fuisse vites, quæ quia habebant radices in venis aureis, & argenteis, aureas producebant vuas, & folia argentea: non dubium quin vitis illa, quæ in aurea vena Sanguinis Redemptoris nostri, & argento puritatis huius Sanctissimę Virginis reponet radices, sit productura vuas pro æternitate, & folia pulcherrima. Exerceat ergo totis viribus hoc ministerium quicumque Religiosus se Beatissimæ V. deuotum profitetur ad illius imitationem; fidens quod quemadmodum S. Philippus Nerius vidit Angelos adstare, & suppeditare verba ijs, qui in tàm sancto exercitio occupabantur, sic, & tibi supernos ciues, & cœlestes spiritus non defuturos.

336 Collige secundo, quod sicut Christus Dominus mortem subibat, non solùm vt Patri; sed etiam vt Matri obediret, inde propterea inclinauit caput præsente matre, quod est signum subiectionis, & obedientiæ, quibus addit Salazarus in caput 8. Prouerb. vers. 19. numero 225. *Quod si sola Mater cuperet, decerneretque Filium pro hominibus mori, id satis foret, vt Christus Matri suæ parens mortem libenter aggrederetur.* Nam si Isaac, & Filia Iephte tantum detulerunt Patribus suis, quantò magis Redemptor noster incomparabiliter plus detulit Sanctissimæ Matri? Sic illa eum deuouit in holocaustum Patri pro humana Redemptione.

337 Col-

337 Collige tertio cum quàm grandi fiducia ad Sanctissimam Virginem confugere possit quilibet peccator, quando tàm ardenti animo pro quocumque Filium suum Sanctissimum morti tradidit: vnde Gerson in Canticord. tom. 3. ait *Exhilarescàs ad hac, & spera tu qui perieras miserande homo, quid vltra tibi negare Mater misericordiæ poterit, si proprium pro te Filium consensit offerri tanta miseria? Quid concedet Beatifica in cælis, qua talia dabat in terris afflicta? Perdidit miseriam, numquid, & misericordiam? Perdidit passionem, sed numquid compassionem? Perdidit profectò compassionem afflictiuam; sed retinet compassionem electiuam.*

338 Dico quartodecimo, Beatissimam Virginem cõpatiendo Christo Domino cooperatam esse humanæ Redemptioni; nam licèt enim certum sit in fide Catholica Christum solum propriè esse Redemptorem secundùm perfectam rationem nam ex D. Thoma 3. parte quæst. 48. artic. 5. pretium solutum, idest Sanguis Christi erat ipsius seruatoris; tamen certum est etiam eius participationem, seu ministerium tàm Angelis, quàm hominibus communicari posse; *Dei enim* ait S. Paulus ad Corinth. cap. 3. *Sumus adiutores*. Et licèt vnus sit mediator Dei, & hominum vt habet idem Doctor gentium; nihil tamen prohibet aliquos dici mediatores secundùm quid vt habet D. Thomas quæst. 26. art. primo, prout scilicet cooperatur ad vnionem hominum cum Deo dispositiuè, vel ministerialiter.

339 Probatur nunc ex Reuelationibus Sanctæ Birgittæ libro primo capit. 35. *Dolor Christi erat dolor meus, quia cor eius erat cor meum; sicut enim Adam, & Eua vendiderunt mundum pro vno pomo, sic Filius meus, & ego redemimus mundum vno corde.* Sic, & Lanspergius homil. 48. de Passione Domini. Ita, & Arnoldus Carnotensis de laudibus Mariæ ait: *Diuidunt coràm Patre inter sese Mater, & Filius pietatis officia, & miris allegationibus muniunt Redemptionis humanæ negotium, & condunt inter se reconciliationis nostræ inuiolabile testamentum. Maria Christo se spiritu immolat, & pro mundi salute obsecrat. Filius impetrat, Pater condonat.* Sic, & tract. 6. de verbis Domini.

340 Probatur etiã ratione quia offerendo illam compassionem satisfaciebat aliquo modo pro peccatoribus quorum salutem summè exoptabat.

Secundo, quia talis compassio in thesauro Ecclesiæ reposita, sicut alia opera satisfactoria eiusdem B. V. fidelibus claues Ecclesiæ applicantur ad remissionem peccatorum maximè cum ipsa satisfactione non indigeret:

Tertio cooperata est etiam offerendo vitam, & sanguinem eiusdem Redemptoris Patri æterno pro nostra salute: nam vt Filius verus, erat aliquid ipsius (quia ex Aristotele *Filij sunt pars Patris*) ergo obtulit aliquid in quo habebat ius pro nostra salute, sic cooperata maximè.

341 Secundo probatur. Quia ex D. Thoma loco citato, & princip. 9. Ipsa Redemptio potest attribui toti Trinitati sicut primæ causæ, quia contulit vitam, & sanguinem, & inspirauit voluntatem moriendi pro nobis, & cooperata est vt se offerret pro nobis: sed hoc secundùm quamdam proportionem possumus dicere de Beatissima Virgine, quatenus scilicet parturiendo, lactando, eumdem Redemptorem in eius vitam influxit, & voluntatem suam cum ea Christi Domini coniunxit, & sic cooperata est: ergo B. V. vt causa aliquo

modo influenti in nostram Redemptionem maxima saltem cooperatio tribuenda est: hinc benè Arnoldus loco iam dato: *Omninò*, dixit, *tunc erat vna Christi voluntas, & Mariæ vnamque holocaustum ambo pariter offerebant Deo, hæc in sanguine cordis, hic in sanguine carnis*. Et Reuelat. S. Birgittæ citat.

342 Hic modus cooperandi adeò est proprius B. V. vt alter non competat. Vndè Albertus Magnus in Missus est, ait: *Hoc priuilegium solum attribuitur Mariæ, quando ipsa est adiutrix Redemptionis*. Sic, & D. Basilius orat. ad Virginem, *Tu captiuorum Redemptio. Aue pax salus mundi, aue mediatrix gloriosissima, aue vniuersi terrarum orbis conciliatrix*. Sic, & S. Bernardus serm. de Assumpt. S. Petrus Damianus serm. de Annunc. *Sicut sine illo nihil factum est; ita sine illa nihil refectum*. Et S. Anselmus de excell. Virg. capit. 9. *Sola præ cunctis effici debuit mediatrix*. S. Hieronymus serm. de Assumpt. *Veneremur salutis Auctricem*. Iræneus libro 3. contra Valent. cap. 33. *Vniuerso generi humano causa salutis facta est*. S. Ephrem de Laudibus V. M. *Captiuorum Redemptrix, & omnium salus*. S. Laurentius Iustinianus serm. de Annunc. *Inuentrix mundi*.

343 Collige hìc; quanta fiducia ad Sanctissimam Virginem confugere possumus, vt nobis salutis fructum communicet; extinctiuum mortiferi veneni, quod Eua suo fructu nobis communicauit. Tanta autem fuit gloria, quæ hinc in Beatissimam Virginem redundauit, vt nec mente capi, nec verbis explicari queat; nam si Redemptor noster ideò pedes discipulorum lauit, quia hoc opus erat impleturus; quod præ cæteris si capax fuisset superbiæ eius occasio esse posset, vsquè adeò eminens erat. Ideo

344 De Sanctissima Virgine ait Nouatus testatur Spiritus Sanctus: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*; statim, ac dixerat, *Vadam ad montem Myrrhæ, & ad collem thuris*: vbi Rabbi Salomon legit: *Vadam ad montem Moria*; in quo Abraham obtulit filium, & Christus Cruci affixus est; quod de B. V. M. pergente ad montem Caluariæ exponit S. Gregorius Nissenus orat. 7. in Cant. Quia necessarium duxit immediatè declarare nulla inanis complacentiæ maculam ex hoc SS. Virgini adhæsisse.

345 Dico quintodecimo, plures ob causas ex diuina ordinatione fuit Beatissima Virgo tàm acerbis excruciata doloribus.

Primo vt innotesceret quanto Deus amore eam prosequebatur; vt enim ait Angelus Tobiæ cap. 12. *Quia acceptus eras Deo necesse fuit, vt tentatio probaret te*. *Hoc* (ait S. Laurentius Iustinianus libro de casto Connubio cap. 19.) *naturalis testatur ratio, hoc Sanctorum, & maximè verbi exempla confirmant, vt eo quisque durius in præsenti flagelletur, quo arctiùs amatur; qua enim mensura metitur diuinum amorem, metitur, & tribulationes*.

346 Secunda causa est vt præberet Sanctissimæ Virgini occasio insignium virtutum; vt Eminentissimæ resignationis in arduissimis, profundissimæ humilitatis in perferendis iniurijs, & opprobrijs; dilectionis inimicorum commissionis gratia, pers. fidelitatis, fortitudinis, & magnanimitatis. Vnde Cantic. capit. 4. *Surge Aquilo* (idest insuffla) *& veni auster, persla hortum meum, & fluent aromata illius*, idest virtutum.

347 Tertia causa, vt suppleret compassionem, quam nos omnes grati animi lege sentire debuissemus, ita Vbertinus lib. 4. cap. 15. *Tantum dolo-*

dolerem cum ipsa esset aduocata mundi suis infudit visceribus, quantus sufficiebat omnium electorum genitrici ad excusandam ingratitudinem.

348 Quarta causa vt promptius miseris ad se confugentibus compateretur, & subueniret; quo argumento etiam Apostolus ad hebræos suadet Christi misericordiam. Quare quò maiores afflictiones ex diuina ordinatione passa est, eò maior propensio ad succurrendum.

349 Quinta causa vt facilius vnusquisque nostrum ærumnas huius vitę perferret; nam si ait Cic. epist. ad Titium *Ne tàm grauiter, eos casus feramus, quos nullo consilio vitare possumus*; quanto magis perferre eas debemus excitati exemplo tàm sanctæ animæ, cum illa sine culpa, nos cum culpis magnis eas patiamur. Ait enim Ouid. epist. 15.

Leniter ex meritò quidquid patiare ferendum est
Quæ venit indignè, pœna dolenda venit.

Vnde, & S. Gregorius in Registro ait: *Facilis erit consolatio si inter flagella, quæ patimur, quæ fecimus ad memoriam delicta reuocemus, atque hæc non tàm flagella; sed dona cognoscamus.*

350 Collige hìc primo quàm grato animo in Virgine Sanctißima esse debeamus cum ipsa suppleuerit nostrum in compatiendo defectum.

Collige secundo in meditanda Christi Domini paßione habere quò confugiamus, quando eos non sentimus compaßionis affectus, quos vellemus, nempè ad Sanctißimam Virginem, precando vt Sanctißimo Filio offerat eos, quos tàm abunde habuit; vel nobis impetret vt condoleamus.

351 Dico sextodecimo B. V. Mariam eo compaßionis affectu dolores perpessam, vt maiores etiam perferre exoptaret.

Probatur, nam, & Christus Dominus in illo verbo *Sitio* ostendit quanto teneretur ardore patiendi adhuc maiora: ergo etiam Sanctißima Mater; cum perfecti amoris sit amantes conformes efficere in omnibus; vndè Arnoldus Carnotensis toties alibi citatus ait: *Omninò tunc erat vna Christi, & Mariæ voluntas, vnumque holocaustum.* Hinc Canticorum cap. primo nomine Sanctißimæ Virginis dicitur: *Fasciculus Myrrhæ dilectus meus mihi.* In quo diminutiuo ostendit tot tantosque dolores ardentissimo quo tenebatur desiderio videri exiguos. Sic, & Christus Dominus quinque millia verberum sustinuit, vt habet Lodulphus in vita Christi 2. par. cap. 58. Echius in sermone de paßione Domini, & septuaginta duo spinis transfixum, vt millia millium perferre adhuc optaret. Sic, & Sanctißima Mater sic dolebat in ijs, vt etiam huic vltimo desiderio ardentißimè conformis esset: Huius rei fortaßè figuræ erant illi duo Seraphim Isaiæ cap. 6. qui alas in modum crucis configuratis, & stabant, & volabant. Desiderio, &c.

352 Collige primo quantum debeamus vtrique pro tàm ardenti desiderio patiendi pro nobis cum magnitudo beneficij, ex Seneca, ex magnitudine affectus ponderanda sit.

Collige secundo quantum promeruit B. V. hoc desiderio cum Deus soleat etiam liberalißimè desideria compensare; vt patet in Abraham.

Collige tertio, quomodo nos gerere debeamus in rependendis vicibus; nam vt ait S. Ambrosius libro primo de officiis cap. 32. *In beneficio reddendo plus animus operatur, quàm census.*

353 Dico decimoseptimo, considerationem dolorum Beatissimæ Virginis magnam esse dispositionem ad recipiendos vberrimos diuinæ gratiæ influxus.

Hoc indicant illa verba Cant. 1. *Fasciculus Myrrhe*, ac si diceret, turgent vbera mea gratijs, & consolationibus cœlestibus; sed simul cum doloribus, & pœnis pro meo amantissimo Filio, itaque si harum eritis participes, & illorum: & vbi nos in Prouerb. habemus cap. 8. *Cum eo eram cuncta componens*. Legit Caldæus *Eram in latere eius nutritia*. Quod nomen significat nutrientem, & nutritum; ac si diceret: dum ego nutrior à latere Crucifixi Filij mei dulcissimi, & Sanctissimi, simul nutrio fideles lacte consolationis: vnde quisquis talibus reficitur dicere poterit cum S. Augustino *Hinc pascor à vulnere, hinc lactor ab vbere*.

354 Probatur etiam quia hoc est gratitudinis exercitium, quæ maxima dispositio est ad diuinos fauores recipiendos. Vndè S. Bernardus serm. 24. *Ingratitudo est hostis gratiæ, & inimica salutis*. Et ex Apostolo ad Corinth. cap. primo: *Sicut socij estis passionum, ita eritis, & consolationum*.

355 Insuper Carthagena tomo 3. lib. 12. homil. prima habet S. Elisabethæ fuisse reuelatum, Beatissimæ Virgini concessum, vt dolores ipsius Virginis recolenti quemcumque fauorem ad eius salutem conducentem posse liberè elargiri, & hoc vt nisi peracta de admissis culpis vera pœnitentia è vita migraret. Pelbartus in stellario lib. 3. part. 3. artic. 3. nam & S. Ioannes dum adstaret Cruci in eiusdem filium coaptatus est.

356 Similiter Silu. Razius libro primo miracul. refert Clericum quemdam cum non admodum religiosè vixisset ad extremum de sua salute dubitabat; quare pio affectu cæpit eam salutare cum sæpius in vita eius dolores animo secum reuoluisset, cui apparens Beatissima Virgo in spem gloriæ reuocauit, & ad Paradisi patriam incolumem perduxit.

357 Aduerte hìc quod quando non possumus eos affectus compassionis sentire in nobis saltem exoptemus eos habere, nam, & ipsi Sanctissimæ Virgini gratissimum erit. Imitemur S. Bonauen. in stimulo Amor. cap. 4. sic eam alloquentem. *Tu vulnerata es Christi Mater, vulnera, & seruum sine vulneribus miserum, & nihil aliud præter vulnera postulantem. Non peto cælum, non terram, non Lunam, non Sydera, sed vulnera. Nonne tu es Domina spes nostra? Nonne tu es Domina Regis? Nonne tu es Mater premij? Nonne tu es quæ nos exaltari desideras? Si ergo nos vis facere gloriosos, imò quia vis quare nobis negas causam; nam absquè vulnere saluari non possumus. O Domina mea, ò vita mea, ò spes mea, ò dulcedo mea, ò bona Domina, vulnera corda nostra; Nonnè plus sinè comparatione nos diligis, quàm mater nostra carnalis? Quid enim aliud habes facere quàm corda nostra vulnerare? Non enim possumus sine vulnere Filij tui fratris nostri stare. Verecundum enim nobis valdè est videre filium tuum Dominum nostrum sic vulneratum, & te Domina nostra sic crudeliter vulneratam, & nos peccatores seruos vestros vilissimos, sic liberos pertransire, & illæsos.*

338 Dico decimooctauo: Piam, ac probabilem esse opinionem Gersonis de Passione Domini in expositione textus 2. asserentis Angelum Gabrielem visitasse Beatissimam Virginem sicut visitauit Redemptorem nostrum.

Nam

Nam eidem commissum primò ministerium circà Incarnationem; ideo præsumendum cæteris Redemptionis nostræ functionibus, quando mittendus Angelus ei vices demandatas fuisse.

Secundò, Filius, & Mater censentur moraliter idem.

Tertio verisimile non est Christum Dominum voluisse admittere aliquam consolationem, quam non haberet cum Matre communem: sicut, & dolores iuxtà illud, *Si Socij*, *&c.*

Quarto, Annunciauit ei Angelus Gaudium ex tali prole, vndè videns eam in tot afflictionibus, iure fidelitatis debebat eam solari maxime cum eam statim tranquillare studuerit, quando turbata est in sermone eius.

359 Obijcies Angelus non potuit rationes adducere ad leniendum dolorem Christo Domino, aut Sanctissimæ Virgini, quæ non essent eis melius notæ, quam ipsi Angelo. Ergo, &c.

Respond. aliqui (vt Epiphanius lib. de hæres. hæres. 69.) confortasse Christum Dominum admirando fortitudinem eius. Sic etiam Theophylactus in cap. 22. Lucæ, Titus Bostrensis, & S. Ioannes Chrysostomus homil. de Trinitate.

360 Alij volunt Angelum confortasse Christum Dominum suo colloquio, non quod Christus Dominus ignoraret eas rationes; sed quia talia verba in afflictionibus animum leuare solent. Fauent D. Thomas 3. parte quæst. 12. artic. 4. ad primum. S. Cyrillus Alexand. epist. 9. S. Ioannes Damascenus lib. 3. de fide capit. 20. S. Bernardus serm. primo de S. Andrea. S. Hieronymus dial. 2. contra Pelag. & Gerson loco cit. Tamen cum vterque modus sit compossibilis, videtur absque controuersia posse dici, quod Angelus vtroque vsus sit ad confortandum tàm Christum Dominum quàm Beatissimam Virginem; nam vt habet Ouidius

> .... *Laudataque virtus*
> *Crescit, & immensum gloria calcar habet.*

vndè ad rationem propositam.

361 Respond. Christum Dominum quidem optimè nouisse eas omnes rationes, tamen ob charitatem, & humilitatem suam summam voluisse admittere hunc modum consolationis; item Beatissimam Virginem ob imitationem Domini nostri.

362 Collige hinc admittendas esse consolationes, & exhortationes, etiam à minus sapienti, & prudenti, quando Christus Dominus, *in quo sunt omnes Thesauri Sapientiæ, & scientiæ Dei*, & Beatissima Virgo, quæ est *Sedes Sapientiæ*, Angelum confortantem admittunt.

363 Dico decimonono, tempore passionis Beatissimam Virginem fuisse gauisam.

Probatur ex Reuelationibus S. Birgittæ loco primo cap. 10. vbi referens ipsa Sanctissima Dei genitrix suas lacrymas, & dolores concludit dicendo, *& omnem voluntatem meam conformaui voluntati eius, & sic semper erat lætitia mea mixta cum dolore.*

364 Obijcies loquitur ibi de tempore ante Passionem.

Respond. verum quidem esse; sed vtrobique militat eadem ratio; vndè, & Gerson in canticord. versus finem tom. 2. loquens de tempore passionis ait: *Cum clamore valido, & lacrymis offerens exauditus est pro sua reuerentia. Nihilominus fuit eo tunc tam in Filio quam in Matre cum cantico profun-*

fundissima lamentationis Canticum altissime exultationis. Sic, & in tomo 3. *Dans nobis illas vtrique cùm gaudio, & exultatione, alioquin qualiter implesset quod dixit: Hilarem datorem diligit Deus*. Sic, & Abulensis in caput 9. Deuteronomij quæst. 4.

355 *In lilio inter spinas* Cantic. cap. 2. vult Martinus del Rio fuisse præfigurandam B. Virginem; cui addit Nouatus ideò in lilio albo, quia ex Guillelmo in Cant. Albedo est signum lætitiæ, vndè antiqui dies faustos albo, infelices nigro signabant lapillo; & per spinas passiones, & dolores. Sic, & in voce turturis Cantic. 2. *Vox turturis audita est in terra nostra*, quæ cantando luget: vnde, & in vita Caligulæ refert Suetonius, quod dum eius iussu adolescens verberibus plectebatur vocem formabat in fletu, & gemitu prædulcem.

365 In illo etiam Canticæ capit. 1. *Nigram sum sed formosa sicut tabernacula Cedar* (idest tristitiæ.) *Sicut pelles Salomonis*, quia tegebantur arcam in qua manna suauissimum conditum erat.

366 Probatur etiam ratione, quia bonum oritur ex bono præsenti, & è passione Christi Domini multa erant bona.

Obijcies cum D. Bonauentura de Compassione Virg. Mariæ lect. prima ait: *Consolari Mater non potuit sic tractatum videns, quem genuit*.

Respond. D. Bonauenturam non negare gaudia; sed tantum quod illo gaudio non potuerit subleuari à dolore. Quod infra.

367 Dico vigesimo Beatissimam Virginem eodem tempore doluisse, & lætatam fuisse ex diuersis obiectis formalibus, sicut, & martyres. Nam vt videbat diuinæ esse voluntatis, & cætera bona gaudebat; vt verò videbat peccatorum Iudæorum tristabatur. Vndè non debet saluari ex eo quod in parte inferiori fuerit dolor cum fuerit etiam in parte superiori; nec ex eo quod diuina virtute possint fieri, vt sint, & non pugnent: nam sic tolleretur concursus vitalis, & liber.

Difficultas est quia ex parte obiectorum videntur includere contradictionem vt assensus, & dissensus.

368 Dico vigesimo primo. Plura motiua gaudendi fuisse in Beatissima Virgine tempore passionis.

Gerson in Canticord. tom. 3. enumerat tria.

Primum, impletum desiderium nostræ Redemptionis.

Secundum, Latronis Conuersio.

Tertium, oratio pro Crucifixoribus.

Rupertus in illud Cantic. *Fasciculus Myrrha* Lætitiam ait de futura Christi Domini Resurrectione.

369 Nouatus recenset septem alia, & primũ est, reparatio diuini honoris, de qua reparatione D. Thomas 3. part. quæst. 48. art. 2. in corpore.

Secundum, quo videbat non potuisse conuenientiori modo redimi mundum, vt habet S. Augustinus lib. 13. de Trinitate. Rationes habes apud D. Thomam 3. parte quæst. 46. artic. 3. in corpore.

370 Tertiò, gaudebat, quia videbat Christum Dominum promereri sui exaltationem, vt habet ad Philippenses cap. 2. Apostolus dicens: *Factus obediens vsquè ad mortem, mortem autem crucis propter quod, & Deus exaltauit illum*. Nam bonum Christi amabat magis quàm proprium.

Quarto gaudebat gaudio, quo Christus gaudebat in parte superiori, dum pateretur, licèt in parte inferiori non admitteret leuamen; nam

amor

amor faciebat, vt tàm gaudium, quàm dolor esset communis.

371 Quinto gaudebat quia sciebat Christum Dominum tunc satisfacere pro innumeris gratijs, & donis quibus ipsa fuerat decorata, inter quas erat emiuens, quod fuerit à peccato originali præseruata.

Sexto lætabatur de actibus virtutum quos eo tempore eliciebat, nam operari ex habitu delectabile; tunc vero operabatur ex habitibus perfectissimis tum infusis, tum acquisistis. Perpendit hoc optimè Alcuinus ad illa verba Canticorum cap. 4. *Emissiones tuæ paradisus*. Et habetur etiam ex illis verbis Prouerb. cap. 8. *Ludens coram eo omni tempore*.

Septimo gaudebat, quod humano generi plurimum benefaciebat cooperando illius saluti, ac Redemptioni iuxtà illud: *Iucundum est bene*.

372 Dico vigesimo secundo. Probabilem quidem esse sententiam S. Anselmi de excell. Virginis capit. 5. qui docere videtur, ex hoc gaudio aliquo modo minuisse dolorem B. V. M. cui substare videtur Suarez tomo 2. in 3. partem disp. 41. sect. 2.

Nihilominus etiam probabilem existimo opinionem Nouati prima parte cap. 18. quæst. 22. asserentis non fuisse imminutum dolorem à gaudio.

373 Quod datur intelligi ex illo Canticæ cap. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea*. Nam sicut lilia retinent suum candorem, & spinæ sua acumina esto associata; sic, & dolor B. Virginis, & gaudium quo afficiebatur, manebant in sua natura. Sic, & Botrus cypri cum fasciculo Myrrhæ. Fauent Patres, qui eam prædicant doloribus immersam vt D. Bonauentura in stimulo amoris de planctu Virginis capit. 4. & de compassione B. V. lect. prima, & lect. 2. & D. Bernardus de lamentatione Virginis.

374 Probatur primo, quia dolor contritionis, & gaudium de alio motiuo simul manere possunt, Ergo, &c.

Secundo, quia ex duplici capite potuisset imminui, vel ex eo quod virtus animi esset finita, & limitata, quæ qua maiori intensione se applicat alicui, tanto remissius operatur, circa aliud vt patet in ectasi. Sed non ex 1. capite, quia Beatissima Virgo semper astitit Christo patienti, vndè, & sensus, & Phantasia, & appetitus continuò mouebantur à tali obiecto. Nec ex secundo, quia licet finitè, tamen nulla ratio suadet, quin posset summè gaudere, & summè dolere ob diuersa motiua; nec quod remissius se haberet erga motiua doloris, quàm erga motiua gaudij. Imò potius credendum quod sicut Christus Dominus nullo modo impediuit causas suorum cruciatuum, nec auertit interiorem apprehensionem, sic, & ipsam toto mentis conatu omnia dolorosa considerasse, imò cohibuisse, & retinuisse gaudium in parte superiori, vt sic similiter esset Christo maximè cum gaudiorum cognitio esset independens à phantasmatibus, vnde nullam cum corpore habuit communionem, nec cum appetitu sensitiuo.

375 Dico vigesimotertio, quod conferendo dolorem Beatissimę V. quo torquebatur compatiendo sensibilibus cruciatibus eiusdem cum gaudio, quod habebat ob Christi Domini passionem, qua sibi exaltationem promerebatur, maius fuisse hoc gaudium, quàm ille dolor.

Probatur primo ex illo Canticorum cap. 1. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus*

meus mihi : *Botrus cypri* ; vbi dolorem sub nomine diminutiuo ; sed gaudium non, cum posset dicere botrulus. Probatur etiam, quia maius bonum erat Christo Domino promereri sua passione propriam exaltationem, quàm esset malum tot cruciatibus sauciari. Ergo, &c. Probatur antecedens, quia passio electa fuit vt medium sapientissime pro exaltatione. Confirmatur quia passio, vt afflictiua corporis erat malum sensuum, meritum vero bonum spirituale.

376 Secundo quod si dolor ille comparetur cum gaudio quo perfundebatur ob satisfactionem quam Christus Dominus offerebat Deo pro peccatis hominum fuit etiam minor. Probatur; quia plus amabat honorem diuinum, qui per passionem Christi Domini reparabatur, quam corporalem eius vitam. Ergo, &c. Probatur antecedens, quia ordinatè amabat; ergo illud plus quod erat magis amabile.

377 Tertio si conferatur dolor, quem sentiebat ob iniuriam illatam Deo per peccata hominum cum gaudio, quo afficiebatur ob satisfactionem, quam pro illis Redemptor noster exhibebat hoc gaudium fuisse maius illo dolore, quia satisfactio fuit superabundans, & altioris ordinis quam iniuria; quod totum optimè cognoscebatur à Beatissima Virgine; vide D. Thomam 3. par. quæst. 48. artic. 2. & Extrauagant. Vnigenitus nam persona diuina concurrebat intrinsecè ad talem satisfactionem, at iniuria extrinsecè tantum ad Deum terminauit. Vti iam diximus in §. de Circumcisione. Secundò, quia operationes Christi in ratione satisfactionis habent etiam valorem infinitum ex re oblata infinite digna; vnde promiscuè loquuntur Patres.

378 Confirmatur; quia Persona Verbi intrinsecè coniungebatur cum sua operatione, vt forma moralis dignificans, & etiam res oblata vnita verbo intrinsecè coniungebatur cum oblatione Christi, vt forma moralis dignificans, & vt principium intrinsecè offerens; vndè si ab operibus Christi per intellectum præscinderetur infinitus valor proueniens ex dignitate Personæ operantis, adhuc remanet infinitus valor ex infinitate rei oblatæ proueniens; Ergo, &c.

379 Obijcies primo. In eodem ordine iniuriæ constituitur peccatum in quo est obiectum ad quod peccatum affectu tendit; sed tale obiectum peccatoris est destructio Dei in propria natura, quæ non est compensabilis per satisfactionem Christi Domini; ergo satisfactio non est altioris ordinis.

Probatur minor quia plus esset mali in destructione deitatis, quàm boni in satisfactione Christi; nam hæc continet tantum bonum morale infinitum, non physicum, quod reuera à peccatore destrueretur, si efficeret, quod intendit. Ergo.

Probatur maior quia licèt peccatum totam suam malitiam non sumat ex obiecto, sumit tamen ex eo ordine, quia in eodem ordine est positum in quo est obiectum.

380 Respond. Peccatum esse in eodem ordine analogicè non vniuocè in quo est obiectum; sicut etiam Charitas. Idest, sicut obiectum in suo ordine excedit omnia obiecta creata; ita actus circa tale obiectum in suo ordine proportionali excedit omnes alios actus creatos.

381 Ratio est quia obiectum non specificat intrinsecè actum dando illi immediatè suam speciem sed extrinsecè

secè terminando intrinsecum ordine actus; vnde peccans tendit ad destructionem Dei in hoc tantum, quod constituit sibi vltimum finem in creatura, ex quo priuat Deum hac perfectione, & honore extrinseco, non perfectione intrinseca finis; quæ est increata Bonitas ipsius.

382 Et ex eo quod tendit affectu ad destructionem Dei non sequitur quod sit reus destructionis Dei; nam quantitas iniuriæ destructionis alicuius rei non desumitur ex affectu, seù desiderio talis damni, quod nequit moraliter inferri; nam qui desiderat destruere mundum, non censetur reus destructionis mundi, sic, &c. Ergo nec qui per peccatum cupit destruere Deum, censetur reus destructionis Dei; sed cuiusdam odii superioris ordinis, ex quo talia desideria manant.

383 Patet à contrario, nam qui desiderat alicui bonum, quod illi moraliter nequit conferre non desumitur mensura eius meriti ex quantitate boni, quod desiderat; vt patet in nostro actu charitatis quo diligimus Deum, & volumus illi bonum infinitum; sed limitatum ex affectu, quo tendimus; eadem enim est ratio vtrobique.

384 Obijcies secundo. Satisfactio dicit inferioritatem satisfactionis, ergo non potuit esse à Christo vt Deo; ergo vt homine; ergo inferioris ordinis satisfactio, quàm iniuria peccati.

Probatur conseq. quia peccatum est contra Deum vt Deum; sed satisfactio Christi, fecit à Christo non vt Deo: Ergo, &c.

Respond. concedo satisfactionem dicere inferioritatem, quam dicit Christus Dominus ratione humanæ naturæ, per quam physicè satisfacit non ratione Personæ diuinæ, per quam moraliter satisfacit; vndè satisfactio nec est à Christo, vt homine tantum, nec vt Deo tantum; nam physica entitas requisita ad satisfactionem profluit ab humanitate, dignitas verò moralis à supposito diuino. Relinquo hìc alias innumeras comparationes.

385 Dico vigesimoquarto, Christum Dominum in Cruce Sanctissimam Virginem mulierem (*mulier ecce filius tuus*) non vero matrem nuncupasse.

Primo vt ait S. Ioannes Chrysostomus homil. 48. in Ioan. tom. 3. *ne doloribus dolores adderet*. Sic & Gerson de Passione Domini ait: *Si enim dixisset Mater cor defecisset Mariæ, nec potuisset quin fuisset diuisum, atque ruptum pietate quam videbat*.

Secundo ex Cyrillo. Ob sublimem humilitatem, qua ipsa summè delectabatur.

Tertio, vt indicaret mentem suam esse, vt affectum maternum ad fideles conuerteret, quos in persona Ioannis illi consignabat; nam tunc tribuit illi nomē Matris erga ipsum Ioannē.

386 Collige hìc primo quàm aptè ab Alberto Magno in *Missus est* dicitur, *Adiutrix Redemptionis*. Et ab Orosio M. *Non solùm sicut Deus, sed quasi plusquam Deus, quos enim non potest saluare Deus per suam iustitiam, ipsa per suam saluat misericordiam*. Sic, & S. Anselmus.

☞ Quæ tamen cautè sunt recipienda, & ab Idiotarum auribus longè retinenda.

387 Collige secundo quo affectu nos protegat, & nobis subueniat cum vltra propensionem miserendi, sit motiuum obediendi Filio imponenti.

Collige tertio quantum consolationis attulerit eidem Sanctissimæ Vir-

gini, quod cum eo tempore non valeret pietatis munera omnia, quę desiderabat erga filium exercere, substituti fuerint homines; quibus benefaciendo, erga se Filius Sanctissimus præstitum existimaret.

388 Collige quarto, vt spontè se priuaret eo honore qui ab appellatione tantæ matris ei prouenit; nam sic sæpè se in vita ob humilitatis exercitium testantur Euangelistæ, se priuatum, vt appellando eam *mulier* in nuptijs, & se *filium hominis*.

389 Collige quinto. Vt ostenderet in ea affectum matris adeo mira animi fortitudine cohibitum, vt in offerendo filio se gereret ac si mater non esset. Fauent D. Antoninus parte 4. Theol. tit. 15. cap. 4. §. 1. dum ait: *Stabat Virgo ita diuinæ voluntati conformis, quod* (vt Anselmus ait) *si oportuisset ad implendum secundum rationem voluntatem Dei, ipsa filium in Cruce posuisset, ac obtulisset, nec enim minoris fuit obedientia quam Abraham*. Sic S. Ambrosius ait: *Stabat non degeneri animo mater spectatrix*.

390 Vndè Exodi cap. 23. præcipitur, *ne coquatur Agnus in lacte matris*; qui Agnus, ex S. Augustino significat Christum (imò libro de S. Virg. cap. 6. dicit; *Mater Spiritu capitis nostri, quod est ipse Saluator à qua illa magis spiritualiter nata est*) qui immolandus erat non interueniente illo tenero affectu matris, qui fortitudinem animi eneruare solet. Hinc, & Ecclesiast. cap. 24. *Sicut Cinnamomum, & Balsamum*. Nam Plinius ait, libro 12. histor. naturali cap. 25. *Summa probatio sinceri balsami est, vt lac coagulet*; coagulatio lactis significat abdicationem materni affectus; sicut ecNone contrà ex S. Isidoro epist. lib. 3. epist. 180. *Veri partus argumentum certissimum lactis profluuium*, & per consequens materni affectus.

391 Huc referri potest illud Psalmi 67. *Mons coagulatus mons pinguis*, idest mons caluariæ in quo offerebatur holocaustum pingue; & abdicabatur affectus maternus in quantum potuisset impedire.

Mirantur aliqui virilem illam Amazonum fortitudinem, quæ dextram sibi mammam amputabant, vt expeditiores essent ad contorquendas sagittas, & bellandum, retenta læua, qua possent filios lactare: Sic, & Beatissima Virgo eminentissimo modo fortior omnibus illis dextram quodammodo amputauit, mammã dum illum affectum cohibuit, qui retardare potuisset ab offerendo tàm viriliter filio retenta sinistra mamma, hoc est affectu erga fideles.

392 Dico XXV. Fuisse mentem aliquorum, quod hæc verba Redemptoris (*Mulier ecce filius tuus. Ecce Mater tua*) tantam habuerint vim, vt physicè constituerent Beatissimam Virginem Matrem Ioannis, & Ioannem filium. Sumpto fundamento ex D. Petro Damiano, qui sermone 2. de S. Ioanne ait: *Neque enim illa verba* Mulier eccè filius tuus, &c. *Sic simpliciter sunt accipienda vt humano tantum videantur more prolata. Sed prorsus efficacia sunt, & diuinis virtutibus fulta, atque ineuitabili veritatis auctoritate subnixa; sicut enim dixit Matri* Hic est filius tuus, *ita dixit discipulis* hoc est Corpus meum: *& tantus fuit illis in verbis effectus, vt illicò panis ille, quem dabat, Dominicum fieret corpus*. Hæc ille.

393 Verumtamen ait Barradius tomo 4. lib. 7. cap. 16. ne quid nimis dicendum videtur fieri non potuisse, vt per prædicta verba physicæ relationes matris, & Filij inter Beatissimam Virginem, & S. Io: resultarent, Suarez disput. 37. sect. 4.

Pro-

Probatur, quia vbi non interuenit fundamentum proximum non potest resultare vera, & physica relatio; vnde verisimile videtur, quod ait Suarez loco citato mutuum tantum affectum maternum, ac filialem impressisse B. V. & S Ioanni; quæ est expressa sententia S. Cyrilli in capit. 19. S. Ioannis, & Barradij iam citati: &

394 Probatur, quia amor maximè conueniebat ad eos fines, quos Christus Dominus intendebat, nempè, vt Matrem honoratam relinqueret, vt ait S. Ambrosius lib. de Virg. Institut. & S. Cyprianus tract. de passione Domini; vndè magis idoneus redditus est Ioannes ad pręstandum debitum obsequium Sanctissimæ Virgini per talem amorem, maximè cum in locum Christi substitueretur; sicque vt nouo titulo Virginem diligeret conueniens erat Ioanni, quod ipsis verbis significatum videtur à Christo Domino.

395 Et tunc fuit constituta omnium fidelium mater, vt habet Rupertus ad illud: *Mulier cum parit, tristitiam habet*. Et S. Bernardinus Senensis tomo primo serm. 53. de passione Christi ait: *Sic mysticè igitur in Ioanne intelligimus animas electorum, quorum per dilectionem B Virgo facta est Mater*. Et videtur indicari illa per illa verba Canticorum capit. 8. *Sub arbore malo suscitaui te, ibi corrupta est Mater tua*. Vbi septuaginta, & Theod. legunt: *Sub malo exsuscitaui te, ibi peperit te mater tua, ibi peperit te qua genuit te*. Sub malo, idest ligno crucis.

396 Obijcies ex S. Bernardino tomo 3. serm. 6. art. 2. cap. 2. facta fuit Mater fidelium, quando consensit, vt Verbum ex se carnem sumeret sic, & Guillelmus in illud Cantic. cap. 8. *Ergo, &c.* & cap. 4. *Emissiones tuæ, &c.* & S. Ambrosius sermone de Annunc.

Respond. dici matrem ex S. Augustino libro de S. Virgin. quia cooperata est charitate sua, vt fideles in Ecclesia nascerentur; vndè cum vtrobique cooperaretur, vtrobique mater dicitur; sed hìc modo quodam completo, quia Redemptioni, & saluti nostræ maximè cooperabatur.

397 Obijcies cum Guerrico Abbate sermone de Natiuitate *Hoc ipsum, & Maria sapere videtur; quæ dilectum votorum suorum insinuare cupiens affectibus hominum, cupit formare iterum Vnigenitum suum in omnibus filijs adoptionis; qui etsi geniti sunt verbo veritatis, nihilominus parturit eos quotidiè desiderio, & cura pietatis donec formetur in illis Christus*: Ergo quotidie, & non tantum tempore passionis, & Incarnationis parturijt fideles Christo, & maximè cum eos introducit ad Regna cęlorum.

398 Respond. Intentionem Guerrici esse, quod quotidiè exerceat munera matris spiritualis erga suos filios, & maximè quando eos ad regna cœlorum perducit.

Referunt naturalium rerum inuestigatores apud Maiolum, Balenas tanto partus suos amore prosequi, vt furentibus Oceani vndis eos intra viscera reponant, & non prius emittunt, quàm nullum proli imminere videant periculum. Sic, & Beatissima Virgo sæuissimo imminente tentationum tempestate in mortis agone, sic nos recipit, & protegit, vt non dimittat nisi tranquillato periculorum mari. Sic dupliciter videtur quodammodo Mater primò, dum cooperata est, vt per gratiam spiritualiter nasceremur. Secundò, dum suo patrocinio nos ad æternam vitam perducit.

399 Collige primo quantum in nobis debet excitare fiduciam quod vt ait D. Bonauentura in speculo; *Maria non solùm est Mater Christi singularis; sed etiam mater omnium fidelium vniuersalis*. Et S. Anselmus in Soliloq. *Dic animea mea cum magna mentis fiducia exultabo, & letabor in te, quia quidquid iudicabitur de me pendet ex sententia Matris, & Fratris mei*.

400 Collige secundo ad quantam dignitatem euehimur, quod nobis deberet esse maximum, & potentissimum frænum ne in vile Dœmonis mancipium degeneraremus.

Collige tertio specialem hinc ortam obediendi tàm Christo Domino, quàm Beatissimæ Virgini obligationem.

401 Collige quarto. Quot, at quanta beneficia ratione spiritualis huius maternitatis etiam nescientibus, & nolentibus impendat; nam vt ait Seneca lib. 2. benefic. *Maiora beneficia à parentibus recipimus cum aut nescimus, aut nolumus*. Vndè cum præstet maternitas spiritualis Beatissimæ Virginis cæteris omnibus maternitatibus maxima, & innumera erunt beneficia, quæ per eam quotidie recipimus, quibus iam plena sunt volumina. Hoc vnum perpende, quod tunc voluit hominum mater constitui, quando iidem inaudito ingrati animi genere filium suum sibi vita chariorem Cruci affixerunt.

402 Quæres quare si omnium mater cur solius Ioannis nominatur?

R. ex Nouato id fuisse summæ Christi Domini sapientiæ, vt doceret tantæ perfectionis esse maternum Beatissimæ Virginis amorem, vt vnumquemque nostrum diligat, ac si solum illum haberet.

403 Dico XXVI. quod licet taciturnitas non sit sufficiens signum ad obligandum aliquem, vt habet Glossa L. Filius familias 8. verbo non probatur ff. de Proc. Dynus Reg. is qui tacet 44. de reg. iuris in 6. nu. 3. Bald. L. si sine num. 4. Codice ad Senat. Consult. & communiter, tamen cum vnam cum Christo Domino voluntatem haberet, cum ipse declararet quid vellet statim constabat quid ipsa vellet, & sic taciturnitate satis declarabat, quod Ioannem in filium, & in ipso fideles adoptarat sibi.

Probatur quia tacens censetur consentire in quantum est in sui fauorem de reg. Iuris in 6. sed hoc sibi Beatissima Virgo tribuebat fauori ergo, &c. Vide Salmeronem tomo 1. tract. 41. versus finem.

404 Dico XXVII. Beatissimam Virginem per mortem Christi Domini filij sui destitutam fuisse relationem Maternitatis.

Est Suarez tomo 2. disput. 12. sect. 3. nam fuit destructus terminus dictę relationis, qui erat Christus vt homo; per mortem enim desijt esse hic homo.

405 Collige hinc quod spontè offerendo Christum Dominum consensit priuationi illius boni, idest relationis maternitatis Dei, quæ licet sit eiusdem speciei cum relationibus aliarum matrum, habuit tamen participationem nescio quid infiniti, quia consequenter respiciebat Suppositum cui illa humanitas coniungebatur; sicut Album primo respicit albedinem, deindè Petrum, qui est subiectum illius albedinis.

406 Dico XXVIII. per Christi Domini mortem B. V. desijsse nominare relationem filiationis, quæ erat eiusdem Christi Domini ad ipsam (vide Suarez disput. 12. sect. 2.) nam illo

illo triduo, quo mortuus permansit desijt esse hic homo, qui est subiectum dictæ relationis, & consequenter ipsa relatio, & ipse terminus in ratione termini.

407 Collige hinc etiam insignem Sanctissimæ Virginis Mariæ Charitatem in consensu, quem præstitit, vt cessaret dicta relatio.

408 Dico XXIX. cum Suarez disput. 22. sectione prima quod licet sine temeritate negari nequeat realis relatio Maternitatis in Virgine Sanctissima ad Christum Dominum, vt filium, non tamen hoc est de fide.

Quia licèt, ait ipse, fides doceat Beatissimam Virginem verè, ac realiter genuisse Christum Dominum, & in hoc sensu sit de fide verè ac realiter esse matrem: Si quis tamen negaret inde esse consequutam relationem realem; sed appellari realiter Matrem tantum à munere generandi; nihil diceret contra dogmata fidei illis tamen suppositis non consentaneè philosopharetur, quia in Beatissima Virgine sunt omnia ex quibus hæc relatio resultare solet.

409 Vnde accepta dignitate Matris Dei secundum moralem considerationem illam in Beatissima Virgine semper perseuerasse dicendum est etiam in triduo mortis, ex dictis Suarez dicta disput. sect. 3.

Primo quia licet esset hic homo verè tamen erat ille, quem ipsa genuerat habens vnitas sibi partes illius humanitatis, quas habuit in vtero dictæ Sanctissimæ Virginis.

Secundo quia ex communi modo loquendi aliæ mulieres etiam post mortem filiorum nuncupantur eorum matres. Fauet S. Petrus Chrysologus serm. 146. *Quomodò non ante conceptum mater, quæ post partum Virgo Mater? Aut genitrix quando non quæ seculorum genuit Auctorem?* Itaque semper mater etiam ante partum.

410 Dico XXX. Cum certum sit (ex Reuelationibus S. Birgittæ lib. 4. cap. 70. quod vt B. V. ei *Modico tempore post aperto latere, & extracta lancea sanguis in cuspide, quasi brunei coloris apparuit; vt ex hoc intelligeretur cor transfixum; qua punctura cor meum penetrauit, & mirum fuit quod ipsum non crepuit*) astitisse Beatissimam Virginem Cruci quando lancea vulneratum est latus Christi Domini; nam, & S. Ioannes astitit: imò credibile videtur sanguinem, & aquam ex aperto Christi Domini latere profluentem collegisse.

411 Est Nicephori libro primo histor. Eccl. cap. 30. & Metaphrastis sub die 15. Augusti; ait: *Cum hæc noua, & admirabilia perspecta erunt oculis Deiparæ post mortem filij perindè, ac si viueret, & eius latere sanguis, & aqua scaturiret, illa eum quidem hausit reuerenter, & diligenter.*

412 Primo quia hoc suadebat amor, pietas, & Religio secundo. Quia ex SS. Patribus tunc fuit fundata Ecclesia; præcipuè S. Cyprianus lib. de montibus Sina, & Sion ait: *Percussus in latere lancea sanguis, & aqua mixtus profusus fluebat vndè sibi Ecclesiam sponsa fabricauit.* At Christo etiam demortuo competebat primo Sanctissimæ Virgini quæ à S. Cyrillo Alexandrino *Fundatrix Ecclesiæ* dicitur seruare pretium eius fundatoris.

413 Tertio, mater filij hæres necessaria est, si Patre, & liberis careat, sed Christus non habuit Patrem naturalem, nec liberos: ergo succedere debebat eius bona Sanctissima Virgo, vndè de sanguine profluente, e latere nihil disposuit.

414 Quare magis pro ipsa redimenda, quàm pro alijs fundebatur; ergo grati animi vices sic repẽdere debebat.

Quin-

Quinto decebat vt ille sanguis in Sanctissimo loco asseruaretur, sed nullus sacratior Beatissima Virgine; Ergo, &c.

Sexto sanguis ille offerendus erat à persona dignissima; sed Christus tunc erat defunctus, ergo à Sanctissima Virgine, cum Deus non solùm respiciat munus; sed etiam offerentem.

415 Septimo erat electa vt cooperatrix humanæ Redemptionis, vt suprà cum S. Petro Damiano sermone primo de Assumptione diximus. Cum sanguis ille prætium, & complementum Redemptionis esset, congruum erat, vt, & ipsa veluti vltimam manum imponeret cooperandi.

416 Octauo, sanguis ille Sanctissimus erat veluti fons à qua emanabant omnia Sacramenta, & gratiarum fluenta, vt habent communiter Patres, & præcipuè S. Augustinus dicens: *De latere Christi omnia Sacramenta Ecclesia manarunt*. Et S. Cyprianus serm. de Passione Christi. *De latere tuo fons egreditur*, (& infra) *ex hoc fonte non tantum ablutionis prima qua nos accedentes ad Christum vndas hausimus; sed etiam compunctionem, & lacrymarum perennes affluunt riui, misericordiarum suauitates, & totius pietatis effectus emanant*; Sed Virgo Sanctissima est canalis per quam quidquid gratię ad nos venit per eam decurrit; ergo debuit illum colligere, & collectum seruare.

417 Dico XXXI. Nouato probabilissimum videri Beatissimam Virginem sanguinem ab aqua separatum collegisse.

Quia vult quod potuerit, eo quod diuisim prodierint primo sanguis deindè aqua. Ex S. Cypriano sermone supra dato sic habetur. *De latere suo fons egreditur in vitam æternam prosiliens, & de eadem consubstantiali origine diuisis limitibus aqua, & sanguis emanant ad complementum, perfectionemque totius iustitia*. Vnde duo indè Sacramenta emanasse vult Tertullianus libro de Baptismo cap. 16. *Proindè vt nos faceret aqua vocatos, sanguine electos hos duos Baptismos de vulnere perfossi lateris emisit; quia qui sanguinem eius crederent aqua lauarentur; qui aqua lauissent etiam sanguinem potarent*. Et addit hoc decuisse, quia æquum erat, vt Sanctissima Virgo rectæ dispositioni diuinæ Sapientiæ cooperaretur iuxta quam sanguis, & aqua absque mixtione prodierunt.

418 Dico XXXII. Deiparæ Sãctissimæ hortatu Iosephum fuisse inductum ad petendum corpus Christi Domini à Pilato.

Hoc affirmat Metaphrastes loco supra citato: & suasisse videntur hoc amor maternus, maximè cum hoc sit opus misericordiæ, & ipsa *Mater Misericordia* dicatur: Vnde & tenendum, quod honestum, & decorum auxilium præstiterit: Ita Metaphrastes loco citato, & ipsa SS. Virgo reuelauit S. Birgittæ lib. 2. cap. 21. his verbis *Duo qui deponebant eum de Cruce, tres applicabant scalas; vna protendebatur ad pedes, secunda subtus ascellas, & ad brachia. Tertia ad medietatem corporis. Primus ascendit, & tenebat eum per medium. Secundus ascendens per aliam scalam excussit primo vnum clauum de brachio, &c.* & infra, *ego verò qua Mater eram tenui per medium, & sic nos tres portauimus ad quamdam petram, qua linteo mundo per me operta erat in qua obuoluimus corpus; sed non consui linteum sciebam enim pro certo quod non in tumulo putresceret*.

419 Vnde & pia traditione habetur, & ostenditur hodie locus distans

ſtans à loco crucis tredecim greſſibus; vide Adricomium in deſcriptione Hieruſalem nu. 255. Fauent picturæ vſu acceptæ. Vnde; & extat liber Emerici de Campo doctoris Louanienſis de imagine Chriſti in ſinu Matris funerali linteo inuoluti. Et ſic exercuit Sanctiſſima Virgo actus miræ fortitudinis, Religionis, & pietatis, vt adnotauit etiam Metaphraſtes loco citato.

420 Collige hic primo quantam fortitudinem per Deiparam communicet Deus hominibus, quando Ioſepho, quia timens Iudæos, *erat*, ait Ioan. cap. 19. *diſcipulus*, occultus autem propter metum Iudæorum, nunc in tàm ſæua perſecutione palam ſe profitetur apoſtolum ſectatorem *audacter* ait Marcus cap. 15.

421 Collige ſecundo nos doceri à Beatiſsima Virgine quam mundo corde Sanctiſsimam Euchariſtiam recipere debeamus; vt enim habet S. Hieronymus in Matth. capit. 27. *Ille Chriſtum in Syndone munda inuoluit, qui pura eum mente ſuſcipit*. Quod altius cordi inſerendum, quod ideo Eccleſia non in ſerico, aut alio pretioſiori panno vult celebrari. Vide capit. Conſulto de Conſecr. diſt. prima. Rabbanum Maurum libro de Inſtit. Cleric. cap. 33. Venerab. Bedam in Marcum capit. 14. Stephanum Durandum de ritu Eccleſiæ lib. primo cap. 12. Burchardum lib. 3. cap. 98.

422 Dico XXXIII. Probabile eſſe clauos, & ſpineam coronam Chriſti Domini exceptos quidem fuiſſe à Sanctiſsima Virgine, & poſtea cum corpore in ſepulchro fuiſſe incluſa.

Erat quidem mos Iudæorum, vt quæ damnatorum corporibus inhæſiſſent, vnà cum corpore ſepelirentur; ita Baronius anno Chriſti 34. n. 136. quem ſequitur Bald. Iun. in ſuis chronicis moralibus anno 34. §. vnico. Nec mihi probatur ratio Nouati, qua nititur probare fuiſſe ſepulta ſeparatim, quia poſtea vnà cum Cruce reperta fuerunt; nam non implicat, quod fuerint corona, & Claui primo ſepulti cum corpore, deindè poſteà ſepulti cum Cruce, non enim veriſimile eſt quod immediatè poſt depoſitionem Crux ſepulta fuerit; nec etiam conuincit contrarium auctoritas Euangeliſtarum, eo quod non faciunt mentionem; nam argumentum ab auctoritate negatiua non concludit.

423 Dico XXXIV. Beatiſsimam Virginem affectu immenſo cordis ſui adhæſiſſe ſepulchro, & cum eo ſpiritualiter conſepultam fuiſſe.

Ita Guillelmus in illud Canticorum primo *Nardus mea* dedit odorem ſuum, S. Bernardus de planctu Virginis S. Bonauentura in medit. vitæ Chriſti cap. 82.

424 Eſt tamen in quæſtione poſitum an corporaliter aſtiterit toto illo triduo ſepulchro. Nam Metaphraſtes die 15. Auguſti affirmat, ſic etiam Euthimius in cap. 27. Matth. ſed S. Bonauentura in medit. vitæ Chriſti cap. 83. negat: Sic, & Sedulius Poeta, qui cecinit.

.... Hoc luminis ortu
Virgo parens aliaque ſimul cum munere matres
Meſſis aromaticæ noctis venere gementes
Ad tumulum.

425 Sic, & S. Gregorius Nyſſenus orat. 2. de Reſurr. Nicephorus lib. 3. cap. 33. & Theophylactus in Matth. cap. 27. Licèt non mihi probetur eius ratio, ideſt, quod Beatiſsima Virgo ſit appellata *altera Maria*

ria

ria quod, & Metaphrastes obseruat; sic etiam Gerson in fine expositionis Passionis Domini.

426 Putat tamen Nouatus in aliqua viciniori domuncula mansisse; quia hoc probatissimi erat amoris, minus, ac posset elongari ab illis sacris pignoribus.

Secundo, videre, ea quæ circa sepulchrum accidebant, vt Apostolorum magistra.

Tertio, desiderium videndi rediuiuum filium; vnde non sequitur inter milites remansisse.

427 Dico XXXV. Tempore Passionis, & mortis Christi Domini Christianam fidem non in sola Deipara, sed in alijs etiam fuisse asseruatam.

Primo, quia alias tunc Ecclesia cessasset, nam non potest in vnico indiuiduo consistere, vt probat Cardinalis Bellarminus de Eccles. Milit. libro 3. capit. 2. *Est enim cætus, &c.*

428 Secundo quia Christus Dominus testatus est Lucæ capit. 12. se obtinuisse Petro firmitatem fidei tempore passionis; *Ego pro te rogaui Patrem vt non deficiat fides tua*. Et licèt negauerit, non tamen amisit fidem interiorem; & dato, & non concesso, quod amisisset, *Egressus foras* statim *fleuit*. Latro etiam confessus est; sic, & Ioannes cum filiatione Beatissimæ Virgini præsumitur donatus fide non defectura, & Maria magnitudine, quæ venit sola; sic & de Iosepho, qui audacter petiit Corpus, & de Nicodemo, qui tulit libras aromatum; vndè illorum fides de Messia potius aucta, quàm imminuta videtur; & præcipuè in Iosepho; nec omninò defecisse in Apostolis credo, sed tantum vacillasse.

429 Credo tamen tàm firmam fuisse in Sanctissima Virgine eo tempore fidem, & ardenti charitate formatam, vt ab ea roborarentur fideles. Videtur hoc indicatum à Ioanne cap. 19. *Stabant autem iuxta crucem Iesu Mater eius, & Soror matris eius Maria Cleophæ, & Maria, &c*, dum primo loco recenset Beatissimam Virginem innuit enim eam fuisse Antesignanam. Fauet apertè Metaphrastes oratione de dormitione B. Virginis Mariæ, & indicatur in Canticis dum cap. 4. comparatur Turri *Dauid ædificata cùm propugnaculis*, & clypeis fidei, & omni armatura fortium. Vnde cum esset tàm inconcussa, aliorum fides quasi mortua, & extincta videbatur respectu eius in terra degentium.

430 Et sic intelligenda sunt verba S. Bernardi, qui in lamentatione Virginis, ait: *In ipsa enim sola in triduo illo fides Ecclesiæ stabat*. Sic, & S. Bonauentura de Meditatione vitæ Christi cap. 84. Et hoc indicat consuetudo Ecclesiæ de sola candela in officiis Hebdomadæ Sanctæ relicta accensa; vt si veneretur Beatissima Virgo à Vesperis Veneris, vsquè Vesperas Sabbatà, eo quod multos eo tempore in fide commoraret. Vide Reuelationes S. Birgittæ lib. 2. cap. 21. quæ sic ait: *Non consui linteum, sciebam enim pro certo quod in tumulo non putresceret*. Et hoc scire potuit ex Psal. 3. 15. & 29. & ex figura Ionæ à suo Sanctissimo filio sæpiùs explicata. Rupertus etiam in Cant. primo ad illa verba Fasciculus Myrrhę. S. Anselmus de excellentia Virginis capit. 5.

431 Collige hìc quod illi qui fides tentationibus agitantur, quando obrui

obrui penè videntur ad Beatiſsimam Virginem confugere debent, quæ prælecta eſt ad corroborandos fideles; quod munus initio naſcentis Eccleſiæ exercere cœpit. Vnde bene ab Anonymo in Canone ad SS. Deiparam, qui extat in Rituali Græcorum pag. 813. dicta eſt *Fortitudo populi*. A S. Germano orat. 2. in Præſentat. B. V. M. & à S. Ioanne Damaſceno in Paracl. B. V. M. *Fortitudo noſtra*. Et à S. Ioſeph Hymnographo in Mariali: *Fortitudo Fidelium*.

Finis Libri Secundi.

LIBER TERTIVS

DISPVTATIO I.

§. I.

De ijs, quæ occurrerunt B. V. Mariæ in Resurrectione Domini.

1 Dico primo firmiter tenendum Christum Dominum primùm Sanctissimæ Virgini, quàm vlli ex viuentibus in terris post resurrectionem suam apparuisse.

Ex libro reuelationum 6. S. Birgittæ cap. 94. Vbi ait Virgo. *Ista est rei veritas, quod Filius meus resurgens primò mihi apparuit, quàm alicui alio*. Sic & Metaphrastes orat. de Vita, & dormitione Deiparæ. S. Ambrosius lib. de Virg. Nicephorus lib. primo Histor. Eccles. cap. 32. & B. Simon de Cassia lib. 14. de Resurrectione ait; *Virgo prima fuit quæ vidit, & adorauit Christum natum, conueniens erat, vt prima videret eum renatum, & resuscitatum*. Rupertus Abbas lib. 7. de diuinis offic. cap. 25. Suarez disput. 49. Sectione prima qui ait fuisse perpetuum Ecclesiæ sensum. Baronius tomo primo Annalium Anno Domini nostri 34. Et in quodam Hymno.

Prima meretur gaudia
Quæ plus ardebat cæteris.

Nam si Magdalenæ prius quàm alijs mulieribus eo quod plus illis amabat Beatissimæ Virgini prius omnibus, quia plus cunctis amabat.

2 Secundo quia Filiorum parentes ardenter amantium proprium est dirigere suam gloriam præclaris gestis partam ad parentum lætitiam. Sic de Coriolano habet Plutarcus in eius vita: *Cæteris finis virtutis gloria, huic verò gloriæ finis materna existimabatur lætitia*.

Tertio ex D. Thoma 3. parte quæst. 56. artic. primo in corpore: *Qualibet causa primo operatur in id, quod est propinquius*: sed S. Augustinus serm. de Assumpt. ait *Caro Iesu est caro Mariæ*. Ergo, &c.

3 Quarto Sol primo altiora montium iuga prius illuminat; sed de B. Virgine dicitur quod est *Mons in vertice montium: Fundamenta eius in Montibus Sanctis*. Et Rupertus lib. 7. de diuinis officijs cap. 25. ait: *Quæ enim sui corporis parte altius* post Christum Ecclesiæ sublimitas enituit, quam singularibus huius Reginæ Angelorum meritis.

Quinto Prima, quæ stabat gemebun-

mebunda ad Crucem, & prima inter viuentes, quæ dolorem ex Passione Christi Domini perceperit; nam à momento Incarnationis, & sciuit, & sæpissimè doluit.

Sexto erat magnum incitamentum ad amorem in Sanctissima Virgine erga Deum augendum, & nouum grati animi affectum excitandum, vt certissimum Resurrectionis nostræ argumentum.

4 Septima est ratio B. Simonis de Cassia supra citati: Credo autem sæpissimè, & vt plurimum his quadraginta diebus cum Matre Sanctissima fuisse conuersatum. Quod indicatur ex illis Verbis Canticorum cap. 3. *Inueni quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam*.

5 Obijcies ex S. Marci cap. 16. habetur: *Surgens autem mane prima sabbati apparuit primo Mariæ Magdalenæ de qua eiecerat septem Dæmonia*; ergo non apparuit primo B. Virgini.

Respond. Postquam Virgini apparuerat, primo inter alios viuentes Magdalenæ apparuit.

6 Dico Secundo cum Metaphraste oratione de vita, & dormitione Deiparæ, quod Cauerunt Euangelistæ maternum Christi afferre testimonium, ne videretur suspectum, & propter coniunctionem fides ei minimè haberetur.

Sic & Iansenius in Concord. cap. 146. Rupertus lib. 7. de diuinis officijs cap. 25. Ratio est quia nulli dubium esse priuilegium cuicumque Sanctæ Personæ creatæ concessum eminentiori modo fuisse Beatissimæ Virgini clargitum; vndè, & S. Anselmus lib. de Excell. Virg. cap. 6. ait, se audisse à quodam sapiente, quod superfluum fuisset ponere in Euangelio apparitionem factam Sanctissimæ Matri, & Reginam cœli, & terræ, & omnis creaturæ coæquare illis quibus apparuit viro, aut Mulieri.

7 Probatur quia ab Euangelista primo describuntur apparitiones factæ ijs, qui magis suæ passionis videntur dolorem habuisse; primo ex dicto ab Euangelista Marco apparuisse Magdalenæ; sed Beatissima Virgo plus cæteris diligebat. Ergo, &c.

Prætereà hæc apparitio non fuit in confirmationem fidei; nam ipsa erat certissima: sed Euangelici instituti erat eas tantum describere apparitiones, quæ ad ipsius Resurrectionis fidem, & agnitionem conducebant.

Insuper non est scripta ob Sanctissimæ Virginis humilitatem. Sic lib. 6. cap. 94. Reuelat. S. Birgittæ cum ipsa Sanctissima Virgo narrasset sibi prius factam apparitionem subiunxit: *Hoc non est scriptum ob humilitatem meam*. Videntur autem Euangelistæ tacitè indicasse hanc apparitionem narrantes factas alijs ex quibus quilibet prudens eam deducere poterat.

8 Dico Tertio Beatissimam Virginem deosculatam fuisse sacras vulnerum cicatrices.

Sic Rupertus lib. 7. de diuinis officijs cap. 25. ait *Mariam enim Deiparam esse cui ante omnes alios rediuiuus filius suam Victoriam annunciarit, & dulcia carnis suæ vulnera, quam illa veram de carne sua carnem conceptam pepererat præbuerit deosculanda*. Nam si ex S. Matthæi cap. 28. habetur de sanctis mulieribus. *Et ecce Iesus occurrit illis dicens. Auete: Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius*. Et consequenter cicatrices osculatas fuisse credendum est, multo magis Sanctissima Virgo, &c.

9 Prætereà si Thomæ incredulo, quantò magis Sanctissimæ Matri.

Tertio, osculari est signum sub-

missionis, & recognitionis alicuius beneficij vndè Iob cap. 31. *Si osculatus sum manum meam ore meo, quod est iniquitas maxima, & negatio in Deum*, Vbi S. Bernardus ait: *Quod tunc fieri arbitror, cum donum Dei quod est Sapientia, non Deo sed meritis adscribatur actionū.* Ergo maximè decebat Sanctissimam Virginem ea osculari tum ad gratiarum actionem, quatenus redimere voluit, tum ad fidem firmandam, tum ad spem corroborandam, tum ad fiduciam hominum in diuinam misericordiam excitandam. Vide S. Leonis sermonem primum de Resurrectione. S. Cyprianum homil. de Baptism. Christi S. Bernardum sermone 61. in Cantic.

10 Quarto vt lætitiæ osculum daret illis cicatricibus, quæ erant insignia Triumphi, & gloriæ, vt cum Venerabili Beda habet S. Thomas 3. parte quæst. 54. artic. 4. in corpore.

11 Dico Quarto Beatissimam V. conspexisse fulgorem emanantem è Sacratissimo Domini nostri Iesu Christi corpore glorioso.

Ita Ludouicus de Ponte lib. 5. in Cantic. exhortat. 30. & Nouatus cap. 19. quæst. 4.

Probatur ex proprietate filiorum diligentium parentes, vt habetur iam dictum de Coriolano, & Sampsone.

Secundo, quia secundùm mensuram dolorum, sic solet esse, & gaudiorum.

Tertio, quia Caro Christi caro est Mariæ, &c.

12 Est autem difficultas an eguerit superiori virtute ad conspiciendam illam claritatem? Richardus in 4. distinct. 49. artic. 6. putat talem lucem esse extra obiectum naturale oculi corporei; qui adducit S. Augustinum lib. 22. de Ciuitate Dei dicentem; Apostolos non potuisse videre claritatem Corporis Christi Resurgentis.

13 Ratio est; quia putant lucem corporis gloriosi esse extrà obiectum oculi corporei naturaliter aspicientis.

Primo, quia talis lux non est possibilis.

Secundo, quia illa lux ex Patribus, & Scripturis est altior luce solis, & tamen in corpore solari videtur esse summè intensa hæc lux corporea; ergo si illa altior, erit etiam diuersi ordinis.

Tertio, quia lux ignis, & solis promanant à forma naturali.

14 Alij econtrà sentiunt lucem corporis gloriosi non esse improportionatam oculo corporeo. Ita D. Thomas in 4. dist. 44. quæst. 2. art. 4. Suarez tomo 2. disput. 48. sect. 2. §. *Sed licet*. Et sic defendi potest Beatissimam Virginem absque speciali superiori auxilio dictam claritatem conspexisse, quia omnis claritas corporea est natura sua visibilis.

Confirmatur, quia cum sit corporea naturalis simpliciter dici debet: ergo continetur sub obiecto naturali visibili ab oculo corporeo. Quod si percipi non posset à potentia visiua, esset tantum æquiuocè potentia visiua.

15 Obijcies primo: Lux solis minor non potest percipi ab oculo corporeo. Ergo, &c.

Secundo, Noster oculus est proportionatus tantùm ad lucem naturæ, & non gloriæ. Ergo, &c.

Tertio, Hæc claritas non commemoratur visa, ab ijs, quibus Christus Dominus apparuit. Ergo.

16 Respond. ad primum; quod Lux solis non solùm agit per speciem intentionalem perfectiuam potentiæ; sed

sed etiam alteratiua per calorem, qua actione alteratiua dissoluitur sensorij temperies, & disgregatur visus, & sic oculus læsus impeditur à visione solis; nam sic in corpore Glorioso.

17 Ad secundum Respond. Lucem gloriæ, & naturæ non differre nisi accidentaliter, vel causaliter quatenus profluunt à diuersis principijs, non verò essentialiter, habent enim eundem effectum formalem; quemadmodum calor ab igne, & calor à sole productus.

18 Ad tertium Respond. non benè argui ab auctoritate negatiua. Secundo Respond. fuisse in potestate Christi Domini eam exhibere cui voluit, & fortè voluit hoc esse priuilegium specialissimum Beatissimæ Virginis Mariæ.

19 Ad rationes pro Richardo Respond. ad 1. Non esse probabilem lucem corporem cuius effectus formalis non sit facere lucidum; & quidquid est corporeum lucidum est visibile.

Ad secundam Respond. non benè inferre ex intensione esse altioris ordinis, quam sit illa solis.

Ad confirmationem Respond. nullam quidem lucem naturaliter esse intensiorem luce solis; sed non sequitur non posse dari lucem naturalem intensiorem, cum eius gradus posit augeri in infinitum.

Ad tertium Respond. argui tantum differentiam accidentalem, seu causalem non tamen essentialem.

20 Dico quinto cum S. Anselmo libro de excell. Virginis cap. 6. Adeò magnum fuisse gaudium Beatissimæ Virginis ob Resurrectionem sui Sanctissimi Filij vt humano eloquio exprimi nequeat.

Primo enim gauisit, quia vidit illum gloriosum, & immortalem de Peccato, Morte, & Diabolo triumphantem.

Secundo, quia vidit mirificè elucere diuinam Iustitiam, cuius est deponere potentes, & exaltare humiles.

Tertio, quia sciebat per eam fidem nostram confirmari; erat enim indicium apertissimum diuinitatis se ipsum suscitare.

Quarto, quia videbat per eam erigi spem nostram resurgendi, & ad vitam præclarè instituendam conferre. Vti ait Apostolus ad Colossenses cap. 3. *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite.*

Quinto eam lætificauit multitudo animarum ex Limbo eductarum, quod adnotauit Barradius tomo 4. libro 8. cap. 8.

21 Dico sexto Resurrectionem Christo Domino fuisse debitam non solùm ratione diuinitatis; & ratione meriti (vt D. Thomas 3. parte quæst. 53. artic. 4. ad 2. ex Psal. 109. *De torrente in via bibit propterea exaltauit caput.* Et vt habet S. Augustinus eo loco, & ad hebræos cap. 2. & ad Philipp. 2. & S. Athanasius de Incarnatione verbi) sed etiam eo quod conceptus, & natus de Beatissima Virgine. Ita S. Bernardus sermone 35. in Cantic. Sic: *Quo igitur pacto fatum poterat videre corruptionem, quod de incorrupti vteri perpetuo nitore vernantibus pascuis ortum, etiam auidos Angelorum in se figere possit obtutus essentiabiliter oblectandos.*

22 Quod probatur ex eo quod ideo non fuit obnoxius originariæ culpæ, quia de illibata Virgine ortum duxit vt habet S. Gregorius lib. 17. moral. cap. 27. sed occasio, & vehiculum corruptionis est culpa originalis; nam sententia Genesis cap. 3. comprehendit cum Adamo omnes concipiendos ex congressa

Ma-

maris cum fœmina; ergo si Christus etiam ex hoc capite immunis à labe originali; ergo etiam à corruptione.

23 Obijcies corruptio oritur ex contrarijs qualitatibus. Ergo.

Respond. esse verum spectato naturali temperamento; sed homini ex priuilegio concessum, quod si immunis à culpa fuisset, esset etiam à corruptione.

24 Quare, & respectu ipsius Sãctissimæ Deiparę erat ei debita Resurrectio; nam diuinę legis est, vt qui se pro Deo humiliat ab illo exaltetur; sed illa vsquè adeo se humiliauerat: ergo ad sublimem hanc gloriam in carne Sanctissima filij euehenda erat.

25 Confirmatur, quia in Resurrectione Christi Domini Beatissima Virgo agnoscebatur esse Mater Dei, & sic in sua quodammodo maternitatę resurgebat; nam ex D. Thoma ex Resurrectione Christus Dominus est agnitus Deus; ergo Beatissima Virgo Mater Dei. Hoc enim vt argumentum proposuit Christus Dominus illis verbis Ioannis capit. 2. *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.*

Ex hoc optimam habes congruentiam, quod primo debuerit ei apparere.

26 Dico septimo Deiparam Sanctissimam suis precibus obtinuisse, vt Christus Dominus celeriter à mortuis resurgeret celeritate à Deo præfinita.

Pro cuius intelligentia, sciendum quod vt habet S. Thomas 3. parte quæst. 53. artic. 4. Christus propria virtute resurrexit, in cuius potestate erat citius, vel tardius resurgere.

Probatur quia eam ardentissimè exoptabat, & pro diuinæ gloriæ manifestatione, & pro hominum salute; ergo, & summopere petebat; & ea quę petebat semper impetrabat. Ergo.

27 Confirmatur quia si suis precibus obtinuit vt Filius Dei, accelerarет assumptionem humanæ naturæ multo magis reunionem animæ ad corpus cum eo tempore esset sanctio. Fauet nobis Ludouicus de Ponte libro 5. in Cantic. exhortat. 30. §. 2. ad illa verba Canticorum capit. 2. *Ostende mihi faciem tuam; sonet vox tua in auribus meis*. vbi ait: *Hic sine dubio erat clamor suprema sponsa nempè Deipara in triduo post Christi mortem*; & posteà concludit *Audiuit Filius precationem Matris, & subitò die tertia apparuit illi*.

28 Faciunt, & ad hoc illa verba Canticorum cap. 2. *Reuertere similis esto dilecte mi capreæ, hinnuloque ceruorum super montes Bethel*. Nam licèt hi ad ima descendat citissimè tamen ad cacumina redunt; Adde quod *Montes Bethel* sonant *Montes diuisionis*; nam vt habet Aranda libro hispano de Terra Sancta cap. 16. quando Petræ scissæ sunt magna inter Crucem Christi Domini, & peruersi Latronis aperta voragine dissectus est: imo, & Apostoli qui montes ob doctrinæ eminentiam, & sanctitatis, ad quam electi; de quibus Psal. 103. *Rigans montes de superioribus suis*; tamen inter se ob titubationem in fide Passionis tempore diuidi visi sunt. Conspice Ludouicum de Ponte lib. 5. in Cantic. exhortat. 39. §. 1.

29 Dico octauo. Probabilissimum esse Relationem maternitatis in Deipara Christo Domino resurgente rursus cœpisse vigere.

Est Suarez disput. 12. sect. 3. Probatur quia Christus Dominus Rediuiuus, est ille homo, quem Deipara Sanctissima genuit: Ergo est eius Filius

lius; ergo in Sanctiſsima Virgine eſt Relatio maternitatis ad talem filium.

30 Confirmatur, quia Relatio filiationis ſaluatur in inclinatione effectus ad ſuam cauſam; & relatio maternitatis in inclinatione ſuæ cauſæ ad effectum tamquam ad actuale bonum; ſed hę inclinationes aderant in Sanctiſsima Virgine matre, & in Domino noſtro Ieſu Chriſto eius Filio; nam Chriſtus Dominus rediuiuus adhuc erat effectus productus ab hac muliere; & hæc mulier erat vera cauſa productiua talis hominis. Ergo,&c.

31 Obijcies Chriſtus rediuiuus, vt rediuiuus non habet eſſe hominis ex vi maternæ generationis. Ergo.

Probatur antecedens, quia per actionem miraculoſam fit reunitio, &c.

Reſpondet Suarez loco citato his verbis. Non eſt cur dicamus de ratione filiationis eſſe vt ſubiectum eius vltima productione habuerit eſſe per generationem ex Matre; ſed ſatis eſt quod aliquando traxerit originem ex matre. Sicut duæ albedines ſimiles retinent eamdem ſimilitudinem ſiuè perpetuo durent, ſiuè aliquando corrumpantur, & iterum producantur. Et in Sanctiſſima Virgine patet hoc verum eſſe ex modo loquendi.

32 Dico nono, probabiliſsimum eſſe Sanctiſsimam Virginem vidiſſe Chriſtum Dominum ad cęlos aſcendentem.

Hoc habent S. Birgitta orat. prima poſt ſermonem Angelicum. S. Odilius Cluniacenſis, & S. Bernardus relati à Carthagena tomo 2.lib.5. homil. 8.& 9. S. Anſelmus de Excellentia Virginis cap.6. S. Hidelphonſus ſermone 4. de Aſſumpt. & Ludouicus de Ponte parte 4. medit. 18. puncto primo.

33 Probatur etiam ratione, quia vt Magiſtra fidei altiſſimo modo de eiuſdem fidei myſterijs inſtruenda erat.

Secundo, non erat priuanda ea lætitia, quæ ex eius Aſcenſionis viſione prouenіebat, cuius poſteà recordatione ſummoperè iucundaretur. Vide S. Anſelmum de Excell. Virginis cap. 7. & ea quæ ſuadent rediuiuum ei apparuiſſe, eædem rationes ſuadent ipſi ſuam gloriam oſtendiſſe.

34 Obijcies primo. Euangeliſtæ de hoc non meminerunt. Secundo Angeli, qui immediatè poſt Aſcenſiónem allocuti ſunt Apoſtolos, allocuti fuiſſent Beatiſsimam Virginem, ſi fuiſſet præſens, vt eorum Reginam.

Reſpond. Non omnia,quæ Beatiſſimæ Virgini acciderunt fuiſſe in Euangelio deſcripta; & conſequens euidentiſſimum erat ad id quod ſcripſerat Ioannes, quod ſtetit iuxtà Crucem, cum ſocij paſsionum debeant eſſe, & conſolationum.

35 Ad Secundum Reſpond. Apoſtolos inſtruendos fuiſſe, vt fide potius,quàm viſu corporeo eſſe ſequendum Chriſtum Dominum, quod erat neceſſe docere Beatiſsimam Virginem.

Reſpond. Secundo; quia inſtruendi erant etiam de ſtatu immortalitatis immutabili,& æterno, ad quem tranſierant illis verbis: *Sic Veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum.*

Tertio addit Nouatus, quod non poterant oculis corporeis videre Chriſtum Dominum cęlos penetrantem, & ne aliqua maneret dubitatio Angelicis Verbis confirmatur.

36 Di-

36 Dico Decimo. Ob plures caussas Beatissimam Virginem mansisse in terris post Christi Domini Ascensionem.

Prima, vt habet S. Anselmus de eccellentia Virginis cap. 7. ne veniret in dubium Curiæ cœlesti cui primo occurreret, Christo Domino, an Santictissimæ Virgini? Fauent S. Petrus Damianus sermone de Assumpt. Virginis, & Guerricus Abbas sermone pariter de Assumpt.

37 Secunda; vt instrueret Apostolos, & fideles ex libro 5. Reuelationum cap. 61. & sermone Angelico cap. 19. Sic, & S. Antoninus 3. parte titulo 15. cap. 42. sermone primo de Assumpt. Virg. Sophronius sermone de Assumpt. Deiparæ. S. Anselmus loco citato. S. Hidelphonsus sermone sexto de Assumptione. Metaphrastes oratione de vita, & dormitione Sanctissimæ Virginis, & Auctor supplementi in 4. dist. 49. quæst. 4. artic. 3.

38 Tertia est vt eluceueret quàm eminens esset eius Charitas, quæ non quærit, quę sua sunt; quatenus idcircò in terris longè à gloria libens manebat, vt saluti fidelium consuleret. Ita Guillelmus in illa verba Canticorum cap. primo: *Trhae me post te, curremus in odorem vnguentorum.*

39 S. Laurentius Iustinianus sermone de Assumptione tres alias rationes affert.

Prima est, vt cumularem merita.

Secunda, vt affectum accenderem.

Tertia, vt patientiæ exemplum alijs monstrarem, vbi.

40 Collige primo ly merita cumularem, quantum meriti augetur Sanctissimæ Virgini, quæ constat se priuasse gloria, pro gloria Dei, & salute fidelium, dum is, qui se substantia corporali sponte priuat; *centuplum accipiet* ex S. Matthæi capit. 19. maximè cum esset ea gloria maxima omnium post Sanctissimum filium vt conueniebat Mater Dei.

41 Collige secundo. Quod absentia filij erat velut flabellum continuè flammas amoris excitans in Sanctissima Virgine.

Collige tertio. Admirandum patientiæ exemplum nam spes quæ differtur affligit animam vnde Franciscus Poeta in Eleg.

Si credis amanti
Quolibet in spatio sæcula mille trahit.

42 Collige quarto. Vehementiam amoris Christi Domini erga eam Sanctissimam Virginem cum voluerit aliqua gloria accidentali priuari; ne eam cumulo meritorum priuaret.

Collige quinto. Si vsquè adeò ardens erat Beatissimæ Virginis Charitas erga Ecclesiam; quod etiam nunc pro nostra Salute omnes conatus adhibebit.

43 Dico vndecimo. Beatissimæ Virginis orationem, hortatum, & exemplum plurimum contulisse Apostolis ad Spiritum Sanctum in Pentecoste recipiendum.

Sic ex capite primo Apostolorum Act. habetur. *Erant perseuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus & Maria Matre Iesu, & fratribus eius.* Hoc enim postulabat ardentissima ipsius Sanctissimę Virginis charitas.

Secundo Ecclesiæ necessitas, honor Spiritu Sancto debitus, vndè, & hortatam fuisse Apostolos credimus ad orandum.

44 Collige primo quantum auxilij hæc exhortatio illis attulerit. *Nam repleti sunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui.*

Collige secundo, quam rectè *Magistra Apostolorum* ab Idiota doctissimo

ſimo lib. de contemplatione B. V. M. cap. 2. à S. Antonino quarta parte ſummæ titulo 15. & à S. Birgitta de Virginis excellentia oratione prima, nuncupatur.

Collige Tertio. Optantibus Spiritum ſanctum ad Beatiſsimam Virginem eſse confugiendum.

45 Dico duodecimo decuiſse Beatiſsimam Virginem fundere preces cum Apoſtolis pro aduentu Spiritus ſancti.

Primo; nam ſicut ipſa orante ab ipſius conſenſu Verbum voluit pendere in humana carne aſsumenda; & ea adſtante, & conſentiente mortem ſubire; Sic; & ipſa præſente, & orante voluit aduenire Spiritus ſanctus; qui opus quod Chriſtus Dominus inceperat, promouit exhibens munus Protectoris, conſolatoris, & Magiſtri. Sic Ioannis cap. 14. & S. Paulus ad Romanos cap. 8.

46 Secundo quia dona cœleſtia gratiæ, Charitatis, & ſeptem dona Spiritus ſancti, imò, & ipſe Spiritus ſanctus, Principium reliquorum non niſi eadem Sanctiſſima Virgine intercedente nobis concedendum eſſe; vndè S. Germanus Conſtantinopolitanus Encomio in adorationem Deiparæ cap. 11. ait. *Nemo eſt cui donum concedatur niſi per te ò caſtiſſima.* Et S. Bernardus ſermone de Natiuit. B. V. *Si quid ſpei nobis eſt, ſi quid gratiæ, ſi quid ſalutis ab ea nouerimus redundare.*

47 Dico tertiodecimo, Beatiſsimam Virginem ante diem Pentecoſtes ſeptem eius donis fuiſſe ditatam.

Sunt autem dona Spiritus ſancti, vt habet D. Thomas prima 2. quæſt. 68. artic. 3. habitus, quibus homo perficitur ad promptè obediendum Spiritui ſancto, & eius inſpirationi; ſicut virtutes humanæ perficiunt hominem ſecundum quod natus eſt moueri interius, & exterius per rationem in his quæ agit. Sic D. Thomas loco citato artic. primo.

48 Porrò munus Sapientiæ, eſt ſuggerere nobis rationes, quæ nos ad cœleſtia promoueant, & à terrenis retrahant, vt illa amemus, iſta faſtidiamus.

Secundum. Intellectus, eſt ita irradiare, vt remota omni dubitatione ſit homo alacris ad credendum, ſperandum, & operandum.

Tertium Conſilij, eſt ſuppeditare rationes, quibus non præcipitè, ſed honeſtè, & ſanctè in repentinis caſibus nos habeamus.

Quartum Fortitudinis, eſt conferre robur ad perferendas quaſcumque temporales ærumnas, vt ſpiritualium bonorum detrimentum euitetur.

Quintum ſcientiæ, eſt actus Dæmonis, carnis illecebras, & mundi fallacias diuinæ lucis radijs detegere.

Sextum Pietas, eſt miſericordem affectum cordi communicare, quo facile compatiamur ijs quorum iniurijs laceſſiti fuimus ad vindictam.

Septimum, timoris Domini, eſt diuino lumine veritates nobis aperire, quibus de diuinis iudicijs pauidi, arrogantia, atque temeritas noſtra reprimatur, & ſic ſalutem noſtram cum tremore operemur.

49 Probatur nunc noſtra Concluſio illis verbis Angeli *Aue gratia plena Dominus tecum.* Fauent S. Petrus Damianus ſermone 2. in Natiuitate Beatiſſimæ Virginis. Idiota de Contemplatione Virginis in illud Prouerbiorum cap. 9. *Sapientia ædificauit ſibi domum excidit columnas ſeptem.* Andreas Hieroſolymitanus. S. Hildephonſus ſermone 2. de Aſſumptio-

ne Beatissimę Virginis,

50 Secundo. Quia dona Spiritus sancti ita sunt cum gratia, & charitate coniuncta, vt ab ea nunquam separentur; sed in Beatissima Virgine semper fuit gratia, & charitas; ergo, & dona etiam Spiritus sancti,

Confirmatur. Quia in iustificatione hominis simul cum virtutibus illis infunduntur hæc dona; vndè, & ab instanti conceptionis ei fuisse collata conuincitur.

51 Fuerunt autem aucta in die Pentecostes quando venit Spiritus sanctus mirum in modum, vt habet Petrus Lirinensis in Acta Apostolorum exponens versiculum primum capitis secundi,

Ratio est quia Spiritus sanctus ei se maximè communicare exoptabat vtpotè, quæ se maximè disposuerat.

52 Dico quartodecimo, Gratias gratis datas fuisse ab instanti conceptionis Beatissimæ Virgini collatas, & in die Pentecostes mirabiliter actas.

Sunt autem hę gratiæ nouem.

Prima sermo Sapientiæ, quæ est facultas diuinitus data ad explicanda, & confirmanda fidei mysteria per rationes superiores, & altissimas causas,

Secunda est sermo Scientiæ, quæ est facultas, vt supra data, sed per rationes inferiores.

Tertia Fides est Habitus, quo redditur facilis ad proponendas res fidei, & difficultates occurrentes explanandas,

Quarta sanitatum idest facultas conferendi sanitatem sola diuina virtute interueniente.

Quinta operatio virtutum est Patratio miraculorum.

Sexta Prophetia, qua futura pręuidentur, & prædicuntur.

Septima discretio spirituum est internum lumen per quod interiores sensus, ac cogitationes cognoscit, & dignoscit an à bono, vel malo spiritu immissæ.

Octaua Genera linguarum, qua homo callet diuersa idiomata virtute diuina.

Nona interpretatio sermonum, qua aperiuntur Sacrarum Scripturarum arcana; quæ quandoque ad talem perfectionem communicatur, vt is cui communicatur, fiat oraculum Spiritus sancti, & eius scripta inter canonica possint connumerari. Quibus positis.

53 Probatur nostra Conclusio; quia Angelus in Annunciatione declarauit eam gratia plenam; ergo omnibus gratijs etiam gratis datis.

Secundo; ipsa Beatissima Virgo testatur Lucæ cap. primo, *Fecit mihi magna qui potens est*.

Tertio; quia multis ex dictis gratijs vsa est ante aduentum Spiritus sancti: nam

54 Primo vsa est Prophetia in suo Cantico, vt habent S. Hieronymus in expositione Isaiæ, & S. Basilius ad illa verba Isaię cap. 8. *Accessi ad Prophetissam*. Et S. Augustinus libro 17. de Ciuitate Dei cap. vltimo ait; *Ipsa Virgo Mater Domini ante Ioannem prophetasse inuenitur*.

55 Secundo vsa est Interpretatione sermonum, quod & habet Origenes homilia sexta in Lucam, & S. Augustinus sermone nono de tempore, sic. *Reuolue Maria propheticam lectionem: neque enim te scientia diuinorum potest præterire librorum*. Vndè, & inter canonicas scripturas referuntur eius dicta, non solum, quia ab Euangelista Luca descripta; sed quia dictante Spiritu sancto ab ipsa fuerunt pronunciata. Sic Suarez tomo 2. disp.

2. disput. 20. sect. prima.

56 Tertio discretionem spirituum fuisse patet ex illo *Cogitabat qualis esset ista salutatio*, & habet S. Bernardus tomo 3. Sermone 11. artic. primo capite primo. *In Virgine Beata nullum fuit omninò retardatiuum, proindè Rota volubilis fuit secundùm omnem Spiritus sancti nutum*. Quam discretionem in triduo Passionis, & Mortis Christi Domini in expectatione Spiritus sancti, in Nuptijs Canæ Galileæ, probabile est exercuisse erga alios, cum quid cogitaret Dominus Redemptor noster adueniret, & vt patet ex illis Verbis: Quodcumque dixerit vobis facite, & fauet S. Antoninus quarta parte titulo 15. cap. 19. §. 4.

57 Quarto Genera linguarum quando Magos excepit, & in Ægyptum migrauit.

Quinto, Sexto, & septimò, sermone scientiæ, sapientiæ, & fide creditur vsam fuisse in triduo, quando fideles confirmauit, & præcipuè Nicodemum.

Octauo, Gratiam Sanitatum, & operatione miraculorum non habemus adhibuisse; sed verisimile est ius habuisse, saltem quoad habitum.

58 Hæc tamen Conclusio ita in communi non recipitur ab omnibus; nam S. Antoninus quarta parte titulo 15. cap. 19. §. 8. putat quod in die Pentecostes receperit donum linguarum, tamen verisimile est quod omnia prædicta habuerit ab instanti suæ Conceptionis Sanctissimæ per modum habitus, quod indicatur ex illis Sacræ scripturæ locis, nempè Apocalipsis cap. 21. *Fundamenta muri Ciuitatis omni lapide pretiosa ornata*. Psal. 45. *Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei*. Isaiæ cap. 2. *Et erit præparatus Mons domus Domini in Vertice montium* Psal. 86. *Gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei*. In quæ verba ait S. Germanus Constantinopolit. de Zona Deiparæ cap. 1. *Nobis diuinus Dauid cecinit in spiritu, reuera Ciuitatem, de qua gloriosa dicta sunt vocari Ciuitatem magni Regis. Quaenam ea est? existimarem manifestissimè & sine vlla contradictione dicere eam, quæ verè est electa, & omnibus superior, non domorum excellentia, sed sublimium virtutum magnitudine, & puritate omnibus antecellentem Mariam*.

59 Quod si tertio Regum cap. 8. statim post absolutum templum dicitur, quod *Impletum fuit gloria Domini*, quid de ea, quæ viuum Templum erat Spiritus sancti? cui idcircò ab Andrea Cretensi dicitur: *Gaude ornatissimum diuina Gloria Templum?* Fauet Idiota de contemplatione Virginis capite 2. dum ait: *Tota pulchra es in tua conceptione, ad hoc solùm effecta, vt templum esses Altissimi Dei; tota pulchra es ex generatione diuini Verbi. Tuæ gloriosæ Animæ nihil vnquam adfuit turpitudinis, vitij, aut peccati; nihil defuit spiritalis pulchritudinis, gratiæ, ac virtutis: tot enim habuisti pulchritudines quot virtutes, & singulas in altiori gradu quàm concessum fuerit post filium tuum superbenedictum*.

60 Fauet etiam S. Hieronymus dum ait. *In Mariam verò totius gratiæ, quæ in Christo est, plenitudo venit, quamquam aliter*. Id quia plenitudo gratiæ, prout dicit gratiam habitualem, & virtutes infusas, Christo Domino data fuit ad connaturaliter operandum, non quia humanitas Christi Domini illis egeret, vt esset sancta, nec ad satisfaciendum, vel merendum pro nobis; nam ad hoc sufficiebat persona increata; sed Beatissimæ Virgini, vt esset sancta & mereri posset.

61 Secundò, fuerunt prædicta data Christo Domino, vt capiti. *In*

quo, ait S. Augustinus epist. 17. *vigere debent omnes sensus, vt ex eo magis influxus ad membra deriuetur*. Prætereà quia doctor, & Euangelij Prædicator.

62 Tertio ad excellentiam ipsius; sed Beatissimæ Virgini non vt capiti sed vt collo; & vt magistræ priuatæ; insuper ad dignificandam, & nobilitandam personam Sanctissimæ Virginis. Fauet S. Anselmus qui libro de Excellentia Virginis ait. *Omnia sibi secum possibilia donauit*. Et B. Thomas de Villanoua; *Quid amplius quæris, quid vltra requiris in Virgine? sufficit tibi, quod Mater Dei est. Quanam obsecro pulchritudo, quanam virtus, quæ perfectio, quæ gratia, quæ gloria Matri Dei non congruit; Solue cogitationibus habenas, dilata intellectui fimbrias, & describe apud te in animo Virginem quamdam purissimam, prudentissimam, pulcherimam, deuotissimam, mitissimam, omni gratia plenam, omni Sanctitate pollentem, omnibus virtutibus ornatam, omnibus charismatibus decoratam, Deo gratissimam: Quantum potes, tantum auge; quantum vales, tantum adde: Maior est ista virgo, excellentior est hac Virgo, superior est Virgo ista. Non eam Spiritus Sanctus literis descripsit; sed tibi eam animo depingendam reliquit, vt intelligas nihil illi gratiæ, aut perfectionis, aut gloria quam animus in pura creatura concipere possit defuiße*.

63 Probatur etiam ratione; quia sic magis elucet diuina liberalitas erga Sanctissimam Virginem; & vidit Deus quod gratia sic accelerata futurum erat efficacissimum flabellum ad excitandum Sanctissimæ Virgini amorem erga diuinam Maiestatem.

Probatur Tertio ratione D. Thomæ 3. parte quæst. 27. artic. primo, quia scilicet quo magis aliquod appropinquat principio in quolibet genere, eo magis participat effectum ipsius principij; sed Christus Dominus, est principium gratiæ secundùm diuinam auctoritatem; secundùm humanitatem verò instrumentaliter, & Virgo Sanctissima fuit propinquissima Christo. Ergo, &c.

64 Quod verò receperit maximum augmentum harum gratiarum in die Pentecostes patet ex illis Verbis repleti sunt omnes Spiritu Sancto. Vndè cum esset maximè capax, & disposita ad has gratias, & ex nullo capite repugnabat augeri in ea. Ergo, &c. erat enim viatrix.

65 Suppono pro certo in hac quæstione, quod licèt huiusmodi gratiæ consistant in casu, non implicat tamen, quod diuinitus concedantur per modum habitus facultates quædam pro libito vtendi talibus gratijs.

66 Collige hic quam abundanter se Spiritus sanctus ei communicauerit, & in eminenti gradu, *cum*, vt ait S. Petrus Damianus serm. de Annunc. *statim conceptam totam sibi rapuit Spiritus Sanctus*. Vnde S. Bernardinus sen. tomo 3. serm. 11. eam appellat *Fornacem, ac officinam Spiritus Sancti*. Chrysippus *Pratum totius fragrantiæ Spiritus Sancti*. Andreas Cretensis orat. in Ann. *Nouam Dei Arcam in qua Dei Spiritus conquiescit*. S. Gregorius Nissenus hom. 13. in Cant. *Splendorem Spiritus Sancti*; Methodius in Hypop. *Spiritus Sancti vmbraculum*. Et addit. *In te perbenignus ille conditor feruentissimæ charitatis flammas quasi confertos quosdam solis radios est eiaculatus*.

DISPV-

DISPVTATIO II.

§. II.

De Morte felicissima Sanctissimæ Virginis Deiparæ.

67 Dico primo Sanctissimam Virginem verè obijsse. Est vniuersæ Ecclesiæ sensus; vt in Martirologijs Bedæ, Vsuardi, Adonis, & Romani die 15. Augusti sic, & Andreas Cretensis apud Simeonem Metaphrastem 15. Augusti; Iuuenalis Episcopus Hierosolymitanus apud Nicephorum lib. 2. capit. 23. Euodius Episcopus Antiochenus. S. Ioannes Damascenus oratione prima de Dormitione Beatissimæ Virginis ait: *Hinc aquè mortem suam migrationem, seù potius peregrinationem, dormitionemque dicimus*.

39 Suarez disp. 21. sectione prima affert pro fundamento generalem Scripturæ regulam, à qua non fuisse excipiendam, suadent multa.

Primo, vt sic magis conformis redderetur Christo Domino.

Secundo, vt suo exemplo mortem dulcoraret.

Tertio, vt appareret error eorum, qui dicebant eam fuisse naturæ Angelicæ, quam hæresim recenset D. Thomas in 3. dist. 4. quæst. 2. art. 1.

68 Obijcies primo. Mors à peccato prouenit; sed Beatissima Virgo à lege peccati fuit soluta. Ergo, &c.

Secundo. Ex D. Epiphanio hæresi 78. propugnata hac quæstione ait: *Non autem omninò definio hoc, & non dico quod immortalis mansit; sed neque affirmo, an mortua sit*.

Respond. ad primum, quod Beatissima Virgo obiit, vt particeps naturæ humanæ, quæ spectata conditione naturali est obnoxia morti, & abstrahendo à peccato, &c. vt iam in primo libro monstrauimus. Non vt particeps naturæ vitiatæ per culpam originalem.

Ad secundum Respond. quod sufficit communis Ecclesiæ sensus, & Patrum in contrarium.

69 Dico secundo; probabilissimum esse Beatissimæ Virgini fuisse prænunciatam diem, qua ex hac vita migratura erat.

Ita Simeon Metaphrastes oratione de dormitione Virginis, qui etiam subdit, quod, *significauit* (idest B. V. Maria) *ijs, qui conuenerant id quod ei Filius per Angelum nunciauerat: ostendit autem brauium: quod sibi ab eo datum fuerat: Id verò erat ramus Palmæ*. De quo Ramo

70 Pelbartus in stellario lib. 10. p. 5. artic. 3. cap. 2. ex sermonibus Sanctorum, & præcipuè S. Cismæ cognomēto vestitoris, recēset sic: *Palma verò illa nimia claritate splendebat, & erat quidē Virgæ viriditati consimili; sed; folia ipsius vt stella matutina fulgebant. Et ego fateor me vidisse apud quemdam Comitem Regium particulam quamdam, quæ dicebatur esse de illa Palma, & pro certo erat fulgidissima ad modum micantis stellæ, quasi coloris argentei fulgidissimi, cuius intuitus deuotionem ingerebat contuentibus*.

71 S. Vin-

71 S. Vincentius Ferrerius sermone primo de Assumptione Virginis ait *Statim apparuit sibi Angelus Gabriel salutans eam, & portans ramum palmæ* (& infra) *Ramus ille significabat victoriam quam Virgo habuit de mundo per humilitatem; de Diabolo per paupertatem, de Carne per purissimam virginitatem.*

Et congruum erat, vt ei prænunciaretur quod, & alijs Sanctis non fuit absconditum. Sic, & dignitati Matris, & Amori Dei in Matrem consentaneum erat, & omnia, quæ talem reuelationem promereri possunt in Beatissima Virgine summum eminentiæ apicem attigerunt.

72 Dico tertio Beatissimam Virginem nullo interueniente morbo, seu dolore ex alteratione obijsse.

Ita S. Ioannes Damascenus oratione 2. de dormitione Beatissimæ Virginis Deiparę: *Neque partus pœnam sensit, nec item obitus*. Sic, & Amædeus homil. 7. de laudibus B. V. *An non vita cum itur ad fontem vitæ, & vita æterna à vita perpeti meatu hauritur? hoc haustu indefectiuo ante decessum peruenta est Mater Virgo, ne transitu in ipso, vel leuissimo mortis gressu tangeretur; Egrediens itáque vidit vitam, ne mortem videret; vidit Filium, ne carnis abscessu doleret*. Sic, & S. Vincentius Ferrerius sermone primo de Assumptione. *Hodie est dies Nuptiarum quando sine dolore, & pœna tradidit animam suam in manibus Filij*. Iodocus Clodoueus libro de Assumpt. Mariæ cap. 6. *Tàm fuit à dolore carnis extranea, quàm à corruptione fuerat aliena*.

73 Hinc Molanus cap. 67. ait Beatissimã Virginem morti proximam non esse pingendam in lecto more languentium infirmorum; sed potius flexis genibus; vt de S. Paulo primo Eremita tradit S. Hieronymus. Vide pro supradicta Conclusione Suarez disp. 21. sect. prima, qui refert Moysem solo Dei arbitrio defunctum, & de S. Ioanne Euangelista.

74 Vndè, & Nicephorus libro 2. cap. 42. ait; *Quia hic modus mortis videtur excellentior, & innocentiæ ac puritati Virginis quodammodo debitus; & quia sinè libidine concepit, omnique inordinata concupiscentia semper caruit*. Sic argumentatur etiam S. Laurentius Iustinianus sermone de Assumptione, vbi ait: *Quemadmodum resolutionis carnis imminente articulo, sicut ab omni mentis, & corporis corruptione extitit libera, ita, & à mortis dolore aliena*. Et S. Vincentius Ferrerius serm. 2. de Assumpt. *Virgo sicut sine corruptione concepit, & sine dolore peperit, ita etiam sine dolore in manibus filij animam tradidit*. Sic, & Amædeus homil. citata, & Salazarus in illud Prouerb. cap. 31. *Et ridebit in nouissimo die*. Et Caietanus opusculo de spasimo B. V. insuper vide Galatinum libro 7. capit. 10. ex Doctrina Alberti Magni super *Missus est* capit. 115.

75 Obijcies primo naturaliter anima inclinat ad vnionem corporis; ergo sine dolore naturaliter non potest seiungi.

Secundo naturalis mors non potest contingere sine præuia humorum alteratione, quam necessario consequitur dolor. Ergo etiam si dicitur Beatissimam Virginem occubuisse per extinctionem humidi radicalis, adhuc aliquis dolor necessario est admittendus.

Tertio Christus Dominus pertulit in morte acerbissimos dolores: ergo, & Beatissima Virgo Maria.

76 Respond. Ad primum ex Pelbarto in stellario lib. 10. parte prima artic. 2. maiores motus impedire minores; & sic magnitudo amoris absorpsit omnem motum doloris, qui

ex

ex discrasia corporis solet euenire; nam si Paulus ita ardebat, vt superaret hanc naturalem inclinationem; & SS. Moyses, & Elias præ diuinæ contemplationis dulcedine per quadraginta dies non senserunt famis, & sitis defectus; & SS. Laurentius, & Tiburtius grauissima tormenta pro dulcissimis epulis habuere; vndè S. Augustinus: *Omnia immunia dulcia, & leuia, ac propè nulla facit Amor.* Quanto magis hoc admittendum in Beatissima Virgine, quæ vt Ætna in comparatione illorum ignium exardescebat?

77 Ad secundum Respond. Quod mors veniens per extinctionẽ humidi radicalis non causat dolorem nam fit per calorem naturalem, qui ex se potius est causa lætitiæ. Vide Mendosam in Viridario libro 4. Problem. 10. Comprobatur etiam ex illa inclinatione animæ ad corpus in Beatis, quod sicut hæc non est causa tristitiæ in illis sic nec etiam in Sanctissima Virgine, quæ maiori inclinatione ad vnionem cum Christo Domino in æterna beatitudine, quam ad coniunctionem cum corpore propendebat.

78 Ad tertium Respond. cum Pelbarto loco citato, Christum debuisse suscipere maximos dolores, vt satisfaceret pro peccatis nostris; sed Beatissima Virgo non moriebatur pro peccatis nostris. Huic responsioni addi potest. Satis conformem Christo Domino extitisse tempore Passionis: cum vt ait Amædeus homil. 5. de laudibus Virginis. *Pallidus enim vultus Iesu exanguem reddebat vultum Genitricis, ille carne, illa corde passa est, Denique contumelia, & opprobria impiorum in capite materno redundabant. Mors Domini illi amarior morte fuit; ibi mors morte durior, vbi vita non tollitur, & mortis angustia toleratur.*

79 Quare concludo cum S. Hieronymo sermone de Assumpt. *Et bene quasi Virgula fumi, quia gracilis, & delicata, quia diuinis extenuata disciplinis, & concremata intus in holocaustum incendio pij amoris, & desiderio charitatis, vt virgula fumi ex aromatibus nimirum, quia multis repleta erat virtutum odoribus manans ex ea fragrabat suauissimus odor, etiam spiritibus Angelicis.*

80 Dico quarto Beatissimam Virginem tum vi amoris erga Deum; tum ex Dei voluntate, & beneplacito diem clausisse extremum.

Probatur prima pars auctoritate Guarrici Abbatis sermone 2. de Assumpt. vbi ait: *Denique vt minus miremini languorem meum, amore langueo; langueo plus impatientia amoris, quàm passione doloris; plus vulnerata charitate, quàm grauata infirmitate.* Sic, & Pelbartus libro 10. parte prima artic. 2. quibus subscribit Suarez disp. 21. sect. prima, dum ait: *Addere tamen possumus, quamuis B. Virgo mortua non fuerit vi alicuius morbi corporalis, vi tamen amoris, & ardentissimi desiderij, & intensissimæ contemplationis obijsse.*

81 Sequuntur alij, & fauent illa verba Canticorum cap. 2. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Et videtur conueniens, vt illa Anima Sanctissima à solo amore solueretur à corpore, quo semper ardentisime exarsit; & in suo nidulo velut Sanctisima Fænix ardoribus solis æterni exusta, posteà è funere reuiuisceret, vt habet ille Poeta.

Surgit ab exequijs quo renouata fuit.

82 Et probatur secundo. Quia ex Marsilio Ficinio cap. 9. Comment. in Conuiuium Platonis; ex vehementi amore humor radicalis consumitur, & spiritus vitales resoluuntur, vt ex eorum resolutione corpus debilitatur, exsic-

exsiccatur, & squallet. Vide Valerium Maximum libro 5. capit. 7. S. Gregorium libro 4. Moralium capit. 50. & libro 3. Dialogorum cap. 24.

83 Probatur tertio. Quia in Beatissima Virgine non solùm fuit Amor diuinus absque vlla commotione corporali, consequenter cognitionem independentem à ministerio phantasmatum; sed etiam fuit amor Dei sensibilis, cum nimirum operabatur consueto modo; nam etiam in Beatis corporibus admittitur. Vide Anselmum in Prosol. cap. 25. ab illis verbis *Quid amas caro mea?* nam in Dei obsequium, non solùm pars spiritualis; sed, & corporea concurrere debet; quod indicatur illo præcepto: *Dilige Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota virtute tua;* nam cordis nomine venit appetitus sensitiuus: sic ly ex tota virtute tua. Sed Beatissima Virgo perfectissimè adimplebat hoc præceptum de diligendo Deo: ergo quandoque datis habenis etiam hoc amore in eum ferebatur; quod præcipuè dum ad amati sponsi mœnia appropinquaret concedendum est. Ergo, &c.

84 Verumtamen hunc amorem non attulisse dolorem omnino persuasum habeo; nam non potuit excitari dolor ab amore superiori consideratum sine ministerio sensuum, vt patet; quia dolor de quo loquitur est in parte sensibili, nec etiam ab amore sensibili in appetitu sensitiuo. Primo, quia SS. PP. Vincentius Ferrerius S. Damascenus, S. Laurentius Iustinianus, & Amędeus docent hunc Sanctissimũ obitũ fuisse absq; dolore. Secũdo, quia sicut toto tempore vitæ sine dolore amauit intensissimè (quia vt habet S. Bonauentura libro primo Pharetræ cap. 5. in illud Lucæ *Virtus Altissimi obumbrabit tibi* (ait) *ex qua obumbratione omne in se refrigerium mentis accepit*; quod & in Rubo ardenti significatum est, & in illa fornace in qua non comburebantur tres illi pueri, vt notauit S. Ioannes Damascenus oratione prima de dormitione Beatissimæ Virginis, sic: *Quid, an non te fornax illa designauit, quæ ignem simul, & refrigerantem, & inflammantem ostendebat, diuinique illius ignis in te habitantis typum gerebat?*) Ita etiam vi huius intensissimi amoris vitæ finem gloriosè consummauit.

85 Secunda Pars nostræ Conclusionis probatur. Quia etiam Moyses accedente diuino imperio occubuit Deut. cap. 34. *Mortuus est ibi Moyses seruus Domini, in terra Moab iubẽte Domino.*

Secundo talis modus terminandi vitam integerrimæ Virginis carni erat congruus.

Tertio æquum fuit, vt sicut ex diuino beneplacito incepit esse ex libro primo Reuelationum cap. 9. ita etiam ex diuino beneplacito talis actus amoris interueniret, qui sine dolore imò cum maxima lætitia solueret nexum animæ cum corpore.

86 Quarto conueniebat quod sicut actu obedientiæ Deum ad se traxerat (*Ecce ancilla Domini*) ita simili actu interueniente ipsa ad Deum traheretur, ad quem actum necessaria erat iussio superioris; vbi enim deest superioris præceptum subditi obedientia feriatur. Fauet Metaphrastes qui ex grauissimis Patribus refert in extremis sæpiùs iterasse illa Sanctissima verba: *Fiat mihi secundum verbum tuum* (vnde subiungit) *& cur rursus dixisset: Fiat mihi Domine secundum Verbum tuum, emittit tanquam in somno spiritum, & eum in amicis deponit manibus Filij*. Sic pariter S. Vincentius Ferrerius, qui sermone primo de Assumptione ait: *Et dum sic Virgo loqueretur adest*

adest Christus salutans matrem dicens: Aue benedicta, quæ vitam concepisti, & gloriam inuenisti; ad quem Virgo, paratum cor meum paratum cor meum, in capite libri, scilicet Prædestinationis, scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam.

87 Obijcies in morte sui dilectissimi filij Beatissima Virgo non est extincta, nec propter amorem, nec propter eximium dolorem: ergo nec in hoc casu poterat amor non interueniente dolore, vt afferret mortem.

Respond. ibi diuinitus præseruatam fuisse à morte, sed hic interueniente diuina voluntate talem in ea exortam flammam amoris, quæ maximam lætitiam afferendo solueret nexum sine alteratione, quæ dolorem afferret.

88 Dico quinto Beatissimam Virginem in suo obitu maxima lætitia affectam fuisse.

Habetur in Prouerb. cap. 31. & ridebit in nouissimo die. Vide Salazarum loco dato num. 156. & in Reuelat. S. Birgittæ lib. 6. cap. 62. sic à B. Virgine reuelatum: *Cum quadam die animus meus esset suspensus in admiratione diuinæ Charitatis, tunc anima mea in ipsa contemplatione repleta fuit tanta exultatione, quod vix se capere poterat; & in ipsa consideratione, anima mea à corpore fuit soluta.*

89 Sic Metaphrastes in oratione de Beatissima Virgine, ait *Tota impletur gaudio, & voluptate*. Sic, & Dionysius Carthusianus libro 4. de laudibus Virginis artic. 3. *Ad intuitum dilecti Filij cum incomparabili aspirauit ardore diuinarum quoque rerum contemplationi erat profundissimè tunc intenta. Ergo præ spiritualis suauitatis experientissima, & feruentissima delectatione separabatur sinè pœnaà corpore*. Sic, & Amædeus homil. 7. de laudibus Virginis, & S. Hidelphonsus serm. 3. de Assumptione.

90 Quod, & deducere possumus ex feruentissima charitate, qua semper Deum dilexit cuius fructus proprius est gaudium.

Secundo, ex eo quod tanto ardore cupiebat dissolui, & esse cum Christo.

Tertio, quia conscientia tantorum operum excellentissimorum recreare mirificè poterat.

Quarto, imò ex diuina dignatione tunc degustauit, quàm suauis est Dominus: Vnde Amædeus homil. citata ait: *Transijt autem in visione Dei, & Beatissimam illam animam sole clariorem, & cœlo celsiorem Angelis digniorem Domino exhalauit.*

91 Dico sexto, præparasse se Beatissimam Virginem ad suum obitum:

Primo passione deuotissimæ sui sanctissimi Filij; sic enim ipsa reuelauit S. Birgittæ libro 6. cap. 62. dicens: *Ego paraui me ad exitum meum circumiens omnia loca more meo, in quibus Filius meus passus fuerat, quia ex illorum locorum aspectu efficacior recordatio eorum, quæ pertulit Christus, excitabatur.*

92 Porrò iure in hac Sanctissima meditatione se exercebat non solùm mente, sed etiam corpore vt omnia sua essent perfectissimum diuini incendii holocaustum, in cuius præcipuè recordatione, in quo diuinarum miserationum reseratur abyssus; cœlorum ianua aperitur, charitatis latitudo ostenditur; & quantus sit homo apertissimè demonstratur.

93 Vndè & S. Laurentius Iustinianus de triumphi Christi agone cap. 20. ait: *Vile enim esse non potest, quod Dei sanguine comparatur*. Sic, & ipsa

Sanctissima Virgo cum sciret magis pro deipsa redimenda effusum Sanctissimum illum sanguinem, magis ad eum redamandum promouebatur. Hanc Visitationem Sanctorum locorum testatur etiam Guarricus sermone 2. de Assumpt. sic; *Ob hoc ipsum siquidem creditur in valle Iosaphat commorata, vbi, & sepulchrum eius monstratur, vt ait B. Hieronymus in Ecclesia miro lapidoo fabricata tabulatu, ne scilicet à Sanctis locis longius recederet; sed sapius ea inuisens, licet omnia memoria teneret, formam tamen gestorum velut corporaliter in ipsis effigiatam locis, dulcius amplecteretur, vt vel sic suum aliquatenus amorem solaretur.*

94 Credo etiam sumptione Sanctissimæ Eucharistiæ se muniisse. Ita Pelbartus libro 10. parte prima nam, & singulis diebus solita erat illam recipere; in ea enim renouatur memoria Sanctissimæ Passionis Redemptoris nostri iuxtà Illud S. Romanæ Ecclesiæ *Hæc quotiescumque feceritis in mei memoriam facietis.*

95 Septimo Beatissimæ Virgini morituræ astitisse Apostolos.

Ita S. Dionysius Areopagita de diuinis Nominibus cap. 3. Relatus à Carthusiano, & à Nouato, ait: *Namque, & apud ipsos diuino Spiritu plenos, Pontifices nostros, cum, & nos, vt nostri, plerique ex Sanctis fratribus nostris ad contuendum corpus illud quod Auctorem vitæ, deumq; receperat conuenissemus, aderat autem, & frater Domini Iacobus, & Petrus supremum decus, & antiquissimum Theologorum culmen; vbi post contuitam placuit vt infinitè potentem diuinæ virtutis bonitatem laudarent omnes, quisque pro captu suo. Ille deniq; vt nosti post Apostolos omnibus alijs laudatoribus superior erat, totus excedens, totus se deferens, & eorum quæ laudabat consortium patiens, ab omnibus denique à quibus audiebatur, & videbatur, & agnoscebatur, & non agnoscebatur afflatus Deo, diuinusque laudator esse iudicatus est.* Quod etiam D. Thomas in expositione Dionysius de diuinis nominibus interpretatur de corpore Beatissimæ Virginis.

96 Auctor Schol. in Dionysium ait, hunc diuinum laudatorem fuisse Hierotheum. Sic, & S. Ioannes Damascenus oratione prima de dormitione SS. Virginis Mariæ ait. *Te namque ad tuum peregrinantem accedentemque Filium Spiritus, Angeli Anima iustorum, Patriarcharumque, Apostoli quoque è diuersis finibus filij tui imperio per nubem in Sanctam Ciuitatem diuinitus tracti comitantur.* Sic, & oratione secunda elegātissima descriptione affert Apostolos altissima Theologia eam alloquentes, sacris orationibus eius laudes exarantes, introducentes admirabili prosopopeia Patriarchas, eam veram matrem Messiæ nostræ salutis Ianuam, & nostræ Peregrinationis solatium, ac alijs Sanctis, & deuotissimis vocibus alloquentes introducit.

97 Iuuenalis etiam Episcopus Hierosolym. oratione habita in Concilio Chalcedonensi, ait; *Omnes Apostoli, qui gentilium salutis causa terrarum orbem peragrabant, temporis puncto per altum abrepti Hierosolymam conuenerunt.* Sic, & Nicephorus lib. 2. capit. 21. 22. & 23. Epiphanius Presbyter Constantin. libro de vita, & ortu SS. Virginis. Auctor schol. super opera Dion. & S. Vincentius Ferrerius serm. 2. de Assumptione, qui ait: *Omnes Apostoli, & multi Sancti, & Sanctæ fuerunt in obitu Virginis Mariæ legentes in circuitu Psalterium.*

98 *Dices, quare hoc cum Virgo non indigebat istis? Respond. quod ad exemplum nostrum, quia quando persona laborat in extremis debet habere circa se bonas, & san-*

sanctas personas, quæ legant Psalterium, & Christi Passionem, & vt confortent spiritum, reducendo ad memoriam Christi Domini passionem; nam multæ animæ in illo passu perdunt maximè ex præsentia carnalium amicorum, scilicet Filiorum, &c. & infra, *& per oppositum multi fuerunt malæ vitæ, qui in fine ex præsentia Sanctarum personarum saluantur.* Infra, *ideò dicit Scriptura*. In requie mortui requiescere fac memoriam eius, & consolare illum in exitu spiritus sui. Ecclesiast. cap. 38.

99 *Quare plus de memoria, quàm de alijs potentijs? Respondeo, quia principalis tentatio Diaboli est tunc inducere ad desperationem, & præsentat peccata memoriæ.*

Ideò est necessaria Passio Christi, siue memoria eius, & confortatio spiritus, dicendo, Recordamini quantum Deus misericors est. Hactenus ex S. Vincentio Ferrerio.

100 Confirmatur ex Sacris Imaginibus peruetustissimis in Venerabilibus Basilicis, vel penicillo, vel mosaico expressis, vt in Liberiana in Exquilino monte cognominata S. Maria Maior, quam cum B. Pontifex Sixtus III. à fundamentis iterum amplificasset in parietibus opere vermiculato nonnulla Sacra Simulacra componenda (vt habet Hadrianus epistola ad Carolum Magnum de Imaginibus) mandauit Anno Domini 434. quæ instaurata fuere à Nicolao IV. & à Iacobo Columna Anno 1211. in qua Beatissimæ Virgini alacriter afflanti animam adstant Apostoli alba induti, & crucibus insigniti. Sic & in Basilica S. Mariæ trans Tyberim inter Imagines vermiculato opere elaboratas ab Innocentio II. ex familia Paparesca anno 1138. instauratas.

101 Collige primo, quàm excellens, & quàm gratum Beatissimæ Virgini auxilium quod infirmis, & in extremo positis perhibetur; nam sic sæpissimè dæmones vincuntur, & animæ ab eorum potestate eripiuntur, quod Sanctissimę Deiparæ est vsquequaque acceptissimum. Patet hoc ex eo quod refert S. Gregorius in dialog. Monachum scilicet nomine Theodorum à faucibus teterrimi draconis ereptum. Et in Vita S. Catharinæ Senensis duos latrones erepti eius precibus à damnationis, & desperationis barathro, quod hæc auxilia Beatissimæ Virgini pergrata sint patet ex eo quod, & ipsa morienti filio astitit, & à Deo obtinuit, vt omnes Apostoli suæ morti interessent, nec non, & alij probabilitate eximij, vt testatur S. Vincentius Ferrerius sermone primo de Assumptione.

102 Collige secundo, quanta Sanctitate pollere debent, & Apostolicis virtutibus fulgere, qui ad hoc diuinum munus obeundum destinantur.

Collige Tertio piè credendum benedictionem, quam Apostolis, & Sanctis viris impartiuit, vt ex Damasceno constat extendisse etiam ad alios imposterum Apostolicæ vitæ professores.

103 Collige quarto hæc quæ dicta sunt de assistentia moribundis maximè conuenire Præsbyteris: in Concilio enim Narnetensi C. 4. habetur, quod Sacerdos visitans ægrotum aspergat infirmum, & cubiculum aqua Sancta, cum Antiphona *Asperges me hyssopo.* ℣. *Exurgat Deus*; Deindè cantet septem Psalmos; posteà iubens omnes recedere, appropinquans lecto blandè alloquatur vt omnem spem suam in Deo ponat, vt flagellum Dei patienter toleret, peccata confiteatur, emendationem promittat, pænitentiam pro peccatis com-

missis spondeat; substantiam suam, cum adhuc sensus, & ratio in eo vigent, disponat, vt peccata sua eleemosynis redimat, vt his qui in se peccarunt indulgeat.

Sic, & Concilium Coloniense Anno 136. parte 7. cap. 10. & Synodus Augustiensis Cap. 20. Imò, & Episcopi, si requirebatur hoc munus, exercebant, quod de S. Augustino refert Possidonius cap. 27. Et licèt ad Sacerdotes maximè spectat eos iuuare, tamen & alij non Sacerdotes hoc in eorum absentia præstare poterunt, & salutare erit.

104 Dico octauo Beatissimæ Virgini ex hac vita migranti astitisse omnes Spiritus cælestes in eius obsequium, & famulatum.

Sic S. Bernardus sermone primo de Assump. ait. *Quis cogitare sufficiat, quanto deuotionis affectu tota in eius occursum cælestium regionum prodierit multitudo?* Sic, & Sophronius serm. de Assumptione S. Hidelphonsus serm. 1. de Assumpt. *Vidi Ierusalem descendentem de cælo à Deo ornatam, vt Reginam mundi Mariam secum eucheret in sublimia.* Sic, & Andreas Cretensis oratione 2. de dormitione Deiparæ. *Iam ergo illa innumerabilis eorum, qui Deum honorant Classis, sicut prius diximus frequens erat congregata, & vniuersus super mundanarum potestatum, qui intelligentia percipitur pulchrè instructus cætus, à nullo conspectu desuper aduolans ad spectaculum confluebat admirabile.*

105 Sic, & S. Ioannes Damascenus qui oratione de dormitione B. V. ait *Sed neque cætus Angelorum aberat*, & paulo post, *nullus enim ordo ex his, qui in cælis sunt, qui non vnanimiter affuerit.* Amædeus homil. 7. de laudibus V. etiam, S. Laurentius Iustinianus serm. de Assumpt. Fauent insuper S. Anselmus. S. Petrus Damianus, S. Antoninus, & S. Vincentius Ferrerius.

Decebat enim, vt suam Augustissimam Imperatricem omnes cęlestes militiæ in suo triumpho debito prosequerentur obsequio. Insuper, quia, sicut promeruit gaudium accidentale antiquis Patribus; & SS. Angelis, sic, & par erat, vt grati, & gratulabundi tam benemeritæ Reginæ obitum parentarent.

106 Dico nono, Christum Dominum Beatissimæ Virgini ex hac vita migranti personaliter assistit. (2.) & purissimam illam animam varijs encomijs celebrasse, (3.) proprijs excepisse manibus, (4.) atque Deo Patri exhibuisse.

Prima pars patet, quia summi amoris est enim morienti astare; sic fuit consuetudo veterum, vt testatur Tullius orat. 3. in ver. *Sic Matres miseræ pernoctabant ad ostium carceris, ab extremo complexu liberorum exclusæ, quæ nihil aliud orabant, nisi vt filiorum extremum spiritum excipere sibi liceret.* Sic Ouidius in morte Drusi. Virgilius in 4. Æned.

107 Probatur verò nostra Conclusio auctoritate S. Anselmi de Excell. Virginis cap. 8. vbi ait: *Stipatus mille millibus imò innumerabilibus Angelorum agminibus Deus ipse huic purissimæ Matri suæ de hoc mundo migranti occurrit.* Sic, & S. Antoninus quarta parte titulo 11. cap. 45. §. 3.

108 Secunda pars est Amædei homil. 7. de laudibus Virginis dicentis sic: *Vnde Dominus assistens egressa de corpore, ità prædicat laudes eius.* Tota pulchra est *Mater mea*, & macula non est in te. *Tota pulchra es, pulchra in cogitatu, pulchra in verbo, pulchra in actu, pulchra ab ortu vsque in finem, pulchra in conceptu Virgineo, pulchra in partu diuino, pulchra in rubore passionis meæ, pulchra*

in

in insigni candore Resurrectionis.

109 Tertia pars est S. Vincentij Ferrerij his verbis serm. 2. de Assumptione *Christus inuitauit Matrem dicens ei :* Veni electa mea, & ponam in te thronum meum, quia concupiuit Rex speciem tuam : *Tunc Virgo sicut sine corruptione concepit, & sine dolore peperit, in manibus Filij animam tradidit*. Et S. Ioannes Damascenus orat. 2. de dormitione, ait : *Existimo deinde Regem ipsum obuiam Matri ascendenti venisse, illiusque spiritum proprijs manibus accepisse taliter alloquentem : Accipe nunc Matrem Fili venientem, quam incontaminatam seruare vsque in extremum, & varios tecum mundi dolores subire voluisti, tibi non terra trado corpus meum custodi, quod habitare dignatus es. Ad te me transfer, qui meorum es viscerum conceptus. Ad te propero, qui me continuo visere, & adire solebat, meis carissimis filijs, quos tu fratres vocare dignatus es, mei digressus solatium esto*. Imo, & S. Vincentius supradictus in serm. 1. de Assumpt. ait : *Hodie est dies nuptiarum, quando sine dolore, & pœna tradidit animam suam in manibus filij, & ministri idest Angeli psallentes præcedebant, & sic ducta ad domum sponsi ad gloriam Paradisi.*

110 Quarta pars suadetur ex illis, quæ B. Birgitta ab Angelo accepit, & habetur sermone Angelico his verbis. *Ipsius Virginis animam quando fuit à corpore separata statim super omnes cælos ipse Deus mirificè sublimauit*. Nam si Michael suscipit animas fidelium, vt habet Ecclesia in offertorio pro mortuis, & S. Bonauentura in speculo cap. 30. ex D. Augustino. Certè anima Beatissimæ Virginis omnium cęlestium spirituum Reginæ non à famulo offerenda æterno Patri, sed ab ipso filio : vt sic congruus honor ei à suo Sanctissimo Filio impenderetur : & sic quodammodò ei vices rependeret, à qua toties in vtero, in manibus, & vlnis delatus fuerat.

111 Adde quod cum hæc Sanctissima Anima fuerit, pro qua præcipuè redimenda incarnatus fuit, par erat, vt in qua præclarissimum suæ Victoriæ explicarat triumphum, Deo Patri, vt peculiare donarium offerret.

Fauet etiam Mosaicum in Basilica Liberiana extans.

112 Non est relinquendum hic quod Christus Dominus, ex S. Vincentio Ferrerio dicto serm. 2. de Assumpt. semper in obitu Sanctæ, & deuotæ personæ de cælo venit, ostendens se animæ bonæ, qui dicit. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*. Licèt non in tanto honore; quod etiam habet Iacobus Granado in primam partem tract. 12. de numero prædestinatorum disput. 4. qui adducit Ludouicum Blosium in suo monili cap. primo referentem, cuidam fœminæ Sanctæ hoc reuelatum; ita se amabilem morituris exhibere, vt eum diligant, & peccata omninò detestentur; & innuit Ecclesia illis Verbis : *Mitis atque festiuus Christi Iesu sibi aspectus appareat* : quæ verba audiens Venerab. P. Camillus de Lellis animam suauiter exhalauit, cui interfuit Nouatus.

113 Dico decimo. Plures esse opiniones circa annos, quibus Beatissima Virgo vixit in terris.

Prima est eorum, qui dicunt vnum dumtaxat annum vixisse in terris post passionem Domini nostri Iesu Christi, & tribuitur B. Elisab. & B. Beutramo, quibus dicitur reuelatum fuisse. Vide Canisium lib. 5. cap. primo; quam etiam reuelationem refert Baronius ad Annum 48. Verùm repugnat communis opinio, vt notant S. Antoninus 3. parte tit. 19. cap. 11. Sua-

11. Suarez tomo 2. disput. 21. Sect. 1. qui addit esse inter alias improbabilissimam, vt fundata in reuelatione incerta, & apocrypha.

114 Secunda est aliorum apud Cedronum ponentium annos quinquaginta octo vitæ.

Tertia est aliorum ponentium quinquaginta nouem, sic Euodius apud Nicephorum lib. 2. cap. 3. aliorum vero quinquaginta septem, vt Hippolytus Thebanus ab Epiphanio citatus, & à Baronio relatus.

Quarta est Nicephori libro 2. cap. 21. qui putat obijsse anno sexagesimo suæ vitæ, & est D. Antonini prima parte hist. lib. 6. cap. 3.

115 Quinta est Eusebij ponentis sexaginta duos, vt computat Baronius; quia ponit obijsse anno 48. à Christo nato Olympiade ducentesima sexta anno 2. cui fauet Dionysius Carthusianus libro 4. de laudibus B. V. artic. 6. nam putat vixisse quindecim annos post Christi Ascensionem, & sic 62. vel in principio 63.

Sexta est, quæ ponit obijsse anno sexagesimo tertio, quam ait Baronius fundari in quadam traditione, quę communis appellatur à Canisio libro 5. cap. primo. Vide Hieronymum Bardium in Chronologia anno Christi 48.

116 Septima tribuit ei septuaginta duos annos, & est Epiphanij Præsbyteri Cedreri Cedrni in Cōpendio historiæ; cui, vt verisimiliori subscribit Suarez disp. 21. sect. prima. Canisius loco citato. Baronius in suo Martyrologio sub die 15. Augusti. Benzonius in Magnificat libro primo cap. 26. & est Anselmi in fragmenti post lib. 2. de Imagine mundi; nam licet ibi ponantur octuaginta duo anni, tamen est error impressorum, vt supputanti clarè liquet; nam ponit septem cum parentibus septem cum dimidio in templo. In domo Ioseph sex menses; in quartodecimo Annunciata, quintodecimo peperisse, cum Christo Domino triginta tribus annis vixisse, & post Ascensionem Domini viginti quatuor annis in domo Ioannis Euangelistæ qui supputati sunt septuaginta duo, & non octuaginta duo.

117 Octaua est Mechioris in coniectione epistolæ Beatissimæ Virginis Mariæ ad Messanenses scriptæ, capit. 9. qui putat annos septuaginta quinque vixisse, & plures affert coniecturas, pro cuius explicatione

118 Sciendum est nobis plura esse ignota de temporum varietate; nam Kalendarium vetus constituerunt Hebræi ad aspectum Lunæ. Romani verò sub Iulio Cæsare ad aspectum Solis, quod à Christi fidelibus fuit receptum, & elapsis aliquot sæculis à Concilio Nicæno restitutum in quo plures dies erronei introducti; vndè nouissima, & studiosa supputatione Gregorianum Kalendarium introductum, quod tamen licèt exactissimum paulatim variatur in minutis, & minutionibus morulis, vndè post plura sæcula fallit quoad dies aliquot; hinc rectè vsurpari possumus illud Ecclesiastici primo. *Dies sæculi, quis dinumerauit.*

119 Præterea est dissensio inter Doctores quam ætatem haberet Beatissima Virgo quando Filium Dei cōcepit, nam S. Augustinus, vel quicumque est Auctor libri de mirabilibus Sacræ Scripturæ putat fuisse duodennem quando nupsit. Driedo lib. 3. de dogmatibus tract. 3. cap. 5. putat ante annum 14. peperisse, & nupsisse 13. iam incepto, cui fauet figura, id est, Templum, de quo 3. Regum cap. 7. *Domum suam ædificauit* Salo-

Salomon tredecim annis, & ad perfectum vsque perduxit: Euodius Antiochenus Episcopus Apostolorum successor putat peperisse annum agens quintodecimum, quæ est communior. Vide Abulensem in cap. 2. Matthæi quæst. 91. Caietan. in caput 2. S. Lucæ. Albertum Magnum cap. 39. super *Missus est*

120 Vndè in tanta varietate probabilissimè dicere possumus quod excesserit annum sexagesimum; nam cum ipse Dionysius interfuerit dormitioni eiusdem Sanctissimæ Virginis, vt ipse scribit cap. 3. de diuinis nominibus supra cit. qui non est conuersus ad fidem ante annum à Christi Domini ortu 52. quibus si adiunguntur quindecim anni, quos habebat Beatissima Virgo, quando Christum Dominum peperit, manet ad minus tunc ad annum sexagesimum septimum peruenisse; sed verisimile est, quod à Conuersione, vsquè ad aduentum eius in Hierusalem quinque, vel plurium annorum spatium interiectum fuerit, vt ex Actibus Apostolorum à cap. 18. vsque ad 21. colligitur, quod etiam eruditè adnotauit Baronius postquam plures de hac ætate Beatissimæ Virginis retulit.

121 Nam prædicta verba Dionysij esse intelligenda de corpore Sanctissimæ Virginis, non verò de sepulchro Christi Domini, vt vult Hilduinus, nec de ædibus Ioannis Euangelistæ vt vult Matthæus Galenus, est communis opinio Sanctorum Io: Damasceni orat. de dormitione B. V. Andreæ Cretensis, Epiphanij Præsbyteri, Simeonis Metaphrastis, Nicephori, & Iuuenalis Hierosolymitani apud eumdem lib. 2. histor. cap. 21. 22. & 23. Quibus optimo argumento fauet Baronius refellens; nempè non posse assignari rationem, cur sic Apostoli omnes se contulerint in vnum, cum his discipulis Dionysio, & Hierothæo ad laudandum sepulchrum, vel ædes Ioannis, quæ alias toties viderant. Ergo non videtur credibile per ministerium Angelorum per aera deferri debere ad laudanda hæc, cum hoc non conduceret Religioni, vt conducebat vehi ad obsequendum Sanctissimæ Deiparæ.

122 Verisimile est etiam vltra septuaginta duos annos protrhaxisse vitam, cum Andreas Cretensis sermone de dormitione dicat Virginem ad summam ætatem peruenisse. Patet autem summam ætatem excedere 32. annos.

Præterea verisimile est Dionysium hac secunda vice, qua se contulit, vel delatus fuit ad venerandam Sanctissimam Virginem elapsos fuisse plus quinque annis; nam tunc prima vice, quando à Ioanne ductus fuit iam euolauerant, quod etiam obseruat, Melchior Inchopher. cap. 13. coniectionis Epistolæ Beatissimæ Virginis ad Messanenses.

123 Suadetur etiam hoc primo, quia debuit esse certissimum præsidium fidelibus, in quos Iudæorum immanitas sæuiebat.

Secundò, vt plures merore affectos recrearet; vt enim habet Fridericus Traiect. de Sacr. Im. vsu cap. 7. *Magnum solatium hominibus fuisse videre Mariam in terra, cuius Filius dominabatur in cælo.*

Tertio, vt Apostolos cum opus esset illuminaret.

Quarto, vt suo exemplo plures excitaret ad viam perfectionis currendam.

Quinto, vt vberiori meritorum segete ditaretur.

Sex-

Sexto colligitur ex eo quod Euangelistæ nihil de obdormitione eius scripserunt, vt notant Canisius lib. 5. cap. 2. & Nouatus.

DISPVTATIO III.

§. III.

De Funeralibus Sanctissimæ Virginis Deiparæ.

124 Dico primo. ad Sanctum Deiparæ Corpus plura admiranda patrata fuisse.

Sic testatur Simeon Metaphrastes oratione de ortu, & educatione B. Virginis, quem Græci tanti illum fecerunt, vt Chrysostomum, Basilium, & Gregorium, & Concilium Florentinum Sanctum, & insignem Doctorem eum nominat sessione 7. cui accedit S. Ioannes Damascenus orat. 2. de Dormitione, qui sic cum Metaphraste sentiens, ait: *Tunc morbi discesserunt, Dæmonum ordines aufugerunt, ad subterraneas ex hoc aere sede reuertentes, Aer, ætherque per Spiritus ascensionem, terra verò per corporis depositionem salubritate conualuerunt; sed & aqua huius particeps benedictionis fuit nitidior solito descendere visa. Prætereà surdis auditus restitutus est, claudis pedum bases consolidata, Peccatoribus fides accedentibus, æris alienis chirographa lacerata. Omnes deniq; alicuius opis egētes, aut quoquo modo adeuntes tāti gaudij fructus participes retulerunt.* (Paulo post) *Proditum quoque memoria quando sacrum ferebant corpus propè montis descensum quemadmodum hebræus quidam peccati seruus illum Caiphæ satellitem, qui dedit alapham Iesu imitans, impetu audaci, & temeritate quadam in Sacrum Virginis corpus irrueret, & vtrumque feretri cornu arripiens, ad solum furibundus vsquè trahere conabatur. Sed fructus laborem præuenit, racemumque amarum, & suatemeritate dignum vindemiauit. Dicunt eum à manuum viribus subito destitutum; fuitque prodigium easdem manus integras, simul, & exanimes videri. Qui funus ferebant stupentes constitere, donec mentem illam iniquam ad fidem conuertit, & manus rursus feretro supplex imponens, in integrum est restitutus.* Hoc Damascenus, & Metaphrastes.

125 Quod suadetur etiam ex eo quod in Sanctorum reliquiarum delatione plura miranda patrata leguntur: ergo multo magis in Sancta Sanctorum debet hoc euenire.

Secundo hoc Sanctissimum corpus fuit quodammodo humanæ salutis principium, quatenus ex illius Sanguine Corpus, & Sanguis Christi Domini sumptus est.

126 Dico secundo Beatissimæ Virginis corpus lucem aliquam emisisse.

Fauet Andreas Cretensis in secunno Encomio de Dormitione Deiparæ apud Surium, dum ait: *Erat ergo in medio propositum illud tricubitale, & luminosum corpus Deiparæ, quod Dei verbi totam capiebat plenitudinem, quod quidem dum videba-*

videbatur in lecto vnguento sanctificationis suaui odore perfundebat totam creatam naturam. (Et infra) *Hinc certè factum est, vt diuinorum sapientum præcipui à diuino spiritu arrepti ex insigni lætitia, diuini tunc oblectantis splendoris, id, quod supererat illuminationis in extasim traducentes, illos hymnos diuinitùs inspiratos, illam, inquam, quæ est in hymnis tropologiam, vt poterat vnusquisque attingerent, alius alium excipiens.*

127 Sic, & in Reuelationibus S. Birgittæ legitur lib. 6. cap. 62. ab ipsa Sanctissima Virgine reuelatum. *Hi verò, qui tunc mecum erant in domo quando tradidi spiritum, benè nouerunt ex insolito lumine qualia diuina tunc mecum agebantur.*

128 Nec mirum est si recolas illa duo Encomia de Sanctissima Virgine Andreæ Cretensis Primum est: *Si quid ergo quod nos superat in ipsa, à diuina est dispensatum natura, nemo miretur intuens ad nouum, & inexplicabile quod in ea peractum est Mysterium ab omni infinitate infinitatis infinitate exceptum.*

129 Secundum est: *Quid vero ex ijs, quæ spectant ad ostendenda miracula non productum est admirabile, adeò vt omnium miraculorum, quæ quomodocumque facta sunt, aut fiunt eam esse effectricem in omnium resonet auribus.* Et sanè mentis compos non negabit Sanctissimum illud corpus Maiestatem humana sublimiorem præsetulisse.

130 Dico tertio cum S. Doctore Ioanne Damasceno oratione secunda de dormitione Sanctissimæ Virginis, quod; *Deinde pura Sindone purum inuoluitur corpus, & in feretro Regina omnis memoriæ Princeps ponitur. Post hæc lampades fanalia, Chorus hymni, Angelorum in primis laudes more suo canentium, Sanctorum inde Patrum carmina diuino pulsata spiritu dicentium ordo subsequitur. Tunc demum Domini Arca è monte Syon supra Apostolorũ inclytos humeros sublata per mediam ciuitatem ducitur ad sepulchrum. Et quemadmodum cum Rex Salomon omnes seniores Israel in montem Syon conuenire iussit, vt arcam Testamenti Domini ex ipsa ciuitate in templo, quod ipse constituit, collocarent; Sacedotes, & Leuitæ sacrum onus subierunt, Rex, & omnis populus comites accesserunt, boues, & oues innumerabiles immolata, donec in Sancta Sanctorum sub alis cherubim arca constitueretur: Sic in collocatione noua huius tunc Arca non testamenti, sed Verbi Dei persona; ipse nouus Salomon Princeps pacis, & cælestium intelligentiarum Auctor noui Testamenti antesignanos Apostolos cum omni Sancto populo, qui Hierosolymis commorabatur hodie apud eumdem montem congregauit, & charam inde parentis migrantem Reginam in Sancta Sanctorum Archetypa, & cælestia inter ipsas quatuor formarum alas in penetralibus contra, vbi Præcursor ipse filius primum est ingressus collocauit. Corpus autem Apostolorũ ceruicibus sublatum effertur Sanctorum omnium multitudine. Sacras emittentium voces comitante, & animi optimaque voluntatis hostiam sacrificantium, donec in sepulchri thalamum inferretur, vndè breuiter in Paradisum deliciarum, & cælestia tabernacula euolaret.* Hæc ille.

131 Dico quarto, Sacrosanctum Beatissimæ Virginis corpus demortuæ sepulchro fuisse illatum.

Ita Andreas Episcopus Cretensis sermone de dormitione Deiparæ relatus tomo 2. Biblioth. Impressionis Coloniæ pagina mihi 128. & S. Ioannes Damascenus serm. de dormit. apud Metaphrastem, & Surium. Nicephorus verò libro 2. Histor. Eccles. cap. 22. & 23. ait: *Fuit autem hoc sepulcrum in valle Iosaphat propè hortum Gethsemani.* Ex Andrea Cret. encomio 2. de dormitione B. V. M. apud Surium. Et S. Ioan. Damasc. serm. citato dicit. *Fuit autem non in ima profunditate; sed*

in pede Montis Oliueti parum supra vallem, vt habet Brocardus parte prima cap. 7. §. 47. vbi testatur Nicephorus libro 8. capit. 30. Ab Helena Constantini Matre mirificum fuisse extructum templum, quod à summis Pontificibus in obsequium Sanctissimæ Virginis Indulgentiarum Thesauris decoratum fuit.

132 Putat verò Nouatus fuisse in paterno monumento tumulatum, eo quod ex grauibus auctoribus habetur Sanctissimæ Virginis parentes Hierosolymis ex hac vita migrasse. Ita Iacobus Vitriacus cap. 58. Saligniacus tomo 8. cap. 6. Breidemb. 26. Iulij Pass. d. 197. Vuillelmus lib. 11. Belli Sacri cap. 1. & lib. 15. cap. 26. & sic ibi proprium habuisse sepulchrum, & consequenter Sanctissimam Virginem Vnicam eorum filiam eiusdemque sepulchri fuisse heredem, quod non est credendum à se abdicasse, vt suo exemplo nos instrueret quantum conducat mortis recordationem sæpius excitare.

133 Dico Quinto à Sacrosancto defuncto Virginis corpore omnem corruptionem, & fætoris opprobrium longè semper abfuisse, imò credibile miram suauecolentiam efflasse.

Hoc videtur indicari in Canticis cap. 1. illis verbis. *Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra Cypressina.* Ad quæ verba Guillelmus apud Delrium ait: *Sed cur dicit non tantum domus sua, sed domorum nostrarum?* Respondit. *Quia non tantùm domui Iesu, sed & domui Mariæ hoc priuilegium commune fuit, eo quod Iesus os ex ossibus, & caro ex carne Mariæ fuit; Ideò enim corpus Matris propter corpus filij, cum corpore filij à generali lege corruptionis exceptum perpetuæ imputribilitatis gratia conseruatum fuit.* Vide Alanum apud eumdem Delrium; quod, & indicatur Ecclesiast. cap. 24. dum Cedro, & Cypresso assimilatur; quod & præfigurauit Arca, quæ Exodi 25. iuxta Septuaginta Lectionem ait: *facies Arcam testamenti de lignis imputribilibus*. Quod si à Balsamo inuncta corpora seruantur à putredine, quid non operata fuerit diuini balsami, idest, Spiritus Sancti inunctio in hoc Sanctissimæ Virginis corpore?

DISPV-

DISPVTATIO IV.

§. IV.

De Beatissima Virgine Rediuiua, & in cœlum Assumpta.

134 Dico primo Beatissmam Virginem Deiparam paulo post mortem rediuiuam resurrexisse.

Quod indicatur in Psal. 131. *Surge Domine in requiem tuam, tu, & arca sanctificationis tua*, quod Resurrectionem Redemptoris nostri, & Sanctissimæ Virginis indicat. Vnde Chrysippus Presbyter Hierosolymit. sermone de Deipara ait: *Arca enim verè pratiosissima est Virgo Deipara, qua excepit totius Sanctitatis Thesaurum*. Et Apocalypsis cap. 11. *Apertum est templum Dei in cœlo, & visa est Arca Testamenti eius in templo eius*.

135 Probatur etiam ex Psal. 44. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate*. Vestis est caro iuxtà illud Iob cap. 10. *Pelle, & carnibus vestisti me*. Aurum diuinitatis est Symbolum. Et est communis sensus Ecclesiæ: pro qua est testimonium præclarum Iuuenalis Archiepiscopi Hierosolymit. in Concilio Chalcedonensi relatum à Nicephoro lib. Eccles. Historiæ cap. 23. his verbis. *Iuuenalis Hierosolymorum Episcopus magnus sane diuinoque affatus numine vir, ex vetusta traditione rem hanc sic gestam scriptis suis cum fide confirmat: dicit enim totum triduum Apostolos ad monumentum diuinorum hymnorum carmina audientes perseuerasse: Accidit autem rursum vt Thomas ab eis abeßet, videlicet vt nota perspectaque diuinæ Genitricis fieret assumptio itidem, vt antea Filius eius pro eo; atque decebat post diem tertium Resurrectio ingenti afficiebatur dolore, nec quieto animo esse poterat? quippe qui tanti boni non fuißet particeps: Sacer autem ille chorus iniquum eße iudicaris, si ille quoque diuinum Virginis Matris corpus non spectaret, atque complecteretur aperiri monumentum iubet quod quidem vbi est factum, & desideratum illud corpus non comparuit: sepulcralia tantùm lintea ritè composita loco manebant, itidem, vt filij quoque eius in sepulchro relicta, quæ, & ipse, & qui cum eo aderant cum veneratione exosculati, incredibilique voluptate odorisque suauitate repleti; sepulchrum quidem ad pristinum conformant modum: Miraculum autem ipsum, quasi per manus subindè posteris traditum, ad nos quoque transmiserunt*.

136 Suffragatur S. Athanasius sermone de Sanctissima Deipara, quem licet aliqui negent esse ipsius, tamen ab Ecclesia receptus est sub illius nomine. Alios auctores refert Canisius de Deipara libro 5. cap. 5. & ex Damasceno apud Metaphrastem præclara huius rei argumenta habentur relata à Surio sub die 15. Augusti his verbis. *Sic igitur Sanctissimum corpus præclarissimo imponitur monumento; sed hinc tertio die ad cursus cœlestes in cœlestia transfertur curricula. Non oportebat enim hoc diuinum habitaculum, fontem, qui non potest exhauriri, aqua remissionis, cœlestis panis terram inarabilem, botri ambrosiæ terram inirrigabilem, semper florentem*

tem, & fertilem, oleum paterna misericordia coerceri in sinu terræ sed quomodo, quod ex ea consistit Verbi Dei corpus Sanctum & integrum, & interitui minimè obnoxium tertio die surrexit ex monumento; ita etiam eam eripi è sepulchro decebat, & Matrem transferri ad Filium, & quomodo ipse ad eam descendit, ita etiam eam illi delectissimam ad ipsum extolli in maius, & perfectius Tabernaculum nempè in ipsum cœlum. Et infra,

137 *Oportebat Matrem Dei possidere ea quæ sunt Filij, & tamquam Dei matrem, & ancillam adorari ab omni creata Natura; nam etsi semper à parentibus ad filios descendit hæreditas, nunc, vt dicit quidam sapiens, ad fluuiorum caput fontes procedunt, filius enim vniuersam creatam naturam redegit in matris seruitutem*.

138 Fauent congruentiæ. Prima enim si idcircò dicimus Christum Dominũ cœlum cum corpore ascendisse, vt vulnera Sanctissima æterno Patri ostenderet: Cur non dicemus, & Matrem vt vbera filio demonstret?

139 Secunda, quia Christus Dominus magis pro ipsa redimenda cruciatus pertulit; ergo etiam conueniens erat, vt eius aspectu iucundaretur; iuxta illud comment. Guarrici serm. 2. de Assumpt. *Nec satis glorificatus videbor mihi donec tu conglorificeris*.

140 Tertia; quia Anima Sanctissimæ Virginis naturaliter appetebat vnionem ad corpus, vnde cum exactissimè seruierit ipsi Deo; congruum videbatur, vt hac accidentali gloria non priuaretur.

Hæc Resurrectio communis sensus est quod fuerit tertia die; ratione etiam similitudinis, quæ reperitur inter Christum Dominum, & eius Sanctissimam Matrem.

141 Obijcies Ado, & Vsuardus in suis Martyrologijs aiunt Ecclesiam celebrare dormitionem Sanctissimæ Virginis, at vbi repositum sit eius corpus, magis elegisse cum sobrietate nescire, quam aliquid friuolum, & apocryphum inde tenendo docere.

Respond. cum Suarez disput. 21. sect. 2. Communem Ecclesiæ consensum tam rudium, quam sapientum esse, quod fuerit in cœlum assumpta, nam tali nomine decoratur eius festiuitas, & assumptio localis de corpore dicitur.

Adde, quod, & animę aliorum Sanctorum collocantur in cœlis, & tamen non dicuntur eorum solemnitates Assumptiones.

142 Dico Secundo, Celestem pompam, & applausum quibus Beatissima Virgo in cœlo fuit euecta gloriosissima fuisse propter multa.

Primo, quia omnes Sancti Angeli, & Sanctorum Chori varijs obsequijs, eam comitati sunt.

Secundo, Quia Christus Dominus in eius occursum venit.

Tertio, quia, & à Cælestibus spiritibus, & ab ipsomet Christo sublimia matris encomia celebrata fuerunt.

Quarto; Quia Sanctissima Trinitas eam honorificentissimè excepit.

Describuntur isti apparatus perpulchrè à S. Bernardo sermone primo de assumptione illis Verbis. *Quis cogitare sufficiat quàm gloriosa hodie mundi Regina processerit*, &c. vt in Breuiario Romano.

143 Diuus Anselmus de Excellentia Virginis cap. 7. S. Petrus Damianus sermone de Assumpt. Et quidem decens, & conuenientissimum erat, vt omnes spiritus cœlestes in sublimi triumpho, ei obsequerentur, nam inlucebant omnium illorum virtutes, & dona, vt habet Vbertus Cusa-

ſalius libro Arboris Vitæ capit. 38. quod ei occurrerit Chriſtus Dominus: teſtatur etiam D. Hieronymus ſermone ad Euſtochium his verbis: *Non immeritò creditur, quod ipſe Salnator per ſe totus feſtinus occurrerit, & eam cum gaudio ſecum in throno collocauerit: alioquin quomodo crederetur impleſſe, quod ipſe in lege præcepit;* Honora Patrem, & Matrẽ tuam. *Sicut enim Sanctiſſimæ Virginis eminentia à nulla creatura poterat cognoſci adequatè, ità nec pro dignitate commendari; ſic par erat, vt ab ipſo Christo celebraretur, iuxtà illud Prouerb. cap.* 31. Surrexerunt filij, & Beatiſſimam prædicauerunt, vir eius, & laudauit eam. Quod, & obſeruauit Vbertinus Caſalius loco citato.

144 Quod eam Sanctiſſima Trinitas maximis honoribus affecerit rationi conſentaneum videtur, cum vt ait Gregorius Thaumat. *Per te ò Beata Deipara ſuperſubſtantialis Trinitas mundo innotuit.* Vt patet ex Luca cap. primo. *Inueniſti gratiam apud Deum*, (ecce vnitas eſſentiæ) *Ecce concipies in vtero, & paries Filium, & vocabis nomen eius Ieſum, hic erit Magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur* (eccè duæ perſonæ Pater ſcilicèt, & Filius) *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te* (ecce tertia Perſona) vnde S. Cyrillus Alexandrinus homil. contra Neſtorium, ait. *Per te ò Maria tota Trinitas ſanctificatur.* Ita vt comparatione eius nullus inter creaturas puras eam ſanctificare videatur.

145 Adde quod Beatiſſima Virgo Sanctiſſimæ Trinitati plurimum cooperata eſt in altiſſimis Myſterijs ergo congruum erat, vt Sanctiſſima Trinitas quaſi fœneraria remuneratione peculiari modo Mariam rediuiuam in cęleſti aula inſigniret.

146 Aduerte cum Suarez diſput. 21. ſect. 2. Beatiſſimam Virginem non eguiſſe Angelorum miniſterio, vt ad cœlum eueheretur, nam propria virtute glorioſis corporibus inſita aſcendere poſſunt; dicitur verò Aſſumpta ab Angelis, quia pro dignitate myſterij aderant, licèt non portarent, & quia illa virtus non erat ei connaturális, vt Christo Domino.

147 Puto autem multos Angelos in aſſumptis corporibus miris ornamentis decoratos aſtitiſse, ea ratione ductus, qua Suarez tomo 2. diſput. 57. ſect. 3. putat Angelos in aſſumptis corporibus Chriſto Domino iudicaturo aſtituros eſſe, quia aduentus ille Chriſti erit extremus, & ſenſibilis, & cum apparatu externo, & ſenſibili; ſic, & miniſtri debent ſenſibiliter apparere, vt hæc maieſtas etiam oculis percipi poſsit. Sic de Beatiſsima Virgine, vnde, & pari ratione inſtrumentis muſicis pariter ex aere confectis ſolemnitatem muſicis cantibus condecoraſſe crediderim, vt, & aures in tanto iubilo ſua iucunditate non priuarentur.

148 Coniectura hæc eſt in Aſcenſione Chriſti Domini, in qua Angeli in aſſumptis corporibus, & voce ſenſibili allocuti ſunt Apoſtolos.

Adde, quod dum viueret eam talibus apparitionibus honorarint: quod ſi Lampridius narrat Alexandrum Seuerum muribus Ciuium Romanorum euectum ad Capitolium quaſi de ipſorum omnium amore triumphaſſe; quanto magis id de Beatiſſima Virgine dicendum erit?

149 Dico tertio, Beatiſsimæ Virginis in cęlum aſſumptionem Beatorum ſpirituum gloriam plurimum auxiſſe.

Deducitur hoc ex illis verbis Canticorum cap. 6. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit ſicut aurora conſurgens.* Vbi S. Hieronymus ait: *Mirabatur etiam Spiritus Sanctus, quatenus omnes de aſcenſu huius Virgi-*

Virginis admirantes facit, quod quasi noui diluculi Aurora rutilans ascensu suo in cælo resplendeat.

150 Fuit etiam hoc adumbratum illo Genesis cap. 2. *Fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum.* Per locum voluptatis significatur Beatissima Virgo, vt notauit S. Petrus Damianus sermone de Annunciat. fauet etiam S. Anselmus cap. 8. de excellentia Virginis deuotissimo discursu sic: *O dies tanti occursus gloriosa, & felix, Dies tam præclare exultationis beata, & celebris. Dies tam sublimis glorificationis festiua, & omni sæculo admirabilis; dies enim illa non solum te Domina ineffabiliter sublimauit, sed cælum ipsum quod penetrasti, nec non cuncta, quæ in eo sunt noua, & ineffabili gloria decorauit. Noua quidem cælum gloria decorauit; quia priorem gloriam eius ex præsentia tui, vltra quam dici possit, aut cogitari magnificauit; nam cum tu Domina illuc ascendis, noua illud, & præcellenti virtutum tuarum dignitate irradias, immensaque miserationum tuarum, & gratiarum luce perlustras. Eadem quoque dies ascensus tui eorum, qui ciues ab initio creaturæ esse manserunt, solito festiuiori exultationis gaudio induit, quia gloriosum fecundæ virginitatis tuæ fructum semirutam vident Ciuitatem suam reintegratè. Verè in tuo aduentu per quam tantum bonum meruerunt gaudij sui magnitudo iure debuit augmentari.*

Sic, & S. Bernardinus sermone 11. artic. 2. capit. 3. Vbertinus Casalius lib. 4. Arboris vitæ cap. 39. Sophronius serm. de Assumpt. Petrus Damianus serm. de Natiuit. B.V. S. Bernardus serm. 1. de Assumpt. vt in Breuiario.

151 Multi equidem extitere præclari Heroes, qui Patriam lætificarunt, & exornarunt, sed quid tota lætitia mundi cum minima parte quam Beatissima Virgo patriæ cælesti attulit in sua gloriosa Assumptione? Si Dionysius eam intuitus dum adhuc sub mortali velo erat viatrix vsquè adeò obstrupuit, vt notum est, qua gloria, qua maiestate refulsisse putandum est in gloriosissimo suo triumpho? Si vnius Beati gloria accidentalem gloriam cæteris affert, quid erit gloria Beatissimæ Virginis, quæ gloriam omnium Sanctorum etiam collectiue sumptorum superat?

152 Collige hìc quàm excellens motiuum hoc nobis pro cœlesti gloria expetenda, & toti desideranda affectibus, sit, quo ex aspectu Virginis in cœlo fruamur; nam vt ait S. Bonauentura in speculo cap. 6. *Gloriosum gloriæ Mariæ priuilegium est, quod quidquid post Deum pulchrius, quidquid dulcius, quidquid iucundius in gloria est hoc Maria, hoc in Maria, hoc per Mariam est. Gloriosum omninò gloriæ Mariæ priuilegium, quod post Deum maior gloria nostra, maius gaudium nostrum de Maria est.*

153 Dico quarto in omnes fideles ex Beatissima Virgine in cœlum assumpta plurimum honoris, & gloriæ deriuasse.

Probatur quia: Maria est Mater fidelium, & Matris honor in filios redundat. Vndè S. Anselmus de excellentia Virginis cap. 8. ait. *Terram etiam dies exaltationis tuæ ò Beatissima fæminarum mira gratia irrigauit.* Paulo post. *Quemadmodum enim omnia, quæ in cælo sunt per glorificationem tuam inæstimabiliter decorantur ita per eamdem glorificationem cuncta, quæ in terra subsistunt ineffabiliter sublimantur.*

154 Vndè tenendum quod efficacius nunc in cœlis humanas miserias subleuet, quam quando inter mortales viuebat: sic Hugo Cardinalis ad illa verba: *Et sicut aquaductus exiuit de Para-*

Paradiso; ait, *idest per mortem corporalem directa in cęlum illuc ducens aquas miseriarũ & tribulationum totius humani generis ipsas Filio exponẽdo, & pro ipsis exorando.* Et Andreas Cretensis Encom. de V. dormitione ait; *Quamdiu versabaris in terris te habuit pauca terra portio, ex quo autem translata es à terra, & vniuersus Mundus continet commune propitiatorium.*

155 Et Gerson tractato 9. in *Magnificat* ait: *Rursus Maria voluntate pietatis, qua dicitur aptatio quædam adiutoris petijt, obtinet, nunc efficacius à Deo, quam voluntati simili, sed passibili dum actu dolebat in mundo*, Hoc intelligit S. Bernardus dum ait: *Maria si perdidit passionem, non perdidit compassionem*, Rursus. *Maria tripliciter iuuat viatores. Imperatiuè, si non meritorie propter statum. Commissiuè per aliquos Angelorum, vel Sanctorum, quales voluerit destinare cum sit suprema Hierarchizans post filium, purgando, illuminando, & perficiendo. Cooperatiuè quandoque per principalem sui donationem secundum testimonia miraculorum multis exhibita, tàm in morte, quàm in vita.*

156 Probatur, quia nunc arctiori vinculo vnitur Deo, & consequenter efficacius apud ipsum præualet. Misericordiæ enim Regnum solemni possessione est assecuta. Vnde Gerson tract. 4. in *Magnificat* ait; *Magnificata est ita hodie Beatissima Virgo, & Regina cęli, imò, & mundi, vt iure vocetur habẽs præeminentiã, & virtutem influxiuam super omnes; principatum habet dimidij Regni Dei, si sic dici potest sub typo Hester, & Assueri Regnum quippè Dei consistit in potestate, & misericordia.* (Psalm. 61.) Semel locutus est Deus, duo hæc audiui, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia. *Potestate Domino remanente, venit quodammodo misericordiæ pars Christi Matri, sponsaque Regnanti.* Vide pro hoc argumento Vbertinum Casalium libro 4. Arboris vitæ cap. 38. vbi comparat eam Virgæ Moysi, & concludit: *Virga ista ad cuius eleuationem preparatur via populo Dei, est Gloriosa Maria cuius patrocinio omnis amaritudo pœnæ de populo dulcoratur, diuiditur, & siccatur,*

157 Collige, quàm tuto quilibet etiam perditissimus peccator ad Virginem Sanctissimam Misericordiæ Regnum possidentem confugere possit; vnde S. Bonauentura in stimulo amoris parte prima cap. 4. ait: *Vere Domina mea tu es misericordia Regina, nec est in hac vita sic miser, cui non impetres misericordiam salutarem, si ad tuum declinauerit Regimen.* Et S. Bernardus in *Salue Regina*, ait: *Sub tuo Regimine Domina volo de cætero militare, me totaliter dominationi tuæ committo, vt plenariè me regas; sed cum plenus sim miseria à vertice vsquè ad pedum plantas, & putrefactus fœtorem grauem, & horrorem quomodo dignaberis regere tam nobilis Creatura? Quia tu es Regina Misericordiæ, & qui sunt misericordiæ subditi nisi miseri.* Sic Gerson in Magnificat: *Eccè confugit ad thronum misericordiæ reus iste à Beatissima Virgo Regina misericordiæ defende iura Curiæ Regni tui.* Sic, & infelicissimus iste omnium miserrimus peccatorum factus abbominabilis cœlo, & terræ tuis prouolutus pedibus clamat ignosce veniam obtine, agnitionem suarum culparum impetra, recessum à malo, & prosecutionem boni, ac finalem perseuerantiam de thesauro Sanctissimo Filij tui Redemptoris nostri ei tuis Sanctissimis precibus misericorditer obtinere dignare.

158 Collige secundo; quod quicumque se miseriorem agnoscens eo fidentius pro misericordia obtinenda ad hanc Sanctissimam Deiparam confugit eminentiori modo illam misericordiæ Reginam agnoscit; & dum humilis se submittit, magis se dispo-

disponit ad obtinenda efficaciora miseriarum subleuamina.

159 Collige tertio, Iniuriam Reginæ misericordiæ irrogari quoties quis se miserijs repletum animaduertens ad eam non recurrit; videtur enim ab eius se iurisdictione, cui subest, se subtrahere.

160 Dico quinto. Piè credi posse plurimas animas è purgantibus flammis in honorem B. Virginis in cœlum assumptæ ereptas fuisse.

Pro cuius intelligentia sciendum, quod Beatus non potest impetrare pro animabus purgantibus gratuitam remissionem spectata lege ordinaria, quia hoc non congruit illi statui in quo requiritur æqualis satisfactio. Vide Suarez tom. 4. in 3. partem disput. 48. vndè nec postulant neque pro ipsis satisfaciunt, cum sint omninò extrà statum viatorum.

161 Possunt tamen prodesse eis impetrando, vt eis applicentur propriæ satisfactiones, si quæ eis superfuerunt; cum enim non habuerint suam remunerationem applicari possunt alicui, in quo habeant suum effectum. Sic Suarez cit. nam si poterat dum erat inter viuos pro suo arbitratu eas applicare cui volebat, non videtur debuisse amittere hoc ius post mortem.

162 Secundo, potest impetrare à Deo vt excitet viuentes ad condignè satisfaciendum pro illis.

Tertio, satis probabile posse impetrare à Christo Domino, vt de sua infinita satisfactione tantum applicet, quantum requiritur, vt à pœna liberetur. His positis

163 Nostra Conclusio est Gersonis tract. 4. in *Magnificat* vbi ait: *Non est quidem incredibile Christum fuisse cuius currus erat decem millibus multiplex per Angelos ducens secum multam ex purgatorio captiuitatem, ob honorem nouæ coronationis ipsius, quæ Regina misericordiæ, & Domina gratiæ, & Mater misericordiæ sub cuius imperio sunt omnium iura Regnorum.* Sic & Amædeus homil. 7. de Laudibus Virginis: *Exindè humano generi charitate inenarrabili condescendens, & illos misericordes oculos, quibus cœlum illustratur ad nos conuertens communem pro clero, populo, & vtroque sexu pro viuis quoque, ac defunctis leuat orationem.*

164 Probatur etiam, quia congruum videbatur, vt etiam ex hac parte condecoraretur eius triumphus; vndè, & hoc præmium ei quodammodo debitum videbatur. Prob. quia plurimum humani generis Redemptioni cooperata compatiendo, & deuouendo eum Patri æterno, sic congruum videbatur, vt etiam intuitu ipsius Sãctissimæ Virginis virtus passionis in hunc statum animarum deriuaret maximè ad illas, quæ fide, & deuotione erga ipsam Sanctissimam Deiparam plurimum pollebant dum viuerent.

165 Probatur etiam secundo, quia quodammodo similem animabus Purgatorij pœnam in hac vita pro absentia sui dilecti passa est, & in hoc tantùm dissimilem, quod animæ Purgatorij id eis sua culpa euenire, non sic Beatissima Virgo. Præterea quia erat in statu sufficienti ad videndum Deum; tamen vehemens desiderium quo cupiebat dissolui, & esse cum Christo, & ex eo quod videbatur hoc sibi conuenire, vt Matri Filij Dei ad sua Regna euehi: & præterea aliquando illas delicias transeunter degustabat, nequit explicari, quo tristitiæ stimulo pungeretur; licet ex alio motiuo, vtpotè conformis diuinæ voluntati, & bonum totius Ecclesiæ militantis, ei gaudium afferret; iurè meritò videtur quod talis pœna tali

tali præmio esset remuneranda.

166 Probatur vltimo ex D. Petro Damiano, qui opusculo de varijs miraculosis narrationibus cap. 3. Refert Romæ in nocte Assumptionis quamdam Manziam nomine Romæ apparuisse, quæ precibus Beatissimæ Virginis, se à Purgatorio fuisse liberatam illa nocte affirmauit, & insuper addidit tantam multitudinem per interuentionem Virginis de tormentis Purgatorij ereptam, vt numerum Romanæ plebis excedat, & cum mulier, quam Manzia alloquebatur ambigeret, subiunxit, vt experiaris pro certo verum esse quod loquor scias te transacto anno in eadem festiuitate morituram; & peracto ferè anno prærіdianis cæpit ægrotare vigilijs, & in ipso festiuitatis die vitam terminauit.

167 Fauent S. Bernardinus Senen. serm. 3. de glorioso nomine Mariæ artic. 2. cap. 3. *In fluctibus Maris* Ecclesi. cap. 24. & S. Bernardus serm. 2. de Pentecoste ait: *Ad Mariam sicut ad medium, sicut ad Arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium Sæculorum respiciunt, & qui in cælo habitant, & qui in inferno, & qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui sequuntur, & nati natorum, & qui nascentur ab illis. Illi, qui sunt in cælo vt resarciantur, qui in inferno vt eripiantur, qui præcesserunt, vt prophetæ fideles inueniantur, qui sequuntur vt glorificentur.* Et ex B. Birgitta lib. 6. Reuelat. cap. 10. habetur quod Beatissima Virgo sic aflatur. *Ego sum Regina Cæli, Ego iustorum gaudium, & aditus peccatorum ad Deum: nulla enim pæna est in Purgatorij igne, quæ propter me non remissior erit, & lenior ad ferendum quam aliter eßet.* Vide §. de Natiuit. B. V. Mariæ.

168 Dico Sexto. Beatissimam Virginem postquam in cœlum Assumpta fuit admirabili modo imminuisse, & debilitasse perditorum Spirituum potestatem.

Probatur ex illo quod de ea dicitur Ecclesi. cap. 24. *Quasi cedrus exaltata sum in Libano.* Vbi Hugo Cardinalis ait: *Quia sicut Cedrus odore suo fugat serpentes, Ita Beatissima Virgo Dæmones.* S. Bernardinus Senensis tomo 3. sermone 11. artic. primo cap. 3. *Figurata fuit Beatissima Virgo in figura Arcæ Mosaicæ, de qua Numer. cap. 10. scriptum est* cum eleuaretur Arca, dicebat Moyses. Surge Domine, & dissipentur Inimici tui, & fugiant qui oderunt te à facie tua, *vt Mysticè innuatur, quod quando eleuata fuit Virgo gloriosa ad cælestia Regna, Dæmonis potentia imminuta est, & dissipata; vndè pro illa dici potest illud Ecclesi. cap. 24.* Superborum, & sublimium colla propria Virtute calcaui.

Sic, & Vbertinus Casalius libro 4. Arboris Vitæ cap. 38. Gerson etiam in *Magnificat* tract. 4. qui ait: *Quando scandens ad æthera potestates aereas debellasti.*

169 Probatur, quia possidet perfectum Dominum omnium creaturarum: ergo erga Dæmones illud exercet eorum audaciam reprimendo, & vim comprimendo; vndè D. Bonauentura in speculo cap. 3. *Domina est cælestium, Terrestrium, & Infernorum. Domina inquam hominum, Domina Angelorum, Domina Dæmonum.*

170 Secundo, quia vt cooperatrix humanæ salutis, aereas potestates profligauit; & insignem victoriam reportauit: ergo retinet peculiare ius detinendi tartareos Principes sub seruili iugo. Vide S. Hidelphonsum sermone quinto de Assumptione.

171 Dico septimo Beatissimam Virginem in cœlesti aula exaltatam supra tres Angelorum hierarchias, vt Regina supra seruos habere thronum distinctum à throno Christi

Domini vicinissimum tamen, & potest dici quod constituat Hierarchiam, quatenus Hierarchia dicit statum aliquem perfectissimæ gloriæ.

Probatur ex Gersone tract. 4. in *Magnificat*: vbi ait: *Virgo sola constituit Hierarchiam secundam sub Deo trino, & vno Hierarcha primo, & summo, apud quem Hierarcham humanitas filij sui sola sublimata sedet à dextris virtutis Dei per vnitatem suppositi.*

172 Sic, & Ecclesiast. cap. 24. *In omni populo, & in omni gente primatum habui*. Vbi Hugo ait: *Inter omnes Sanctos, & Angelos principatum obtinui*: & clarè in illa verba huius capitis: *Thronus meus in columna nubis*. Et S. Bernardus sermone primo de Assumpt. ait. *Nec in mundo dignior locus fuit Virginalis vteri templo, in quo Dei Filium Maria suscepit; nec in cælis sublimior Regali solio quo Mariam Mariæ Filius sublimauit*. Amædeus homil. 2. de laudibus Virginis. Richardus Victorinus in Cant. cap. 42. Vbertinus Casalius lib. 4. Arboris vitæ cap. 40. Pelbartus in Stellario lib. 10. parte 3. art. 1. Suarez tomo 2. disput. 21. sect. 4. in fine. Barradius tomo primo lib. 6. cap. 12.

173 Quod eius Thronus sit distinctus à Throno Christi Domini innuit Cardinalis Bellarminus in Psal. 44. à dextris suis idest, *Proximo tibi, & in loco summi honoris infra regalem thronum*. Cuius figura habetur 3. Regum cap. 2. vbi ait: *Salomon sedit super thronum suum, positusque est thronus Matris Regis, quæ sedit ad dexteram eius.*

174 Obijcies Chorus, & Hierarchia important pluritatem personarum. Ergo sola Beatissima Virgo non potest constituere Hierarchiam.

Secundo, Tres hierarchiæ repræsentant Sanctissimam Trinitatem; vndè quia non potest esse quarta persona sic nec quarta Hierarchia, ergo?

Respond. ad primum, idcircò in conclusione positum quod constituat Hierarchiam quatenus dicit statum perfectissimæ gloriæ ad quod sufficit continere eminenter perfectionem plurium Beatorum.

Ad Secundum Respond. ex Pelbarto lib. 10. parte 3. artic. primo, per hoc quod Beatissima repræsentat Sanctissimam Trinitatem, non tolli, quin, & tres Hierarchiæ eam repræsentent, imò cùm eam perfectius quam illæ repræsentaret, meritò hierarchiam distinctam constituere debet: Vnde D. Bonauentura in spec. cap. 7. *Præter assumptam à Verbo naturam nullum est opus nulla creatura, in qua tanta diuina gloria materià reluceat sicut in Maria.*

175 Dico Octauo aptissimum esse Euangelium ex cap. 10. S. Lucæ desumptum pro solemnitate Beatissimæ Virginis Mariæ ob plura mysteria, quæ in eo designantur, præcipuè tamen quia in eo singulariter indicantur duæ Vitæ nempè actiua, & Contemplatiua, in quibus excellentissima fuit Beatissima Virgo Maria. Pro quo argumento Vide Nouatum cap. 9. quæst. 19. plures Doctores, & Sanctos Patres afferentem.

DISPV-

DISPVTATIO V.

§ V.

De cognitione B. V. M. in hac mortali Vita.

176 Dico Primo Beatissimæ Virginis intellectum fuisse diuino lumine irradiatum scientia infusa.

Habetur ex Ecclesiast. cap. 24. *In me ... omnis gratia .... virtutis, & veritatis.* Est S. Ambrosij libro de Instit. Virg. cap. 7. D. Bernardi homil. 4. super missus est. S. Laurentij Iustiniani sermone de Purificat. & Dionysij Richelij in cap. 5. Cantic. vbi ait: *ab initio B. Virgo habuit splendidissimam, & exuperantissimam scientiam sibi infusam.* Et sequuntur Suarez disput. 19. sect. 3. Maxim. Sandæus prima parte Theol. lib. 3. comment. 9. exercit. 2. num. 2.

177 Probatur etiam ratione, quia electa ad eminentissimam sanctitatem: ergo ad euitanda quæcumque leuissima piacula hoc speciale auxilium scientiæ diuinitùs infusæ, vt accommodatissimum ordini diuinæ prouidentiæ non erat denegandum. Nam in infantili ætate intellectus humanus ex Aristotele lib. 3. de Anima tit. 14. *Similis est tabula rasa;* vndè nec tunc, nec in vtero materno potuit sibi comparare eam notitiam, quæ ad dicta eximia opera erat necessaria; ergo fuit illustranda diuino lumine, & ad diligendum Deum, & proximum prout requirebatur, & ad vitandos Dœmonis astus.

Secundo probatur. Adamo, & Euæ, & Salomoni fuit prædicta scientia concessa; ergo non erat deneganda Beatissimæ Virgini.

178 Obijcies ad dicta sufficiebat perennis influxus diuinarum illustrationum, quibus irradiabatur; ergo non erat necesse.

Respond. datum quidem fuisse dictum perennem illapsum; sed etiam præter illum habitum quemdam permanentem scientificum, quo innotesceret Trinitatis mysterium, Promissio Messiæ, saltem quoad substantiam, virtutes morales, & supernaturales, & alia plura ad viatoris perfectissimum, & eminenter honorificum.

179 Dico secundo sapientiam Theologicam diuinitus fuisse infusam Beatissimæ Virgini.

Ex Prouerb. capit. 8. *Ego Sapientia habito in Consilijs, & eruditis intersum cogitationibus:* & cap. 9. *Sapientia ædificauit sibi domum;* idest ait Idiota libro de Contempl. Deiparæ cap. 4. *Te Virgo* sic eam S. Ecclesia *Sedem Sapientiæ* appellat. Sic exponit Hugo Cardinalis illud Ecclesiast. cap. 24. *Qui implet quasi Phison Sapientiam.*

180 Et Rupertus in illud Canticorum primo: *Introduxit me Rex in cellaria sua;* ait: *Quæ sunt ista Cellaria Regis Dei nimirum Sacra mysteria, quæ continentur in Scripturis Sanctis, nam ista cellaria pretiosa sunt meliora cellis aromatum, & argenti, & auri, & apothecis Regiæ suppellectilis, Thesaurorumque vniuersorum antiqui illius Salomonis, sed, & Regum om-*

nium, qui vnquam fuerunt, sunt, & erunt. Vide Alanum in eumdem locum. Gersonem opusculo Canticordio tractatu 2. tomo 2. & super *Magnificat* tract. 12. notula prima vbi ait; *Maria quippè dicitur illuminata, & ipsa lux est, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quanto ampliori lumine perfundit Dominam mundi proindè superest vt Domina illuminata refundat lumen in cæteros*.

181 Prob. etiã ratione: quia sapientia Theologica perficit intellectum in ordine ad altissima munera, & ad beatitudinem supernaturalem; ergo perficit, vt quæ eleuabatur ad concipiendum Filium Dei, eleuaretur etiam ad eum cognoscendum. Imò de ipsa ait Andreas Hierosolymit. sermone 2. *Hæc est finis testamentorum, quem nobis fecit Deus*; (& paulo post) *Hæc summa diuinorum oraculorum*: ergo si ad eam spectabant illis debuit instrui diuinitus.

182 Adde quod ab Hesichio hom. de S. Maria Deipara dicitur, *eam esse Cathedram non inferiorem Cathedra Cherubica*. A Gregorio Thaumaturgo sermone 2. de Annunc. *Thronus Cherubicus*, vbi Cherub sonat Magisterium. A Guarrico Abbate serm. 4. in Assumpt. *Magistra totius veritatis*. Et à S. Cyrillo homil. 6. dicitur *Sceptrum S. Doctrinæ*: ergo si Apostoli Theologi multo magis eorum Magistra.

183 Dico tertio Beatissimæ Virgini primo momento, quo fuit concepta diuinitùs inditam fuisse sapientiam Theologicam.

Deducitur ex Diuo Bernardo homil. 4. super Missus est, vbi de B. V. ait: *Quæ, & plenè de omnibus à principio cœlitus fuit instructa mysterijs*, Qui, & sermone 4 in *Salue Regina*, ait: *Innocens fuisti ab originalibus, & actualibus peccatis*, vt in editione Parisiensi anno 1609. sermone 1. Cœnæ Domini ait Nouatus reperiri expressum.

184 Idem videntur sentire S. Laurentius Iustinianus, & D. Bernardinus tomo 2. serm. 5. artic. primo cap. 2. & tomo 3. tract. de B. V. serm. 6. artic. 3. cap. 4. vbi sic ait, *Prima sui sanctificatione in vtero matris suæ tantam recepit gratiam qua omne peccatum, etiam minimum veniale vitare potuit, & omninò vitauit, quod quidem fieri non potuit, nisi maximam sapientiam acceperit omnium agendorum, & vitandorum, & amandorum, & audiendorum, atque credendorum, & non credendorum*. Et Suarez disput. 19. sect. 3. sub 5. sed quæres. Maximilianus Sandæus prima parte Theolog. lib. 3. comment. 11. exercit. 2. num. 2.

Ratio fundamentalis est, quia ex tunc electa erat Mater Dei, iuxtà illud S. Petri Chrysologi serm. 146. *Aut genitrix quando non, quæ sæculorum genuit auctorem*. Ergo ex tunc debuit ita esse parata, vt perfectissimos virtutum actus, quibus Matrem Dei decebant posset exercere.

185 Dico quarto. Verisimile omnino esse Beatissimam Virginem accepisse scientiæ Theologicæ augmentum, præcipuè in Incarnatione, in Natiuitate Domini, quando morienti astitit, & quando eum Resurgentem vidit.

Habetur ex Suarez disp. 19. sect. 3. Maximiliano Sandæo prima parte Theolog. lib. 3. comment. 9. disput. 2. Idiota libro de Contemplat. B. V. cap. 2. vbi ait; *Spiritus Sanctus superueniens in te puritatem, Sapientiam, & omnium virtutum gratiam adauxit*.

186 S. Laurentius Iustinianus serm. de Annunc. ait; *Tunc ad Deum totum est conuersum cor Virginis noua irradiatum luce*.

Imo probatur ratione ex Suar. quia statui illius temporis consentaneum erat, vt maior cognitio daretur Virgini

gini de mysterio quod in ipsa, & per ipsam perficiebatur; & sic in die Pentecostes, de omnibus quæ ad statum Ecclesiæ pertinent.

His adde quod illis temporibus insignia exercuit humilitatis opera, & vt habetur Prouerb. cap. 11. *Vbi humilitas ibi, & sapientia, vbi fuerit superbia, ibi erit, & contumelia.* Hinc etiam S. Antoninus 4. parte titulo 15. cap. 18. colligit eminentem sapientiam Beatissimæ Virginis.

187 Dico quinto probabilissimum esse Beatissimam Virginem habuisse exactam rerum omnium conditarum scientiam diuinitùs inditam.

Ex D. Bonauentura, qui in speculo cap. 8. sequitur S. Anselmum, qui ait *Omnes Thesauros scientiæ, & Sapientiæ esse in Maria.* Sic, & in sigillo B. V. tomo 2. Biblioth. Patrum D. Antoninus 4. parte titulo 15. cap. 18. qui adhęrens Alberto Magno super *Missus est* ait, *Octauo est omnium creaturarum cognitio.* Et S. Bernardus in *Signum Magnum* ait; *Quæ profundissimam diuinæ Sapientiæ vltrà quam credi valeat penetrauit abyssum.*

188 Gerson in Magnificat tract. 9. parte 3. ait. *Sciat Mariam maiori cognitione totius sæculi cum decursu fuisse præditam, quam Prophetarum, vel Apostolorum, vel Philosophorum cætus vllus.* Vndè cum à Ioanne designatur amicta tribus luminibus sole, stellis, & Luna videtur dici triplici notitia decoratam, idest diuina per solem, superiorum rerum, & causarum per stellas inferiorum per lunam significatam.

189 Est etiam Pelbarti in stellario libro 11. parte 1. capit. 7. & Magistri Ambrosij Taurisini Carmelitæ. Suarez nihilominus, & alij, disput. 19. sect. 5. admittunt tantum infusam eam notitiam rerum naturalium, & moralium, quæ ad perfectam scripturarum intelligentiam ad perfectionem Theologicæ Doctrinæ, & ad confirmanda, & explicanda fidei mysteria conferebat. Ratio eius, & aliorum est, quia non videtur, quod eius mens fuerit detinenda, & occupanda in hac inferiorum rerum cognitione; sed tantum cęlestium, & diuinorum.

190 Nihilominus non videtur conuincere hæc ratio, cum eius mens potius iuuaretur, quo magis illustrata agnotione etiam rerum inferiorum, cum in vnaquaque aliquis diuinæ bonitatis radius reluceat. Et sanè si Adamo, & Euæ indita fuit à Deo scientia rerum naturalium, vt habetur ex Genesis cap. 2. & Ecclesiastici cap. 17. & Salomoni, vt habetur Sapientiæ cap. 7. Ergo multo magis Sanctisime Virgini; nam vt habet S. Bernardus epistola 174 *Quod vel paucis mortalium constat fuiße collatum fas certè non est suspicari tantæ Virgini fuisse negatum.* Vide Gersonem tract. 6. in Magnificat.

191 Pręterea Beatissima Virgo erat finis secundarius rerum à Deo conditarum, vt ait S. Germanus Patriacha encom. ad B. V. in p. Zacharię sic: *Huc ades Perfectio diuinarum ordinationum, huc ades signaculum Testamenti ipsius, huc ades finis ipsius consiliorum*; ergo talis cognitio ad statú eius spectabat nec tempus debebat insumere in his.

192 Tertio communiter à Sanctis Patribus prędicatur Regina, & Imperatrix Cęli, & terrę, vt à S. Ambrosio, S. Athanasio orat. de Deipara à S. Damasc. libro 4. de fide orthodoxa cap. 8. S. Augustino sermone 31. de Sanctis. S. Anselmo de excell. Virginis cap. 4. à S. Petro Damiano sermone 3. de Natiuitate Virginis; *Hodie nata est Regina mundi*; & ab Ecclesia. Ergo ei debebatur talis notitia

Quar-

Quarto talis cognitio plurimum conducebat, vt sic diuinam bonitatem, Prouidentiam, Liberalitatem, & cœtera cognosceret, & ardentius amaret. Ergo, &c.

193 Dico sexto. Esse diuinitùs inditam Beatissimæ V. omnium facultatum cognitionem, quæ ad exactam scripturarum penetrationem attingendam necessaria erat. Vt primo benè dicendi facultas 2. Poesis 3. Musices. Vnde Gerson in Canticordio tomo 2. ait. *Cum Maria fuerit per gratiam sublimata, ne dum super mulieres, & homines; sed super omnes Angelorum choros, quis ab ea musicalem in summo notitiam negauerit?* Sic, & in tomo 3. & probatur ex eius cantico.

194 Quarto, in Geometria, Architectura, & Cosmographia, quæ ad templi Hierosolymitani structuram penetrandam, artificium Throni Salomonis dispositionem, Insularum, & Prouinciarum, de quibus in scripturis mentio sæpissimè habetur.

195 Quinto Aritmeticam, sexto Astronomiam; nam, & in Libro Iob de Anturo, Orione, & Hyadibus, ad distinguendos annos, solstitia, plenilunia, festos dies; & hoc ex Alberto Magno super Missus est. Pelbarto in stellario lib. 7. parte 3. artic. 2. vide D. Antoninum 4. parte tit. 19. §. 2. Collige etiam Philosophiam moralem, quæ est omnium recte agendorum absoluta notitia, sed Beatissima Virgo erat electa ad altissimam sanctitatem: Ergo, &c.

196 Dico septimo. Beatissimæ Virgini datam scientiam per se infusam solutam à phantasmatum ministerio.

Probatur ex illo Eccles. capit. 24. *In me omnis gratia .... virtutis, & veritatis*. Fauent verba S. Bernardi in *Salue Regina* sic *Ipsa totam rationalem creaturam post Filium excellit splendore virtutis, scientiæ*. S. Bonauenturæ serm. primo de V. Maria tit. 3. *Fuit cœlum Empyreum per totius Sapientiæ claritatem*. Gersonis in Magnificat parte 3. *Contemplabatur existentiam Filij sui viuacius per intelligentiam, quàm per solam fidem, & nullo modo imaginationem admittebat imo nec rationem*. Idest discursum, quod non fit nisi per species quidditatiuas independentes à Phantasmatum ministerio. Vnde ab Andrea Hierosolymit. Episc. serm. in Salut. Angelicam tom. 6. 2. part. Biblioth. Patrum ait: *Salue Contemplatiuæ cognitionis Intellectuale speculum*.

197 Et sic quando somno vacabat contemplationi diuinarum rerum meritoriè vacabat, vt habent S. Bernardinus tomo 2. serm. 51. artic. primo cap. 2. Rupertus libro 5. in Cant. cap. 5. ad illa verba: *Ego Dormio, & cor meum vigilat*. Amædeus homil. 3. de laudibus B. V. S. Ambrosius 2. de Virg. in princ. *Cum quiesceret corpus, vigilaret animus*. Et videtur indicare Beda in cap. 11. Lucæ: *Sed indè multo Beatior quia eiusdem semper amandi custos manebas æterna*. Idest sine interruptione.

198 Fauent etiam, qui dicunt à primo momento quo rationis illi vsus illuxit, ab eo amore nunquam cessasse, nec interrupisse. Vide Albertum Magnum in *Missus est* cap. 176 177. & 179. Io: Ouandum in 3. Scoti dist. 3. quæst. 5. artic. 1. orationem quartam diuinitus S. Birgittæ reuelatam, quæ ait; *Et quando aliquando dormiebas, voluntatem tamen tuam ab eo numquam mutabas*. S. Petrum Damianum, qui serm. 3. in Natiuit. B. V. *Tendebat ad sublimia intentione continua cordis*. Videtur etiam innui ex Prouerbior. cap. 31. *Non extinguetur in nocte lucerna eius*.

199 Sic videbatur exigere perfectissimus Amor Zelotypus Dei erga Beatissimam Virginem cuius vis est vt omnia, quæ in amato sunt, vel esse possunt, desideret trahere in sua iura.

200 Secundo. Beatissima Virgo nullis de repente motibus, nec irascentis, nec concupiscentis partis fuit turbata. Hoc docent Medina 3. parte quæst. 27. artic. 4. Concl. 2. Egidius lib. 4. de effect. gratiæ Virg. præseru. quæst. 2. artic. 10. & Gerson in Magnificat tract. 5. notula prima. Sed hi motus oriuntur ex mutatione corporea, vel ex imaginatione; sed primæ imaginationes non sunt in nostra potestate, vt habet etiam S. Ambr. de fuga sæculi: ergo ad reprimendos primos motus aptissimum diuinæ prouidentię medium fuit hæc scientia, Ergo, &c.

201 Tertio fuit maximè accommodata ad rapiendam intensiori affectu Sanctissimam Virginem in Dei obsequium, & amorem; sic enim absque temporis interiecta morula, quamplures diuersarum virtutum actus exercere poterat cum talis scientia non sit discursiua circa obiecta multa.

Quarto. Fuit apta ad conseruandam optimam Virginei corporis temperiem.

Quinto. Erat Angelorum Regina, etiam dum viatrix erat; ergo ei debebatur talis modus, sicut Angelis, qui etiam viatores sic intelligebant.

Sexto. Phantasmatum vsus nō solùm ex conditione habituum, & specierum desumitur; sed etiam ex alligatione animæ ad corpus, & imperfecto dominio erga ipsum; vndè in Resurrectione quando habebit perfectum dominium non indigebit phantasmatibus, vt docent Conimbricenses disp. 4. de Anima separata artic. 2. ergo talis modus erat debitus Beatissimæ Virgini, quæ perfectissimè etiam in hac vita dominabatur corpori.

202 Obijcies hæc scientia ideo dabatur in Christo Domino, quia quoad animam erat compræhensor; & sic vt Beato debebatur modus cognoscendi talis. Sed Beatissima Virgo erat tantum viatrix; ergo non ei debebatur talis cognitio.

Respond. quod licet illi non esset debita, vt erat Christo Domino, idest ob illam rationem; nihilominus plures erant congruentiæ, quibus suadetur efficaciter tali scientia fuisse decorandam, vt sic esset simillima Christo; nam vt ait Richardus à S. Victore 2. parte in Cantic. *Ipsa igitur singulariter species Christi præ omnibus speciosa, Christoque simillima*. Hoc enim exigit amor, vt in non repugnantibus fiat similitudo ea maior, quæ esse potest.

Porrò qualis sit, & quotuplex sit hæc scientia infusa vide Ioannem de Lugo disput. 20. sect. prima, eam pro dignitate tractantem.

203 Dico octauo. Scientiam Beatissimæ V. infusam, non fuisse propriè, & formaliter discursiuam saltem quoad aliqua obiecta, quia cognoscebat intuitiuè per species Beatissimæ Virgini inditas quidditatiuas essentię, & proprietates rerum, quoad aliqua; tamen est probabile discurrisse, sicut de Angelis docent arguere de creaturis existentibus ad alias possibiles, quarum non habent species, nec vident eas in aliquo obiecto cum quo habeant connexionem. Porrò potuit esse discursus virtualis, vt si ex prædictis speciebus agnoscebat mysteria fidei, & Incarnationem futuram, quia Deus prima veritas ei reuela-

uelauerat, & potuit esse formalis in vsu illarum specierum repræsentantium virtutes Theologicas, non quidditatiuè, & euidenter. Vide Vbertinum Casalium in Arbore Vitæ Crucifixi Iesu lib. 1. cap. 8.

204 Dico Nono. Beatissimam Virginem potuisse per eam scientiam cognoscere plura simul obiecta etiam si nullum ordinem, & conuenientiam haberent inter se. Nam sic, & Angelus, & se ipsum, & alia obiecta per dictam scientiam simul cognoscit. Et hoc vel per vnam cognitionem, & speciem plura repræsentantem, vel per plures cognitiones adminiculo plurium specierum elicitarum.

205 Obijcies. Vnius motus vnus tantùm potest esse terminus: Ergo vnius cognitiones vnum obiectum.

Respond. terminum esse intrinsecum motui, sed obiectum esse extrinsecum.

206 Obijcies secundo. Plura non possunt habere eamdem præsentiam realem; ergo nec intentionalem.

Respond. Quod ad realem requiritur existentia, in tali loco, tempore, &c. sed ad præsentiam intentionalem, non requiritur existentia; sed sufficit conceptus obiectiuus.

207 Obiicies tertio ex 4. Met. c. 10. Contingit multa scire, cogitare autem non

Respond. Loqui de Scientia dependente à phantasmatibus. Secundo: mentem eius esse non contingere tot simul cogitare quot sciuntur.

208 Dico decimo Beatissimam Virginem fuisse semper in actu 2. dictę scientiæ quoad aliqua obiecta.

Primo. Probatur ex Patribus supra relatis.

Secundo, quia hoc est eminentioris perfectionis.

Tertio, quia ad perennem amorem eiusdem SS. Virginis multum conferebat; nam vt ait Gerson tract. 9. in Magnificat. *In altari cordis sui ignis semper ardebat holocausti, fuit enim rubus semper ardens incombustus.*

Quarto, quia data ei ad promærendum. C. quia dolor vehemens trahit ad perennem sui considerationem.

209 Non tamen in ordine ad omnia obiecta, quæ à diuina scientia repræsentabantur, vt ait Vasquez 3. parte disput. 13. cap. 2. Suarez tomo 1. ad 3. partem disput. 28. sect. 4. nam, & Chistus Dominus aliquando feriabatur ab actuali cognitione scientiæ infusæ circa aliqua obiecta.

Secundo quia hæc Scientia erat per modum habitus.

Tertio; quia virtus intellectiua est finita, & limitata.

Quarto vsus illarum specierum, quæ non habent realem obiecti præsentiam subdebantur libero Sanctissimæ Virginis imperio.

210 Dico vndecimo: Nullam esse repugnantiam cur non potuerit Beatissima Virgo eleuari ad cognoscenda simul omnia obiecta, ad quæ scientia illa infusa extendebatur.

Nam virtus licèt finita potest eleuari ad producendum quemcumque effectum. Tamen defacto communicatam solum talem perfectionem supernaturalem in ordine ad huius scientiæ vsum; quæ est iuxtà connaturalem modum Scientiæ contradistinctæ à Scientia Beata; quod etiam de Christo Domino sentit Suarez tomo. 1. in 3. partem disput. 28. sect. 4. imò, & alij. vndè non est sufficiens fundamentum adstruendi eam in Beatissima Virgine.

211 Dico duodecimo. Sub hac infusa Sanctissimæ Virginis scientia compræhendi non solùm species inditas diui-

diuinitus;sed etiam habitum eiusdem per se infusum.

Pro cuius intelligentia sciendum est indifferentiam intellectus non solùm considerari in ordine ad obiecta, quatenus scilicet de se est indifferens vt cognoscat potius hoc obiectum, quàm illud; sed etiam in ordine ad modum, quatenus scilicet potest benè, vel male, facilè, vel difficile suos actus exercere; sed per species determinatur ad primum, idest ad obiectum, per habitum verò ad secundum. Quo posito:

212 Probatur nostra Conclusio à simili, quia in visione Beatifica non solùm concurrit essentia diuina; sed etiam habitus idest lumen gloriæ; sic, & actus fidei supernaturalis cum sit supernaturalis non solum indiget specie se tenente ex parte obiecti; sed etiam habitus complentis potentiam in ratione potentiæ: ergo, & in hac scientia infusa.

Secundo: quia potentia intellectiua Beatissimæ Virginis esto esset de se completa in ordine ad intellectionem naturalem, non tamen in ordine ad intellectionem supernaturalem; ergo egebat alio comprincipio quo compleretur, quod nequit esse nisi habitus.

213 Obijcies poterat eadem simplex qualitas exercere munus speciei, & habitus. Ergo, &c.

Respond. quod licet dari posit talis qualitas, tamen sufficiens fundamentum ponendi duplicem qualitatem habemus ex modo connaturali operandi SS. Virgini; nam etiam in ordine naturali species supponunt potentiam intellectiuam completam in ordine potentiæ, quæ in ordine supernaturali completur per habitum contradistinctum.

214 Obijcies secundo: Saltem in ordine ad res naturales quas per talem scientiam intelligebat non egebat tali habitu.

Respond. negando illationem; nam ad obiectum materiale in quod fertur actus naturalis, potest etiam tendere actus supernaturalis; sicut quantumcumque sit materiale potest in illud tendere actus spiritualis.

215 Obijcies tertio. Vndè constat tales actus fuisse supernaturales in Beatissima Virgine?

Respond. ex eminentissima gratia, quæ illam ad superiorem ordinem eleuabat, & sic debebantur ei cogitationes supernaturales cognoscendi, & amandi; nam, & hoc conceditur Angelo dum erat in via; inter cuius societatem infusam, & Angeli nullum aliud discrimen, nisi quod carentia illius dependentiæ à sensibus & phantasmatibus erat debita Angelo naturaliter; sed Beatissimæ Virgini non competebat connaturaliter, eo quod eius anima Sanctissimo esset alligata corpori; sed ex singulari Dei priuilegio.

216 Dico Tertiodecimo. Probabilius esse Beatissimam Virginem non multiplicem habuisse, sed vnam qualitatem tantum habitus scientiæ per se infusæ; si loquamur de illa scientia per se infusa, quæ includit species quidditatiuas per quas euidenter obiecta repræsentantur.

Probatur primo. Quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate; nam, & habitus fidei infusus est vnus virtute simplicis qualitatis; & tamen non potest extendi ad alia mysteria, quæ prius ignorabamus.

Secundo, quia omnia obiecta scientiæ infusæ conueniunt in vna ratione formali talis veri intelligibilis per hanc scientiam infusam.

Tertio: quia potentia intellectiua

est vna ; ergo, & habitus perfectus qualis est infusus debet esse vnus.

Quarto possibilis est talis habitus; & sic magis fit conformis Beatissimæ Virginis vnitati,& simplicitati scientiæ Dei, quæ vbi nos legimus in Cantic. cap. 2. *Amica mea*, vertunt septuaginta: *Proxima mea*, Et S. Hidelphonsus de Virg. contra Iouin. capit. 1. ait. *Proxima mea, adhærens Deo, coniuncta Deo*. Est autem sermo de illa scientia, quæ includebat species quidditatiuas; &c.

217 Dico quartodecimo: Hanc scientiam fuisse perfectiorem scientia per se infusa Angelis viatoribus, quoad species vniuersaliores.

Fauet S. Bernardus in *Salue* dum ait: *Sicut Sol vniuersa cæli lumina præcellit, sic ipsa totam rationalem creaturam post Filium excellit splendore virtutis, & scientiæ*. Et S. Antoninus 4. parte titulo 15. cap. 17. *Cognitio B. Mariæ excessit omnem cognitionem, & modum cognoscendi, quem habuit aliqua creatura in tribus gradibus, scilicet, eleuata puritate, qua excessit omnem viatorem; medij eleuantis improportionabili qualitate, videlicet gratiæ plenitudine, cui æqualis nulla alia creatura esse potuit, & eleuantis qualitate, qua illam præ omnibus dilexit, & præ omnibus secum copulauit*.

218 Probatur ea ratione D. Thomæ, qua probat Angelos habere species vniuersaliores, quia Deo propinquiores; nam Deus intelligit omnia per vnam speciem increatam. Ergo, &c.

Confirmatur. Quia, vt ait S. Laurentius Iustinianus serm. de Purific. B. M. *Super Angelorum, Archangelorumque transcendit gratiam, quod de Mariæ carne Verbum factum est caro; quod integritate custodita Virgo generat, fecundat Spiritus, Deum parit fœmina, quod sit Mater, & filia, ancilla, & Domina*.

Confirmatur secundo; quia Maternitas Dei pertinet ad ordinem vnionis hypostaticæ naturæ humanæ cum Verbo diuino. Ergo scientia infusa perfectior, quàm ea quæ Angelis concessa.

Probatur secundo, quia quæ in inferioribus sunt dispersa, in superioribus sunt vnita; sed Angeli sunt inferiores Regina Angelorum: ergo species, quæ in inferioribus multiplicantur, debent in ea vniri.

219 Dico quintodecimo. Probabilissimum esse, quod asserit Albertus Magnus super Missus est cap. 149. idest scientiam hanc infusam, non solùm ad plura obiecta; sed etiam ad varia priuilegia extendendam esse.

Quæ sic explicat ibi. *Beatissima Virgo in cognitione sua plura habuit priuilegia.*

Primum est perfecta cognitio Trinitatis Dei sine medio, quam habuit in via per specialissimam gratiam.

Secundum est perfecta cognitio Mysterij Incarnationis; & hanc habuit per gratiam, & singularem experientiam.

Tertium est cognitio scientiæ prædestinationis, quam habuit per reuelationem, & gratiam.

Quartum est animæ suæ, & spirituum per species proprias cognitio, quam habuit dispositiuè per naturam, & completiuè per gratiam, & secundùm hanc vidit Angelos, animas, ac Dæmones.

Quintùm est perfecta cognitio omnium ad statum viæ pertinentium, quam habuit per gratiæ infusionem, & inspirationem; & hæc comprehendit perfectam cognitionem scripturarum, operandorum, & contemplandorum.

Sextum est cognitio circa se futurorum, quam habuit per reuelationem, & in speculo lectionum.

Septimum est omnium ad statum Patriæ perti-

pertinentium cognitio, quam habuit per contemplationis reuelationem.

Octauum est omnium creaturarum stantium cognitio, quam habuit per naturam, & per gratiam, & contemplationem.

Nonum est quod habuit matutinam per gratiam, vespertinam per naturam, & gratiam.

220 Sic & S. Antoninus 4. parte titulo 15. cap. 18. §. 2. & cap. 19. Similia habent S. Bernardinus tomo 2. serm. 51. artic. 1. cap. 2. Pelbartus in stellario lib. 11. parte prima cap. 7. & Magister Ambrosius Taruisinus. Suarez etiam disput. 19. lect. 3. opinatur Beatissimam Virginem habuisse cognitionem supernaturalem per se infusam quoad lumen, & species ita vt obiecta fidei modo Angelico per altiores species illi fuerint diuinitus proposita. Verum supradicta doctrina est fusius explicanda per sequentes Conclusiones. Et sic.

221 Dico Sextodecimo omnes res materiales per talem scientiam ei fuisse repraesentatas.

Nam si eas cognoscebat (vt supra conclusimus,) probabilius est eas independenter à Phantasmatibus cognouisse; tot enim phantasmatum agmina sine miraculo non potuissent perseuerare, & durare; cum secundùm variationem spirituum animalium varientur, & depereant.

222 Secundo. Talis cognitio Angelis concessa fuit, & eis non repugnat: habent enim prouidentiam inferiorum iuxtà illud Ecclesiastes cap. 5. *Neque dicas coràm Angelo non est prouidentia*, quem locum in hoc sensu explicat etiam S. Thomas. Ergo multo magis Sanctissimae Virgini conuenire debuit, quae post Christum Dominum superior pluribus titulis, etiam in hac mortali vita extitit; & electa fuit, vt diuinae prouidentiae in multis cooperaretur: ergo non minus quam Angelis, ei conueniebat; nam, vt ait S. Basilius Seleuciae Episc. orat. in Annunc. Deiparae. *O ter Sacrosancta Virgo, de qua qui omnia illustria dixerit, is nunquam à veritatis scopo aberrauerit.*

223 Dico XVII. Per hanc scientiam cognouisse omnia, quae futura erant à causis naturalibus, quatenus ab illis futura erant sine interuentu vllius causae liberae. Quia haec scientia etiam admittitur à principio fuisse in Angelis; vndè, & Sanctus Augustinus libro de diuin. daemonum cap. 5. ait: *Daemones in aeris affectione, atque ordinatione futuras praeuidere tempestates:* Ergo, &c.

224 Secundo habebat speciem infusam causae naturalis determinatae ad talem effectum producendum. Ergo cognouit etiam effectus.

Probatur consequentia, quia non potest cognosci ordo realis causae ad effectum quin simul etiam cognoscatur effectus; Nam si Astrologus per caelestes causas aliquos effectus infallibiliter futuros praedicit: quanto magis Beatissima Virgo?

Hoc est tantùm discrimen inter caelestes, & inferiores, quod caelestes à solo Deo possunt impediri; inferiores verò à multis alijs.

225 Verum Beatissima Virgo non solùm nouerat inferiores, sed caelestes, & quidquid ex illis concurrentibus, & se mutuò impedientibus sequuturum erat; nam ad hoc necessarium tantum erat cognoscere, & concursum illum, & quid ex eo concursu sequuturum esset; quae optimè Beatissimae Virgini nota erant, dixi quatenus ab illis futura erant; Nam cum posset Deus denegando suum concursum non posset tunc per illam speciem certo sciri; sed tantum sub

conditione: idest si permittitur agere, secundum suas inclinationes.

226 Dico decimo octauo Beatissimam Virginem scientia per se infusa cognouisse res Spirituales à Deo conditas, idest Angelos, & animas Rationales.

Probatur, quia earum omnium Regina, etiam in terris. Vndè S. Laurentius Iustinianus serm. de Annunc. *Salutat illam Angelus tamquam sibi Dominam*. Sic cum ea pluries agebant familiariter in templo, vndè idem Sanctus Doctor sermone prædicto ait; *Turbata est non ex aspectu Angelico quasi insolito, quippè eam iugiter visitabatur ab illis*. Ergo requirebatur cognitio distincta.

227 Dico decimonono, Beatissimam Virginem scientia per se infusa cognouisse Deum terminatiuè, abstractiuè, indirectè, seù immediatè.

Probatur, quia cognoscebat quidditatiuè res à Deo creatas, quarum species proprias habebat; sed istæ dicunt ordinem ad creatorem: Ergo in rebus creatis cognoscebat hunc ordinem, & Deum esse terminum illius, & maximè in Angelis, & animabus rationalibus.

228 Obijcies. Ergo mediante discursu cognoscebat Deum, ex creatoris scientia infusa.

Respond. Negando illationem; nam hæc cognitio est in alio, at discursus est ex alio.

229 X X. Probabilissimum est Beatissimam Virginem habuisse cognitionem supernaturalem quoad lumen, & species, ita vt obiecta fidei illi fuerint proposita per species diuinitùs inditas independentes à phantasmatum ministerio.

Est Suarez disput. 19. sect. 3. Probatur, quia possibilis est talis modus, & in Angelis est à multis Theologis admissus, & pluribus ex capitibus congruebat Beatissimæ Virgini.

Primo ad maiorem, & perfectiorem vsum gratiæ sanctificantis.

Secundo, quia aliqua priuilegia ei concessa supponunt hunc modum cognoscendi, vt dispositio prima, qua se conuertit ad Deum in primo instanti suæ Conceptionis pro sua Sanctificatione.

230 Dico X X I. non fuisse Beatissimæ Virgini inditam speciem quidditatiuam Dei, & hoc non quia repugnet; sed quia vel otiosa mansisset, vel effecisset vt videret Deum permanenter; quorum neutrum dici debet, tanto minus, quod Sancti Patres, nec clarè, nec obscurè aliquid innuunt de hac re.

231 Dico X X I I. Verisimile est Beatissimam Virginem per hanc scientiam tali lumine, & talibus speciebus à phantasmatibus independentibus fuisse illuminatam, vt distinctiori quidem cognitione, quam ea, quæ per simplicem fidem infusam habetur non tamen euidenti mysteria fidei, quoad substantiam, & veritates seù Conclusiones, quæ in eis continentur, attingeret.

Nam posita possibilitate talium specierum non quidditatiuarum, quas in Angelis probant multi Theologi manet probata hæc conclusio ex dictis iam superius, in Conclus. 2. & 9.

232 Dixi (non euidenti,) quia nullum est fundamentum ponendi, quod habuerit scientiam per se infusam, & euidentem supernaturalium mysteriorum fidei.

Dixi (quoad substantiam) nam certum est antequam Filium Dei conciperet non cognouisse omnes circumstantias mysterij Incarnationis,

nis, vt ex qua fœmina Deus esset assumpturus carnem, quo loco, & quo tempore.

233 Dico XXIII. Pie, & probabilissimè credi posse à tempore conceptionis inditam Beatissimæ Virgini scientiam, per quam quidditatiuè, & intuitiuè cognosceret aliquas res supernaturales; vt Mysterium Incarnationis non quidem vt includit integrum terminum suum; sed quoad modum vnionis, qui fuit in humanitate, & gratia diuina.

Fauet S. Gregorius Thaumaturgus, qui de Beatissima Virgine loquens ait: *Nosti ò Maria, quæ Patriarchas, & Prophetas latebant: didicisti ò Virgo, quæ adhuc Angelis fuerant abscondita; audisti ò Sanctissima, quæ nunquam diuino spiritu afflatum meruit audire Moyses, & Dauid, Isaias, & Daniel, cunctique Prophetæ de ipso prædicarunt; sed modum rationem que ignorarunt; tu verò sola ò SS. Virgo, quæ his omnibus ignota fuerunt mysteria; nunc suscipis*, causamque intelligis; *nam vbi Spiritus Sanctus, cuncta promptè, ac incunctanter perficiuntur*. Dum ergo Angelis, Prophetis, & alijs Sanctis mysterium Sanctissimæ Incarnationis fuit reuelatum non solùm certò sed etiam euidenter; dum maior cognitio tribuerit Sanctimæ Virgini euidenter fuisse constat.

234 Fauent etiam alij Patres; & primò, Auctor sigilli B. V. tom. 12. Biblioth. PP. vbi ait: *Ipse quippè fons Sapientiæ in ea mansionem fecerat, & ideò omnes Thesauri Sapientiæ, & scientiæ*. Sic, & S. Bonauentura in speculo cap. 8. *Et quia Dominus sapientissimus, est tecum, tu es sapientissima, & secum sapientissima per ipsum*. Vbi citat, & sequitur S. Anselmum dicentem: *Thesauri Sapientiæ, & scientiæ sunt in Maria*. Sed sic est, quod ex eadem forma loquendi colligunt Theologi in Christo Domino fuisse scientiam per se infusam nonnullarum rerum supernaturalium: ergo ex eadem in Beatissima Virgine colligi potest.

235 Sic tuetur S. Antoninus quarta parte titulo 15. capit. 17. quam piam, & probabilem putat Suarez tomo 2. in 3. partem disp. 19. sect. 3.

Probatur, quia non repugnat talis cognitio sicut hæ res creatæ, & finitæ perfectionis arguuntur, possunt dari species, & habitus sic lumen eiusdem rationis, quæ illas quidditatiuè repræsentent: ergo Beatissimæ Virgini concedi debet, & præcipuè circa mysterium Sanctissimæ Incarnationis, cum talis vnio fuerit executioni mandata ipsa cooperante, consentiente, materiam corpoream subministrante, & vt Instrumento à Deo eleuato, quod præter Auctores citatos §. de Annunciatione Dominica lib. 1. innuit apertè Guerricus Abbas sermone primo de Purificatione his verbis. *Gratulor, & congratulor tibi gratia plena, quæ misericordiam genuisti, quam suscepi, cereum præparasti, quem accepi; tu ceram ministrasti suscepto lumine, Virgo Virginum Virgini, dum incorrupta Mater incorruptibile Verbum incorrupta carne vestisti*. Nota ly, *vestisti*, indicat actiuum influxum.

236 Probatur secundo quoad cognitionem euidentem gratiæ. Ideò enim in Christo Domino admittitur à Theologicis, quia ipse est Auctor gratiæ, & supernaturalium mysteriorum: ergo debuit habere perfectam notitiam eorum: ergo, & B. V. quæ auctorem gratiæ peperit: & quia per ipsam gratia sanctificans in fideles deriuauit, Accipe Guarricum Abb. sermone primo de Assumpt. vbi ait: *Mater est omnium ad vitam renascentium, mater siquidem est vitæ, qua viuunt vniuersi, quam dum ex se genuit, nimirum omnes,*

qui

qui ex ea victuri sunt quodammodo regenerauit, vnus generabatur: sed nos omnes regenerabamur. Sic S. Aug. de S. Virg. ait: *Fuit Mater spiritu non capitis nostri, quod est ipse Saluator, à quo illa magis spiritualiter nata est: sed planè mater membrorum eius, quæ nos sumus, quia cooperata est Charitate sua, vt omnes fideles in Ecclesia nascerentur.*

237 Confirmatur, quia par erat vt cognosceret pulchritudinem, & dignitatem sui Sanctissimi filij ad quam maximè necessaria erat talis cognitio vnionis hypostaticæ, & gratiæ: & sic etiam congruebat, vt cognosceret perfectè dignitatem, & pulchritudinem suorum spiritualium filiorum.

Confirmatur vltimo; quia hæc cognitio plurimum conferre poterat Beatissimæ Virgini ad illius voluntatem ardenti amore inflammandam erga Christum Dominum.

Dixi non cognouisse intrinsecè terminum; quia ad hoc requirebatur visio Beatifica.

238 Obijcies primo: Hæc vnio est velut nexus, & actualis inexistentia, & adhæsio humanitatis ad Verbum: Ergo non potest videri nisi in Verbo; ergo non potuit Sanctissima Virgo per scientiam per se infusam eam videre.

Suarez tomo primo ad 3. partem disput. 27. sect. 3. pluribus modis eam soluit, hic videtur accommodatus, nempè quod ille modus vnionis dicit ordinem ad Verbum, vt est terminus illius, & ideo potest cognosci quidditatiuè, quin cognoscatur quidditatiuè terminus. Sicut creatura, quæ ducit in cognitionem primæ causæ potest cognosci quidditatiuè intuitiuè quin cognoscatur Creator: nam solum ducit in cognitionem virtutis productiuæ: Sic, & dictus modus solum explicat in personalitate virtutem terminatiuam: & sic potest cognosci quidditatiuè dictus modus, quin cognoscatur quidditatiuè personalitas Diuina: sicut etiam potest cognosci quidditatiuè forma absque eo quod cognoscatur adequatè eius effectus formalis, quia non causatur propriè à forma, nec continetur in ea, nisi quatenus solum continet entitatem compositi inadæquatè.

239 Obijcies secundo, gratia Diuina est participatio quædam diuinæ naturæ: ergo non potest cognosci quidditatiuè quin cognoscatur quidditatiuè diuina natura.

Resp. Negando consequentiam; nam intellectus creatus, & ens creatum sunt participationes entis, & intellectus increati, & tamen possunt quidditatiuè illa cognosci absque eo, quod quidditatiuè cognoscatur. Sic ista, & gratia diuina in tantum dicitur participatio diuinæ naturæ, in quantum ab ea, vt à causa efficienti, vel exemplari producitur.

240 Dico vigesimo quarto. Probabile esse quod Beatissima Virgo saltem in apparitione Christi Domini rediuiui intuitiuè viderit visionem Beatam animæ Christi Domini.

Fauet Amedeus homil. 6. de Laudibus B. V. sic dicens. *Surrexit enim, & erexit animum Matris suæ, iacebat illa velut in quodam arctissimo mæroris tumulo, donec Dominus iacuit in sepulchro illo, namque resurgente reuixit spiritus eius, & quasi de graui somno euigilans solem Iustitiæ, & radius resurgentis in luce matutina respexit. Intuita est ortū surgentis Auroræ, & precedentem in filio futuram carnis resurrectionem pascebatur oculis in carne fulgida resurgentis, & mente cernebat gloriam diuinitatis, vt intus, & foris egrediens, & ingrediens frueretur pascuis veræ, sempiternæque felicitatis.*

241 Probatur etiam secundo congruentijs. Primo, quia tunc maximo

erat

erat exhilaranda gaudio ob incredibilem dolorem, quem passionis tempore pertulit.

Secundo, quia in ea Sanctissima Resurrectione futuram nostram Resurrectionem agnoscere debebat, vt notauit idem Amadeus, congruum erat vt etiam de gloria resurgentium ei constaret.

242 Obijcies. Visio Beatifica terminatur ad Deum quidditatiuè: ergo non poterat à Sanctissima Virgine quidditatiuè videri, quin videret quidditatiuè Deum; non potest enim in Visione Beatifica videri Deus, nisi eo modo quo per eam repræsentatur quidditatiuè.

Respond. negando primam consequentiam ad probationem Respond. habere locum tantum in eo cuius intellectus informatur à dicta visione Beatifica, non tamen in eo in quo formaliter non est ipsa Visio Beatifica; sed tantum illam vidit, nam non vidit immediatè Deum in se; sed mediante alio medio idest obiecto, quod est visio beatifica in qua nō cōtinetur ipse Deus formaliter; sed tantùm repræsentatiuè. Simile habemus de Angelo, qui videt quidditatiuè sensationem, vt auditionem, vel saporem & tamen ipse non audit, aut gustat.

243 Obijcies ex Suarez disput. 19. Sect. 3. § 3. quod ex Patribus non habetur sufficiens fundamentum adstruendi hanc scientiam intuitiuam supernaturalium mysteriorum.

Respond. Patres supra allatos sufficienter nobis eam indicare, maximè eam expressè indicare videntur Albertus Magnus S. Bernardinus Senen. S. Antoninus, Dionysius Richel C. 5. Bernardinus de Butto in mar. serm. 2. & 9.

244 Obijcies cum eodem. Vel esset otiosa, vel parum vtilis ergo nam cum sit supernaturalis & per se infusa eumdem cum fide ordinem haberet, atquè adeò non minus certa, & per consequens superflua; & sic fides, vel esset superflua, vel minueretur exercitium eius; Vndè cum hęc scientia non exigeretur ad perfectionem sanctitatis, & meriti, nec Viatorum statui esset accommodata; non est cur ponatur in Sanctissima Virgine.

Respond. quod cum habitus scientiæ, & visionis beatificæ possint esse simul, & actus earum successiuè multum conferebat vtraque ad amorem, & meritum: Adde quod cum per hanc scientiam non attingeret mysterium Sanctissimæ Trinitatis, circa eam sola fide versabatur ordinariè, & per consequens circa mysterium Incarnationis quoad terminum vnionis hypostaticæ, idest Verbum.

245 Propterea forte idem Suarez hanc nostram solutionem eadem Sect. 3. appellat piam, & probabilem maximè de tempore post Filij sui Sanctissimi Conceptionem.

Tamen Verisimile putat Nouatus à primo Conceptionis B. V. momento sacrum eius intellectum hac scientia fuisse irradiatum; cum per proprium actum fuerit sanctificata, & postea diuersis temporibus aucta.

246 Dico Vigesimo quinto. Quod supposita distinctione scientiæ infusæ in scientiam infusam per se, & infusam per accidens: Nam hæc est quæ alioquin poterat acquiri ab hoc subiecto; sed tamen hic & nunc infunduntur, idest, dantur species similes omninò illis, quæ per externos sensus à nobis acquiruntur, idest in ordine ad sensus, cuiusmodi scientia fuit in Adamo, in Salomone, & regulariter in Prophetis. Illa verò est, quæ postulat ex natura sua infundi, & non acquiri à subiecto, quæ vel sit per

per species inditas à sensibus quidditatiuas, quibus cognoscuntur Immaterialia, &c. Alia verò, quæ fit per species non quidditatiuas quales fuerunt in Angelis circa obiecta fidei, dùm erant viatores. Probabilissimum est Deum indidisse aliquas species phantasmati Beatissimæ Virginis ex quibus illius Intellectus agens abstrahebat suas species intellectuales, & sic erant similes illis, quæ habentur in scientijs acquisitis.

247 Est Caietani tertia parte quæst. 27. artic. 3 Viguerij in Institut. Th. capit. 5. Iacobi Christonopolitani in Cantico Deiparæ. Carthusiani libro de laudibus B. V. artic. 22. Francisci Pitigiani ad 3. Scoti dist. 3. quæst. 1. Barradij tom. 1. Cant. lib. 6. capit. 3. Vasquez 3. parte dist. 119. cap. 3. Suarez disput. 4. sect. 7. & disput. 19. sect. 7. §. dist. 2.

248 Probatur primo, quia hoc priuilegium alijs concessum, nam Prophetis inditæ species, quibus futura, & absentia, ac si essent præsentia monstrabantur cum propria figura, & circumstantijs.

Secundo, quia si non fuissent inditæ tales species sequeretur, quod non habuisset scientiam nisi rerum occurrentium, atque ideò de paucis obiectis, & de ijs non nisi longo tempore; qua ratione mouentur Theologi ad admittendum in Christo Domino præter scientiam per se infusam, aliam ex suo genere acquisitam; sed per accidens infusam.

Adde quod hæ species, & modus intelligendi cum ordine ad phantasiam, & sensus, erat valdè proportionatus animæ Sanctissimæ Virginis, prout erat alligata illo Sanctissimo corpori.

249 Dico XXVI. Probabilissimum esse Beatissimæ Virgini species scientiæ, ex suo genere acquisitæ, & per accidens infusæ, non fuisse simul inditas, sed successiuè.

Ratio est quia ex vna parte organa paulatim disponuntur, & attemperantur ad vsum rationis prius circa magis sensibilia posteà circa minus sensibilia. Ex alia parte B. Virgo non habuit vllam operationem quæ regulariter exigitur pro statu humanæ conditionis in hac vita, nisi dependenter ab organo corporeo, & dispositionibus naturalibus, sicut alij homines; vndè nec ambulauit nisi prius habuerit Sanctissima Cruce consolidata, nec comedit antequam haberet dentes, & consequenter, nec habuit operationem intelligendi dependenter à phantasia, antequam organum phantasię esset benè dispositum; ergo probabilissimum est species horum obiectorum non fuisse inditas nisi eo ordine, quo organum dispositum & attemperatum erat; ita vt in qualibet ætate haberet scientiam ex suo genere acquisitam, quam illa ætas exigebat.

250 Obijcies loquendo connaturaliter species phantasiæ ita pendent à sẽsatione externa, vt ab ea generentur; sed de facto fuerunt Beatissimæ Virgini inditæ independenter à sensatione: ergo etiam organo phantasiæ non disposito.

Respond. solum in generari pendere ab externa sensatione; sed tam in generari quàm in perpetuo vsu pendent à dispositione organi; nec mirum, quod Deus suppleat causam necessariam parte generationis, non tamen dispositiones requisitas; nam, & Christo Domino dedit perfectam notitiam linguarum, sine aliorum magisterio, & propria industria, & tamen non habuit earum vsum, quãdo organum non erat expeditum, vt in

in infantia, & in somno.

251 Probabile tamen existimo à primo Conceptionis momento aliquas huiusmodi species fuisse Beatissimæ Virgini inditas; nam, & tunc ei illuxisse credo rationis vsum per miraculosam humorum attemperationem, quare cùm habuerit phantasiæ organum ita dispositum, sicut exigebat vsus rationis; sequitur aliquas species huiusmodi ei fuisse tunc inditas.

252 Obijcies: Ergo in Beatissima Virgine non fuit infantia vera; sed apparens: Probatur; nam de ratione infantiæ est non habere organum phantasiæ ita dispositum.

Respond. negando consequentiam per manifestum exemplum. S. Ioannes Baptista, qui in vtero matris habuit huiusmodi scientiam, vt habet Origenes homil. 7. in Lucam; & videtur assentiri S. Hieronymus dum epist. 7. ad Lætam cap. 2. ait: *Ioannes Baptista ad introitum Mariæ exultauit, & lusit, audiebat enim verba Domini per os Virginis, & de vtero Matris.* Quæ scientia in eo perseuerauit, & tamen non fuit impedimento illius infantiæ; nam in cæteris actibus se gerebat vt infans, & erat similis alijs infantibus: sic, & Beatissima Virgo, quæ non obstante dicta scientia in actionibus extrinsecis habuit omnia, quæ exigit illa infantilis ætas, exclusis nugis, & ineptijs, vt non ambulare nisi post dispositionem naturalem pedum, dentibus in illa carere; lac à Sanctæ Annæ vberibus sugere, & cætera huiusmodi.

253 Dico XXVII. Beatissimam Virginem per hanc scientiam plura cognouisse, primo enim cognouit, vel omnia, vel quàmplurima singularia existentia sensibilia, per species proprias, reliqua verò per species alienas.

Probatur quia præter ea, quæ eius sensibus obijciebantur, plura sciebat. Ergo verissimè est omnia sciuisse, quæ existunt, quia hæc cognitio maximè decet Reginam hominum, vt etiam modo humano illi inesset talis scientia quæ superaret omnem hominum scientiam.

Secundo, cognouit etiam aliqua ex possibilibus nam si Salomon habuit notitiam rerum materialium, quæ sunt de facto; scientia B. Virginis debuit illam superare.

254 Fauent Sancti Patres, qui dicunt cœlestia dona in ea eminenti modo fuisse: Idiota enim ait libro 2. de Contemplat. B. V. *Adest tibi omnis gratia naturalium bonorum, spiritualium Charismatum, & cælestium donorum.*

Tertio aliqua etiam ex Sacris paginis, nam erat modus maximè accommodatus animæ B. Virginis alligatæ corpori. Dixi *aliqua*, nam de multis, ab Angelis, & à Christo Domino erat instruenda; vt sic saceret ille intellectus haberet pabulum exercendæ humilitatis, & submissionis; sic per prædictam scientiam verisimile est cognouisse plures facultates, vel necessarias, vel vtiles ad Sacram Scripturam intelligendam.

255 Obijcies. Scientia per se infusa ad hæc se extendisse. Ergo frustra scientia hæc per accidens.

Respond. quod sufficit fuisse perfectionem intellectiuam; nam etiam in Christo Domino erat hæc, & per se infusa, & Beata.

258 Dico XXVIII. Beatissimam Virginem per reuelationem plura cognouisse.

Probatur ex illo Canticor. capit. 2. *En dilectus meus loquitur mihi*, quæ etiam de interna locutione Christi Domini ad cor SS. V. Deiparæ acci-

pienda sunt; vndè S. Laurentius Iustinianus serm. de Purificatione ait: *Quod enim ex scripturarum Auctoritate, seu, ex reuelatione didicerat, hac memoriter retinebat*. Et Andreas Cretensis sermone de Assumpt. appellat SS. Virginem *Fontem, qui non possit exhauriri diuinarum reuelationum*; Et idcircò ait S. Anselmus libro de excell. V. cap. 7. *Virginem accepisse ea hora, qua concepit Filium, suæ prædestinationis, & super omnes choros Angelorum exaltationis certam atque indubitatam reuelationem*.

257 Sic, & S. Ioannes Damascenus oratione 1. de dormitione, plura etiam ab Angelo illi reuelata ad mysterium Sanctæ Incarnationis spectantia ait, Hidelphonsus de S. Virg. cap. 10. *Sic Domini tui nuncius eras, sic directus à Domino tuo veneras, sic missionis Dominicæ iussa perficiebas, sic sanè ordinationis regia secreta complebas, vt verè quod in cœlis de Patris Verbo cognoueras, Matri de incarnando Verbo referres, quod de cœlestibus attuleras terrenis imprimeres, & quomodo se Filius Dei nasci vellet ex homine simul, & auribus induceres hominis, & cordibus inferres humanis. Tu Sanctus Angelus Gabriel de Verbo didiceras, quæ de Verbo referebas, de Verbo cognoueras, quæ cognoscenda de Verbo narrabas, de Verbo hauseras, quibus hauriendam Virginem propinabas*.

255 Secundo; cognouit etiam aliqua ante diem Pentecostes futura ad Christum Dominum, & statum Ecclesię spectantia, vt habet Gerson in Magnificat tract. 19. *Sic contemplabatur mens Maria quemadmodum erat futurus Deus homo factus Iudais in scandalum, & gentibus in stultitiam, & derisum, voluit à magnificatione Domini sui canticum inchoare significans nihil in depressionem diuinæ magnificentiæ factum esse per Incarnati Verbi mysterium*.

259 Hinc meritò à Sanctis Patribus vocatur Prophetissa; vndè S. Hidelphonsus sermone 2. de Assumpt. *Hinc quaso Fratres mei audite Matrem Prophetissam Dei, Prophetissam dico, imò (vt ita dicam) Euangelistam*. Nam illa acclamatio, qua prædicanda erat Beata ab omnibus generationibus pendebat à libera hominum voluntate. Ergo,

Tertio; In die Pentecostes fuisse reuelatum credo Beatissimæ Virgini statum futurum Ecclesiæ, & accepisse talia complementa donorum Prophetiæ, & discretionis spirituum, vt cognosceret cogitationes cordium, nam si primo cognouit, vt in illa futura acclamatione. Ergo multo magis post.

260 Dico XXIX. Quod cum sit triplex reuelationum genus,

Primum per species similes nostris speciebus dependentes à Phantasia; quibus inter alios S. Birgitta fuit eximiè illuminata.

Secundum per species similes speciebus Angelicis, quales habuere ipsi Angeli viatores circa obiecta fidei.

Tertium verò cognitio rerum in verbo per claram Dei visionem.

Beatissimæ V. reuelationes, quæ erant primi generis spectabant ad scientiam per accidens infusam; licet essent de obiectis in quorum notitiam solus labor humanus ducere non poterat, sed reuelationes secundi generis spectant ad scientiam per se infusam, licèt non essent per modum actus transeunter, tamen ad hoc sufficit, quod essent per dictas species.

261 Dico trentesimo, Beatissimam Virginem in nullo doctrinæ genere fuisse à puro homine verè instructam.

Nam nequè ex Patribus, neque ex coniecturis habemus quod vel à Sacerdotibus in templo, vel à mulieribus præ-

præfectis eiusdem puellarum; quæ erant in templo, vel à Ioanne Euangelista, vel ab aliquo alio quidpiam didicerit; nam in ijs in quibus ab illis instrui poterat erat sufficienter per scientiam infusam instructa; nam si S. Ioanni Baptistę concessum est à Spiritu Sancto sinè ministerio hominum legere, scribere, concionari, &c. multo magis Beatissimæ V. id datum fuisse dicendum est.

262 Obijcies, à Simeone in die Purificationis fuit edocta, quod positus esset Christus Dominus in ruinam, & in resurrectionem multorum.

Respondet Suarez disput. 19. sect. 2. Simeonem non propter Virginem instruendam; sed propter alios, & propter Ecclesiam illa prophetica verba protulisse; direxisse verò sermonem ad B. Virginem, quia ad ipsam specialiter pertinebant.

263 Et confirmatur, quia hoc erat expressum in scripturis præcipuè Isaiæ cap. 8. vt explicant S. Petrus p. Canonica cap. 2. & S. Paulus ad Romanos 2. & ad Hebræos cap. 2. in quibus Sanctissima Virgo erat versatissima; vndè & S. Laurentius Iustinianus sermone de Purificat. ait: *Quod enim ex Scripturarum auctoritate, seu ex reuelatione didicerat, senis admonitione percepit*. Vndè tantum excitata ad actualem considerationem eius cuius iam habebat species impressas.

264 Dixi, *à puro homine*, nam à Christo Domino plura didicisse credendum est. Ita Guarricus Abbas sermone primo in Assumpt. *Habitans cum ea pascebat eam incomparabili piorum suauitate morum, & diuinorum desiderabili sapientia sermonum*.

265 Dixi *verè*; nam puto se subiecisse magisterio Sacerdotum, vel aliorum, sicut aliæ puellæ in templo; sicut se subiecit Purificationis legi, cui non tenebatur, nec indigebat.

Vnde ad rationem dubitandi, Responderi potest hoc fuisse perfectionis submissionis exemplum, dum non renuebat se subdere Magistris, quos Sapientia longè superabat.

Suarez tamen disput. 19. sect. 2. putat non de substantia; sed de Circumstantijs à puro homine potuisse instrui.

266 Dico trigesimoprimo Beatissimam Virginem ab Angelis didicisse aliquid.

Satis euidentissima apparet conclusio nostra ex Lucæ cap. 2. vbi de Gabriele Angelo misso a Deo.

267 Dico trigesimosecundo Beatissimam Virginem plurimum profecisse in cognitione diuinorum, lectione, & frequenti meditatione.

S. Ambrosius libro 2. de Virginibus, ait *Tunc minus sola esse videbatur, cum esset sola, nam quomodo sola cum tot libri adessent, & tot Archangeli, tot Prophetæ?* Sic, & S. Augustinus sermone 5. de Natiuit: *Reuolue Maria propheticam lectionem, neque enim te scientia potest diuinorum præterire librorum quæ ipsam plenitudinem paritura es Prophetarum*. Ita Origenes homil. 6. in Lucam, & S. Laurentius Iustinianus serm. de Purificatione.

268 Vndè Albertus Magnus comment. Super cap. 1. Lucæ refert nouem illuminationes Beatissimæ Virginis.

Prima per lectionem scripturæ collecta.

Secunda studio rationis inuenta.

Tertia oculo contemplationis percepta.

Quarta Familiaribus Angelorum apparitionibus cordi inuecta.

Quinta Crebris Dei reuelationibus clara.

Sexta per haustam diuinæ dulcedinis, & gustum & experimentum certissimum infusa.

Septima per salutationem & doctrinam Gabrielis infusam

Octaua per aduentum Spiritus Sancti, & virtutis Altissimi superspleudidè donata

Nona per inhabitationem totius Diuinitatis in ea corporaliter superimpleta.

269 Ratio dictæ conclusionis est, quia intellectus humanus ex sua naturali virtute habet vt ex iterata actuali consideratione eorum, quæ non adequatè, nec intuitiuè intelligit clariorem notitiam assequitur, & ex ea ad alia cognoscenda eleuatur maxime in SS. Virgine vbi cuncta erant perfectissimè disposita,

Præterea. Deus semper maius lumen infundit creaturæ, quæ per amorem erga eum se disponit; vnde Ecclesiast. cap. 2. *Diligite, & illuminabuntur corda vestra*. Hinc & *in meditatione exardescit ignis* vt habet Regius Psaltes; quid ergo de Beatissima Virgine dicendum erit?

270 Dico trentesimotertio Beatissimam Virginem profecisse realiter perquotidianam rerum experientiam in scientia acquisita accipiendo nouas species obiectorum, quæ sensibus experiebatur.

Probatur primo. Quia etiam Christo Dominu deferunt Theologi tale incrementum, & Patres quorum plures affert Maldonatus in illa verba S. Lucæ cap. 2. *Proficiebat scientia, & ætate*. Plures etiam citat Vasquez tomo 1. ad 3. p. disp. 55. capit. 2. qui ad minus de scientia experimentali intelligendi sunt; vnde, & dicitur, quod didicerit obedientiam *ex iis quæ passus est*.

271 Secundo, percipiebat obiecta sensibus proposita ergo transmittebantur species ad phantasiam; quibus producebantur species intelligibiles, & oriebatur scientia experimentalis; differebat tamen à scientia per accidens infusa, quia hęc terminabatur, & ad obiectum, & sensationem V. G. calorem, experientiam præceptum; sed illa licet perciperet calorem per ordinem ad sensationem, non tamen terminabatur ad sensationem intuitiuè, sed abstractiuè; sicut etiam nos in absentia formamus species rerum abstrahendo ab existentia; sed scientia B. V. terminabatur intuitiuè ad sensationem ipsius præsentem, & posteà per illam scientiam recordabatur se habuisse sensationem talis obiecti, ideò dicitur scientia experimentalis.

272 Dico XXXIV. Beatissimam Virginem ita experimento instructam fuisse in nonnullis mysterijs vt illorum euidentem, siuè naturalem, siuè moralem notitiam haberet.

Huic assentietur profecto, qui considerabit opera miraculosa, quæ experimenter nouit Sanctissima Virgo; vt conceptionem in suo purissimo vtero sine virili semine, celerem, & momentaneam prolis formationem, partum illibato Virginis flore permanente, & nullo interueniente dolore, &c.

273 Experiebatur etiam mentem suam eleuari in diuinorum contemplationem, & paradisiacis repleri delicijs; vnde Idiota de contemplat. Virg. cap. 2. ait; *Dulcedinem suæ diuinitatis tibi singulariter degustandam indulsit*. Et S. Petrus Damianus serm. de Annunc. *In huius vtero maiestas Altissimi mirabiliter liquefacta sicut adipe, & pinguedine*. Albertus Magnus cit. meminit dictæ dulcedinis, qua perfruebatur, & experiebatur nullos appetitus sensitiui

sitiui contra rationem insurgere motus, prophetias euidenter adimpleri; quæ habebant Deum authorem; sic, & videndo Elisabeth fæcundatam, sicut monuerat Angelus, ideo ipsum vera retulisse, & reliqua ab Angelo nunciata vera esse.

274 De hac scientia experimentali loquitur S. Anselmus de excell. Virg. cap. 2. dum ait: *Multa in se non solum simplici scientia; sed ipso experimento didicerat de Mysterijs Domini nostri Iesu Christi*. S. Bernardinus Senensis serm. 51. ait: *Non solùm per diuinam reuelationem; sed ipso experimento*: Et S. Bernardus homil. 4. super Missus est: *Soli datum est nosse, cui datum est experiri*.

275 Dico XXXV. A Beatissima Virgine in multis fuisse instructos Euangelistas, Apostolos, & alios fideles.

Probatur ex illo S. Lucæ capit. primo vbi habetur, sicut tradiderunt, qui ab initio viderunt; sed sunt multa mysteria visa à B. Virgine, quæ non fuerunt visa, aut audita ab alijs Apostolis, vel discipulis, vt aduentum Angeli Gabrielis, eius collocutionem, Incarnationem, Natiuitatem Christi Domini, aduentum Pastorum, & Magorum adorationem, illud Canticum eximium Magnificat, & similia, quæ tantùm à Beatissima Virgine potuissent referri credendum est.

276 Sunt pro hac parte multi Sancti Patres, vt S. Augustinus serm. 6. de Tempore: vbi ait: *Magistra gentium mansit cum Apostolis Maria vt Doctrix*. S. Ambrosius de Institut. Virginum cap. 7. *Mirum non esse præ reliquis Ioannem loquutum fuisse, cui præsto erat aula cœlestium Sacramentorum*. Sic, & S. Bonauentura in hymno Te Matrem Dei laudamus. Idiota libro de Contemplat. Virg cap. 3. Beda relatus à Glossa ordinaria in cap. 2. Lucæ Eusebius Emissenus in Euangel. de festo Assumpt. ait: Ab ipsa enim hæc Apostoli audierunt, & ipsa dictante scripserunt, nobisque legenda mandauerunt. Sic, & Amædeus de Laudibus B. V. homil. 7. qui hanc etiam assignat pro ratione cur non fuerit cum Christo Domino in cœlum assumpta. S. Bernardus homil. 4. super Missus est. Gerson super Magnificat tract. 11. Rupertus in serm. 11. de B. V. post Asc. Christi S. Vincentius Ferrerius serm. 3. de Natiuit. Virginis.

277 Probatur etiam ex reuelationibus B. V. quarum vnam retulimus in §. de Gestis à Beatissima Virgine post Christi Domini Resurrectionem. Altera habetur in oratione prima post sermonem Angelicum vbi ex reuelatione Virginem sic alloquitur; *Lætare Domina mea Virgo Maria, & de tua lætitia totus mundus lætetur, quia post Ascensionem suam ad amicorum suorum consolationem, & fidei roborationem indigentium auxilium, & Apostolorum sanum consilium in hoc mundo filius tuus multis annis te permanere permisit, & tunc per tua verba prudentissima, gestus honestissimos, & opera virtuosa, & innumerabiles Iudæos, & Infideles paganos ad Catholicam fidem conuertit*.

278 Obijcies ex D. Thoma 3. parte quæst. 27. artic. 5. ad 3. qui ait, non habuit vsum sapientiæ quantum ad docendum, quia hoc non conueniebat sexui muliebri. Vbi videtur assentiri Caietanus.

Respond. S. Doctorem ibi velle tantum, quod non sustinuerit partes publici Magisterij, vel publici Concionatoris; vnde, & Caietanus ibi addit *Posset tamen dici, quod non publica Doctrina, sed familiari instructione, quam constat mulieribus non fuisse prohibitam*,

B. V.

B. V, aliqua particularia explicasse Apostolis. Non placet tamen Caietanus in eo quod ait, non haberi ex Scriptura hoc, nam supra datus Textus Euangelij hoc indicat; nam licèt à Spiritu Sancto edocti per habitum fidei tamen edoceri de pluribus circumstantijs à Beatissima Virgine potuerunt.

279 Collige hic, ideò caput eius fuisse exornatum duodecim stellis, vt indicaretur duodecim stellas S. Ecclesiæ à splendore B. Virginis irradiatas. Si enim licuit Apostolo dicere *Gaudium meum, & corona mea*; multo magis Beatissimæ Virgini, &c.

280 Dico trentesimosexto, quod non sine consilio, & oraculo Sanctissimæ Deiparæ Apostoli celebrarunt Concilium primum Hierosolymitanum, quod secundùm Baronium celebratum est anno LI.

Primo, quia eorum Magistra. Secundo, ob eius venerationem, quam eminentissima scientia præditam optimè nouerant.

An verò interfuerit, aut præfuerit dicto Concilio, vndique Doctores versantur.

Canisius libro 5. de B. V. capit. 1. putat præfuisse, & adducit Rupertum id præcipuè asserentem.

Ioannes Carthagena tomo primo homil. lib. 2. homil. 8. existimat interfuisse, sed non præfuisse. Suarez disput. 19. sect. 3. Maximilianus Sandæus libro 3. comment. 9. exercit. 3. disput. 1. negant adfuisse, quod, & Lorinus in caput primum Act. Apostolorum probabilius putat.

281 Vbi aduerte obiter, quod licet Principum sæcularium, aut mulierum arbitria in definiendis rebus fidei nihil possit, eorum tamen præsentia ex indulgentia Pontificis admissa, confert quandoque plurimum, tum ad ornatum Concilij, & alios rationabiles fines, quod significatum est à Synodo Chalcedonensi in epistola ad Leonem Papam: & de facto Constantinus, & Helena Mater eius adfuerunt in Romano Concilio, in quo S. Syluester Papa præses fuit, qui tantum ei detulit, vt his quæ in Synodo sancita erant cum Reliquis Episcopis subscribere ex benignitate indulserit, inde in eo Concilio cap. 2. Syluester loquens contra Victorinum circa celebrationem Paschatis disseminantem errores ait: *Vestro iudicio condemnetur, & filiorum nostrorum Augustorum præcurrat Auctoritas ad condemnandum Victorinum Episcopum*. Et in eodem Consilio cap. 10. habetur: *Subscripserunt supradicti Episcopi in istud prædicente Syluestro Episcopo vrbis Romæ subscripsit Augustus Constantinus cum Matre Helena Augusta*.

282 Interfuerunt etiam Calcedonensi Maximianus Imperator, & Pulcheria Augusta in quorum commendationem plura congesta Patres illius Synodi. Sic, & præsentes fuere dictæ Synodo Constantinus, & Euphemia Augusta.

His tamen non obstantibus puto Beatissimam Virginem non præfuisse dicto Concilio, eo quod illud Concilium sic debuit celebrari, vt esset norma, & forma futurorum Conciliorum in quibus semper est caput summus Pontifex.

283 An vero fuerit præsens non audeo definire, licet enim Nouatus putet probabilissimum, quod non interfuerit; eo quod ex Scripturis non constet, nec ratio vrgeat, neque id faciat pro maiori perfectione Beatissimæ V. Imò ait quod debuerit abesse, Hic enim elucet eius modestia, & exemplo suo docuit in Ecclesia hierarchicum ordinem esse seruandum; cum non esset de hierarchia, & mulieribus

bus ansam loquendi subtraxit.

284 Tamen mihi videtur prædicta non conuincere licèt plurimum suadeant. Nam eius presentia plurimum conferebat ad decorem dicti Concilij; nec erat contra eius modestiam, cum, & in die Pentecostes esset cum eisdem quando venit Spiritus sanctus; neque propter hoc Hierarchicus ordo detrimentum patiebatur, cum non dicitur exercuisse partes definientis, sed tantum respondentis priuatim: sicut non fuit contra ordinem Hierarchicum dictos Principes mulieres, & Helenam subscripsisse dicto Concilio Romano nec indè mulieribus hanc ansam arripere poterant; cum non dicitur eam definijsse, aut publicè prædicasse, vel docuisse; sed tantum priuatim, quod ab omnibus videtur admittendum.

285 Dico XXXVII. Verisimile omninò videri quod Sanctissima Virgo Deipara scripserit aliquas epistolas pro fidelium solatio, & corroboratione in fide.

Verisimile enim est prędicantibus Apostolis populos ad fidem conuersos audientes matrem Sanctissimam Messiæ superstitem esse ad eam legatos misisse, & ipsam vice versa eis pro sua eminentissima Charitate rescripsisse testantur grauissimi Auctores. Vide Canisium libro 5. de B. V. cap. 1. Io. Carthagenam tomo 3. libro 14. homil. prima. Laur. Massellum libro de B. Virgine cap. 18. Mutium libro primo cap. 13. Gersonem in *Magnificat* tract. 9. parte 4. S. Bernardum serm. 7. in Psal. *Qui habitat*. Flauium L. dextrum antiquissimum, & celeberrimum anno Christi 89.

286 Et primo quidem Messanenses magna cum veneratione vnam ex dictis asseruant tenoris sequentis.

Maria Virgo Ioachim Filia, Dei humillima Ancilla, Christi Iesu Crucifixi Mater ex Tribu Iuda Stirpe Dauid Messanensibus omnibus salutem, & Dei Patris Omnipotentis Benedictionem.

Vos omnes fide magna Legatos, ac Nuncios per publicum documentum ad nos misisse constat, Filium nostrum Dei Genitum Deum, & hominem esse fatemini, & in cælum post suam Resurrectionem ascendisse Pauli Apostoli electi prædicatione mediante viam veritatis agnoscentes, ob quod vos, & ipsam Ciuitatem benedicimus, cuius perpetua Protectrix nos esse volumus anno Filij nostri 42. inditione prima, Tertio nonas Iunij Luna 27. feria 5. ex Hierosolymis

Maria Virgo confirmat quæ scripta sunt propria manu.

287 Prędictam epistolam approbat Flauius L. dexter sub anno Christi Domini 86. sic apud Messanenses celebris est memoria B. V. M. missa prius ab eadem dulci epistola.

Sub anno 430. eodem tempore in tabulari Messanensi reperta est quædam epistola hebraicè exarata à B. V. ad eosdem ciues Messanenses.

Secundo. Hoc credibile facit prædicatio S. Pauli.

Tertio: Ecclesia nunquam talem historiam improbauit, cuius historia publicè in Ecclesia Messanensi depicta conspicitur.

Quarto. Veneratio totius Vniuersitatis per longum tempus, & à Præsulibus semper admissa suadet & SS. Spiritus impulsu fieri.

288 Obijcies. Baronius anno Christi 48. numero 25. ait: *Traduntur & alia ab ipsa Deipara ad alias scripta Ciuitates, quas cunctas cum careant Ecclesiæ authoritate nonnisi in Apocryphorum classem rejiciendas esse omnes facile indicabunt.*

Sed

Sed Respond. hoc ideò eum scripsisse, quia non habuit historiam Flauij L. Dextri, nam tomo 4. anno 392. affirmat eam in magnum damnum nostrum perijsse; sed reuera non periit, vt habet epistola Euthrandi Sancto Patri Regimundo Episcopo Illiberitano missa, quæ habetur initio dictæ historiæ Cęsar-augustæ impressæ anno 1619.

289 Deinde argumentum è verisimili multum roboris habet, vt tradunt Iurisperiti, & ait Euerardus in topica loco à verisimili. Vide Georgiũ Gualterum in tabulis Siciliæ, Melchiorem Incofer: qui affert multos magni nominis Auctores cap. 50. 51 & 52. in idem conspirantes satis firmis innixus rationibus ait se subscribere Nouatus 2. parte capit. primo quæst. 25.

290 Extat & alia epistola, quam tradunt Beatissimam Virginem S. Ignatio scripsisse his verbis.

Ignatio dilecto discipulo
Humilis Ancilla Christi Iesu.

De Iesu, quæ à Ioanne audisti, & didicisti vera sunt, illa credas, & illis inhæreas, & Christianitatis votum firmiter teneas, & mores, & vitam voto conformes; veniam vna cum Ioanne, te, & qui tecum sunt visura. Sta in fide viriliter age, nec te commoueat persecutionis austeritas, sed valeat, & exultet spiritus tuus in Deo salutari tuo. Amen.

291 Hæc est responsio ad epistolam S. Ignatij ad ipsam Deiparam, quæ est tertia in epistolis S. Ignatij tenoris sequentis. Videlicet

Me Neophytum Ioannisque tui discipulum confortari, & consolari debueras; de Iesu enim tuo percepi innumera dictu, & stupefactus sum ex auditu; à te autem, quæ semper ei fuisti familiaris coniuncta, & secretorum eius socia, desidero animo fieri certior de auditis. Scripsi tibi alias, & rogaui de eisdem. Valeas, & Neophyti, qui mecum sunt ex te, & per te confortentur. Amen.

292 Circa prędictas epistolas Baronius anno Christi 48. numero 25. non videtur eas approbare, quia Hieronymus, & alij antiquiores, qui S. Ignatij epistolas recensuerunt, eas non nouerunt, & in primo tomo magnæ Biblioth. Coloniæ impressæ anno 1618. pag. 77. col. prima. Quia nullus vsquè ad Bernardum earum meminit, vel inter Apocryphas velut non omninò certas, & genuinas habet. Denique Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis meminit huius, & duarum ad S. Ioannem Euangelistam; quas neque in codicibus Græcis habere, nec omninò grauitatem eloquij S. Ignatij redolere tradit.

293 Verumtamen in earum approbationem est Auctoritas S. Bernardi serm. 7. in Psal. *Qui habitat*; qui cum fuerit vir adeò eruditus in Sacris historijs plurimum versatus, & adeò Sanctus, non est credibile, quod si moralem certitudinem non haberet hoc assereret, nempè S. Ignatium ad B. Virginem pluries scripsisse, his verbis: *Magnus ille Ignatius, discipuli quem diligebat Iesus auditor, Martyr noster cuius pratiosis reliquijs nostra est ditata paupertas Mariam in pluribus, quas ad eam scripsit epistolis Christiferam consalutat.*

294 Gerson approbat epistolam Beatissimæ Virginis ad S. Ignatium tract. 9. in *Magnificat*. Vide Marcum Michaelem Carton. Præsbyt. de Viris illustribus. Dionysium, Carthus. in commentarijs in libro de diuinis nominibus Dionysium Areopagitam, Sixtum Senensem libro 2. Biblioth. in Maria. Petrum Canisium lib. 5. de Deipara cap. 18. & licet nobis

bis non constet quis antè S. Bernardum de dictis Epistolis mentionem faciat non est tamen credendum tantum virum temerè hoc asserere.

295 Præterea argumentum à communiter accidentibus multum valet, vt notat Euerardus in Topica loco à communiter accidentibus, nam, quod communiter fit in dubio factum præsumitur L. eum qui probabilem C. de Episcopis, & Clericis non residentibus: ibi Abbas, Imola, Calderinus Glossa in L. neque naturalis C. de probatione, & ibi Cynus, Salicetus, Baldus, & alij; sed discipuli grati Magistris, & filij spirituales suis Patribus Epistolas quandoque conscribunt: Ergo, & S. Ignatium S. Ioanni Euangelistæ, & S. Deiparæ, quæ in Cruce ei commendata fuit scripsisse in signum obsequij, & reuerentiæ, maximè cum vsquè adeo amans fuerit dilectissimi sui Iesu, & Sanctissimam Virginem tam ardentem amorem erga suum dilectissimum filium in tali discipulo agnoscentem solatam per literas credi debet.

296 Tertio non est verisimile ab aliquo prædictas Epistolas confictas; nulla enim ratio id vincit, & alienum à verisimili imaginem falsi habet L. 2. ff. de his, quæ vi metusque causa fiunt, L. milites §. op. C. de quæst. Nec officit styli varietas; nam stylus sæpius variatur ob varias animi dispositiones, Canisius libro 5. de Beatissima Virgine cap. primo aliam Epistolam ad Florentinos refert, quæ cuius fidei sit, apud dictum Canisium, & alios referentes inuenies.

DISPVTATIO VI.

§. VI.

An Beatissima Virgo toto vitæ suæ tempore potuerit in gratia crescere per sua merita.

297 Ratio dubitandi est, quia licet nullus negot potuisse Beatissimam Virginem mereri, & crescere in gratia vsquè ad Filij conceptionem, tamen fuit quorumdam opinio post conceptionem non potuisse amplius mereri neque in gratia proficere, in quam licet cum timore videtur inclinare Scotus in 4. dist. 4. q. 6. ad 5. Almain. in 3. d. 3. q. 3. Richel. ibi art. 2. q. 4. Alensis 3. parte q. 9. membr. 4. a. 2. §. 2. ad 1. Et videtur posse sumi fundamentum ex D. Th. qu. 27. art. 5. quatenus ait: *gratiam Virginis fuisse consummatam in conceptione filij*, & ex D. Bernardino qui serm. 51. de conceptione ait: *Beatissimam Virginem in Conceptione filij accepisse tantam gratiam quantam potest accipere creatura Viatrix*, & ex S. Io: Damasceno oratione prima de dormitione Deiparæ, qui ait: *Omnium etenim bonorum initium medium, & finis securitas etiam, ac vera confirmatio in illa seminis experte conceptione posita fuit*. Potissimum argumentum est quia decebat ad conceptionem Filij perfectissimè præparari, & disponi; ergo verisimile est tantam gratiam tunc accepisse quantam pura creatura capere potest. Quibus non obstantibus.

298 Dico potuisse etiam post filij Incarnationem crescere in gratia.

Ita Suarez disput. 17. sect. prima, quod colligit ex D. Thoma quæst. 27. artic. 5. ad 2. vbi triplicem gratiæ perfectionem ponit, primam ante Conceptionem, vt dispositam, Secundam in Conceptione, Tertiam in gloria. Similia habet opusculo 60. artic. 3. & Rupert. lib. 6. in Cant. dum ait: in prima sanctificatione fuisse vt Auroram; in filij conceptione, vt Lunam, in morte vt Solem.

299 Sic & S. Bonauentura in spec. Mariæ cap. 9. & 11. Durandus, quia viatrix, in 3. dist. 3. quæst. 4. vbi ait, quod licet non potuerit peccare, potuit tamen mereri, quia pure viatrix. Gab. ibi quæst. 2. art. 3. dub. 1. Vega lib. 10 in Tridentinum cap. 2. qui concludit; nam quod quidam existimant datam esse, & in conceptione Filij Dei totam gratiam, quam postea meritura erat: somnium est absque vllo fundamento contra legem Dei effictum, quod eadem ratione, qua dicitur merito est contemnendum; sic, & Sotus in 4. dist. 5. artic. 2. & Theol. in 3. d. 3. videntur semper eam supponere, vt certam.

Ratio est quia incredibile omninò videtur tot obsequia exhibita Christo Domino, & dolores perpetui caruerint meritis apud Deum, & gratiorem

rem non reddiderint.

300 Obijcies: Angeli exhibent obsequia, & ministeria, & tamen non redduntur gratiores Deo; & Christus Dominus per sua opera non reddebatur gratior Deo; ergo nec Beatissima Virgo.

Respond. quod ratio discriminis est, quod Beatissima Virgo nondum erat Beata, & ex parte gratiæ nullum erat impedimentum, quin augeri posset, & ex parte Beatissimæ Virginis erant omnia requisita ad merendum; & ex alia parte melius est Viatori mereri, quàm sine fructu operari.

301 Quare ad illud de Angelis Respond. ideo non mereri quia iam sunt in termino. Ad exemplum de Christo Domino, non esse ad rem, quia ob dignitatem suæ Personæ erat infinitè gratus, & secundum animam fruebatur Deo, & vt Viator mereri potuit sibi, & alijs; sibi quatenus capax erat alicuius præmij; ergo non est denegandum Beatissimæ Virgini, quæ non potuit mereri alijs de condigno, vnde sibi meruit, quia nec ratione dignitatis suæ Personæ, nec ratione status erat incapax huius augmenti.

302 Obijcies. Toto quidem vitæ suæ tempore mereri potuit augmentum gratiæ, quod illi collatum est in ipsa conceptione sui Sanctissimi Filij, vt tunc fieret Deo gratissima, & acceptissima.

Respond. primo, hoc dici sine fundamento contra legem ordinariam, quæ requirit quod meritum antecedat præmium.

Secundo. Quia principium meriti non cadit sub merito, nec etiam in Christo, sed hic fuisset, nam gratia, quæ antecedit opus est principium illius meriti.

303 Tertio, immutarentur ferè omnes leges meriti & præmij. Nam ex principio Conceptionis Dominicæ potuit elicere actus æquales intentioni illius gratiæ; cum gratia ex se non sit otiosa, sed efficax ad operandum iuxtà totam suæ perfectionis latitudinem, & si in aliquo viatore vnquam ita operata maximè in SS. Virgine. Sed per vnum actum æque intensum meretur homo æqualem intensionem habitus; ergo vel beatissima Virgo per vnum actum suæ gratiæ adæquatum meruit totam, nihil vero per sequentes (quod supra referendum est) vel ampliorem, quam receperat gratiam, quod contendimus.

304 Obijcies. Quod sicut Christus Dominus tam vno actu quam omnibus simul totam gratiam velut pluribus titulis meruit; sic, & Beatissima Virgo. Ergo, &c.

Respond. disparem esse rationem, nam meritum Christi Domini fuit intensiuè infinitum, & ideò non potuit esse intensiuè maius in vno quàm in multis; non sic meritum Beatissimæ Virginis, quod in singulis actibus erat finitum, & ideò poterat augeri, & vnumquodque erat noui præmij capax; non ergo poterat vno eodemque præmio finito (sine augmento gratiæ) omnibus ex æquo satisfieri; neque aliorum hominum merita ita remunerantur. Cur ergo Beatissima Virgo facienda in hoc deterioris conditionis?

305 Ad rationes in contrarium Respond. & primo ad testimonium D. Thomæ. Mentem ipsius esse, quod fuerit confirmata in bono, ita vt amplius non posset peccare; non de consummatione simpliciter, quæ futura est in gloria; & hic sensus est omnium ferè Scholasticorum.

306 Secundo ad D. Bernardinum

Respond. habuisse quidem maiorem gratiam, quam vlla viatrix creatura non tamen totam illam, quam in toto cursu viæ suæ habitura erat.

307 Tertio ad S. Ioannem Damascenum cuius verba sunt difficilia, & Suarez ait esse per exagerationem dicta Respond. cum eodem, sensum ipsius esse quod fuerit perfectissimè confirmata in bono, quoad omnis mali remotionem, & securitatem; non tamen quoad omnis perfectionis, & securitatis modum, alias ex eisdem verbis colligi posset ex actu Conceptionis fuisse plenè, & perfectè Beatam.

308 Quarto ad coniecturam Respond. plenitudini illi non repugnare augmentum; nam semper plena fuit ab instanti suæ conceptionis, quia semper habuit quidquid pro temporis opportunitate conueniens fuit, & eius dignitatem decuit, semper tamen impleri potuit magis, quia hoc eius dignitati, & meritis debitum erat; vndè sicut non fuit debitum dignitati matris, quod statim ad gloriæ statum tunc eleuaretur; sic neque vt omne gratiæ augmentum illi conferreretur; sed quod viatoris statui esset proportionatum, & sufficiens principium perueniendi ad statum gratiæ consummatæ, seu gloriæ Deiparæ consentaneum; quo sensu dici potest accepisse in Conceptione filij omnem gratiæ plenitudinem non formaliter; sed in radice; quo sensu etiam interpretari possunt D. Thom. S. Bernard. & S. Ioan. Damascenus.

§. VII.

An Beatissima Virgo in singulis actibus, & momentis vitæ suæ meruerit.

309 Dico primo Beatissimam Virginem per omnes, ac singulos actus humanos quos in mortali vita exercuit post primam sanctificationem meruisse augmentum charitatis, & gratiæ, & gloriæ. Dico post primam sanctificationem, quia actus quo se ad illam disposuit fuit quidem meritorius primæ gloriæ non tamen gratiæ, & augmenti eius.

Probatur Conclusio, quia nullos habuit actus indeliberatos, & inter deliberatos omnes fuerunt moraliter boni, & non datur actus indifferens in indiuiduo præsertim in eo qui perfecto modo operatur: ergo omnes moraliter boni: & sæpissimè omnes referebat in Deum magna charitate dilectum, cum nullum haberet inordinatorum affectuum impedimentum; vndè frequentissimè mentem suam in Deum fixam habuit. Et cum plenum dominium suorum actuum haberet, non auertebat voluntariè mentem, nisi à corporis necessitate, aut imbecillitate compulsa, quod rarò accidere poterat; quo tempore solum remisisse credendum est interiorem mentis actionem. Summa enim facilitate, & iucunditate in diuinis meditationibus versabatur. Vide S. Ambrosium libro 2. de Virg. quod, & habetur in festo Conceptionis

Bea-

Beatissimæ Virginis.

310 Dico secundo Beatissimam Virginem statim obtinuisse augmentum gratiæ quod promerebatur; Siuè dicamus quodcumque meritum statim in iusto sequi augmentum gratiæ, siuè sit per actus intensos siue per remissos. Secundo siuè dicamus cum alijs non conferri nisi accedente actu intensiori, & frequentiori; nam Beatissima Virgo semper respondit diuinæ gratiæ, & iuxtà mensuram illius operabatur; nam, & Angelis, & S. Francisco, & Apostolis concessum volunt Doctores: ergo multo magis, & Beatissimæ Virgini.

311 Prætereà erat libera à fomite peccati, & à potentiarum deordinatione; quare sicut Angeli propter hanc rationem omninò cooperati sunt diuinæ gratiæ; ita, & Beatissima Virgo, quæ poterat facilius à Spiritu Sancto moueri; ergo quando amabat Deum, amabat eum intensiori actu, quàm esset habitus; nam proueniebat, & ex habitu, cui adæquatè correspondebat eius cooperatio, & ex motione diuina, quæ facilè reddit intensiorem.

312 Obijcies; non semper habuit motionem, qua intensius operaretur.

Respond. non esse contendendum in hoc cum solum in pietate, & probabili fundamento fundata fundatur nostra assertio; nam vt habet S. Bernardinus serm. 51. cap. 3. *Nihil vnquam elegit nisi quod ei Sapientia diuina demonstrabat, tantumque semper dilexit Deum, quantum à se diligendum existimauit*. Quod si Deus non denegat suam gratiam facienti, quod in se est ex potiori gratia; sequitur non denegandum Beatissimæ Virgini. Et qui plus requirit impossibilem constituit huius augmenti consequutionem in hac vita sinè fundamento præter diuinæ gratiæ liberalitatem, & diuinæ Iustitiæ æquitatem in remunerandis operibus; & præter infirmorum hominum necessitatem, et vtilitatem.

313 Meruit autem per actus perfectissimos vitæ actiuæ, ac contemplatiuæ, quod latè prosequitur Suarez disp. 17. sect. 2. per tria tempora. Primo, ante conceptionem filij. Secundo ab Incarnatione vsque ad Ascensionem. Tertio ab Ascensione vsquè ad Obitum: & de hoc Tertio tempore refert Sabellicus lib. 2. exempl. cap. 4. & 5. & libro 8. cap. 4. in Ioannis domo habitasse, & priuatam vitam ab hominum consortio semotam egisse; vndè, & S. Laurentius Iustinianus serm. de Assumpt. ait: *Nullus ardorem Virginis sufficit explicare quanto desideriorum cremabatur incendio, quam crebris suspirijs angebatur*.

314 Quo tamen tempore docuit Apostolos, & Lucam, vt habet sermo de Assumpt. qui sub Hieronymi nomine circumfertur; quæ & rescripsit S. Ignatio, qui Epistola 3. eam deprecatur, vt se iuuare ac consolari dignetur, ad quem ipsa eum hortans ad sustinendas persecutiones erigens aduentum suum cum Ioanne Euangelista pollicetur; & Epiphanius hæres. 78. dubitat an cum Ioanne in Asiam profecta sit, & Patres Concilii Ephesini cap. 17. tom. 2. affirmant Ephesinorum Ciuitatem cum Ioanne Euangelista incoluisse. Vnde Ignatius epist. prima ad Ioan. Euang. ait: *Sicut nobis à fide dignis narratur, in Maria Matre Iesu humana natura natura sanctitatis Angelica copulatur, & hæc talia excitauerunt Viscera nostra, & cogunt valdè desiderare aspectum huius, si fas est fari, cœlestis prodigij, & sacratissimi spectaculi*; de qua Epistola meminit S. Bernardus

dus serm. 7. in Psalmum 90.

315 Dico tertio Beatissimam Virginem toto vitæ suæ tempore continuè meruisse, et in gratia creuisse.

Est Alberti Magni lib. de B.V. cap. 176. 177. et 197. quod approbant S. Antoninus 4. parte tit. 15. cap. 20. §. 6. et Bernardinus de Busto 4. parte sermone 9. §. vltimo. Canisius lib. 5. cap. 1. Et quidem de tempore quando vigilabat est certum, semper enim quandiu ratione vsa est semper est bene operata cum haberet perfectum dominium suorum actuum, et nunquam indeliberatè operaretur; Nec verè cessare poterat ab omni actu simul externo, & interno, est enim ferè humano modo impossibile, & in homine vtente ratione esset nonnulla culpa sic se auertere, & otiosum manere, ergo ipsa continuè operata est & consequenter continuè meruit.

316 De tempore verò quo dormiebat est incertum, sed vero similius videtur, & Sanctorum Patrum menti magis accommodatum; sic habent S. Bernardinus Senensis sermone 51. artic. primo vbi accommodat illud Ieremiæ primo: *Virgam vigilantem ego video*. Sic & in 3. opusc. serm. tract. de B. V. serm. 4. artic. primo cap. 2. cum illo Canticum cap. 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat*. Rupertus lib. 5. in Cantic. S. Ambrosius lib. 2. de Virginibus Canisius libro primo cap. 13. Bernardinus de Busto in Mar. 3. parte serm. primo parte 3. Dionysius Richelius in illud Cant. 5. *Ego dormio*; & colligitur ex S. Augustino libro 5. contra Iulianum cap. 9. vbi de hominibus in statu Innocentiæ ait: *Tam felicia erant somnia dormientium, quam vita vigilantium*; sed quidquid perfectionis est in illo statu communicatum non est illi denegandum.

317 Secundo Angelis sanctis concessum, quod nunquam cessauerint ab actuali amore: ergo & Reginæ Angelorum.

Tertio ex Doctorum placito concessa B. Virgini scientia infusa, qua sine conuersione ad Phantasmata intelligeret: ergo potuit illa in somniis vti, & per consequens per voluntatem meritoriè operari.

318 Quod si quis contendat fuisse cum aliqua interruptione nihilominus tenendum fuisse tam breuem moram, vt morali existimatione censeri possit meritum continuum; nam propter optimam corporis temperiem, & propter moderatissimam viuendi rationem exiguo somno indigebat, & virtute, qua corpus suum Sanctissimum affligebat magnam illius temporis partem vigiliis, & orationibus tribuebat; quare S. Bernardinus S. Bonauentura, & Canisius referunt varias Reuelationes ex quibus constat Beatissimam Virginem noctes insomnes fere integras meditando traduxisse, & credi potest à charitate eximia, qua flagrabat sæpissimè excitatam eleuasse animum suum in Deum: quod etiam Sanctis viris accidisse testantur eorum gesta.

319 Dico quarto; & vltimo; magnum fuisse augmentum gratiæ, quod Beatissima Virgo ex opere operato consequuta fuit; nam Sacramenta in illa non fuerunt minus efficacia quam in aliis iustis.

Et primo quidem Sacramentum, quod fœminis dabatur in remedium peccati originalis, quod licet propriè ex opere operato non daret gratiam, tamen dabat eam præter omne meritum suscipientis, ex Suarez loco cit. quod remedium Beatissimæ Virgini applicatum paulo post eius Natiuitatem non dubitatur; sicut S. Ioanni Baptistæ circumcisio, licet fuisset san-

ſanctificatus vtero; nam hæc diuina myſteria ſanctificationis non ſunt ſic per ſe nota hominibus, & prior ſanctificatio non reddit incapacem huius gratiæ Sacramentalis, Vide Palud. in 3. diſt. 3. quæſt. 2.

320 Secundo Ex vſu Sacramentorum nouę legis, & fructu eorum; nam licet Scotus in primo dubitet, tamen communiter à Scolaſticis tenetur, quod aliqua ſuſceperit; exceptis ordine Matrimonio, vt Sacramento nouæ legis, & Pœnitentia cuius materiam non habuit.

321 Sed Baptiſmum ſuſcepiſſe docent omnes Theologi, & tradit Euthymius. Sic; *Scribunt quidam Apoſtolorum temporibus proximi; quod Chriſtus Petrum, & Virginem Matrem Baptizauerit; Petrus verò reliquos Apoſtolos.*

322 Obiicies: Nicephorus libro 2. cap. 3. ait: *Chriſtum manibus ſuis Petrum tantum Baptizaſſe*; Ergo, &c.

Reſpond. illam dictionem excluſiuam non excludere Beatiſſimam Virginem Chriſto Domino coniunctiſſimam, quæ non eſt cæterorum legibus comprehenſa.

323 Suſcepit autem primo, quia pręceptum eius generatim omnes cõprehendebat niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c. nec de priuilegio conſtat, quod fuerit neceſſarium ad eius perfectionem.

Secundo, quia erat exemplum fidelium.

Tertio, quia per Baptiſmum ſignificamur Chriſti membra, cuius præcipuum fuit Beatiſſima Virgo.

Quarto, quia datur poteſtas per eum vtendi alijs Sacramentis nouæ legis.

324 Suſcepit etiam frequenter Euchariſtiam: Primo, quia vſus eſt in præcepto. Secundo, quia frequentia eſt honeſtiſſima vtiliſſima, & valde informis eximiæ charitati Sanctimæ Virginis. Tertio, quia ex Actis 2. in primitiua Eccleſia fideles quotidiè, vel ſaltem frequenter eo vtebantur.

325 De Confirmatione, ait Suarez diſput. 17. ſect. 3. quod licet non receperit, quoad ſignum viſibile in quo conſiſtit ratio Sacramenti, recepit tamen characterẽ gratiam, & abundantiam Spiritus ſancti, quæ ſunt effectus illius Sacramenti, Sicut dicitur de Apoſtolis in die Pentecoſtes, qui poſtea non receperunt Sacramentum ipſum, quia iterari non poteſt.

326 De extrema Vnctione eſt Controuerſia; nam Paludanus in 4. diſt. 23. quæſt. 3. artic. 2. Supplem. Gabriel. quæſt. prima dubit. 3. Victor. in ſumma num. 222. negant; quia inſtitutum eſt pro ijs tantum, qui actualiter aliquando peccauerunt; & ſicut non poteſt dari ſanis, ſic nec ijs, qui nunquam peccauerunt.

327 Secundo, quia eſto fuiſſet capax non videtur illi conuenire deprecatio in forma adhibita, & cum eo non indigeret, nec ratione effectus, nec ratione præcepti, quod nullum eſſe videtur.

328 Alij affirmant, vt B. Albertus Magnus in Mariali cap. 72. & 74. & S. Antoninus 3. parte tit. 14. cap. 8. §. 3. Sylu. in Roſa aurea tract. 3. de 99. impoſsib. Bernardinus de Buſto 4. parte ſerm. 11. par. 3. Caniſius libro primo de Beata M. cap. 9. vbi laudat Albertum Magnum ſupra cit. capit. 81. dicentem, Beatiſsimam Virginem ſuſcepiſſe omnia Sacramenta nouæ legis præter ordinem, quæ tamen ſententia, vel correctione, vel pia aliqua interpretatione indiget.

329 Ratio horum eſt, quia putant non eſſe de neceſsitate huius Sacramenti; quod actualiter peccauerit; ſed tantum, quod quantum eſt de ſe peccari potuerit, & tentationibus vexari,

xari; vt docent in 4. dist. 23. Bonauentura, Richardus Guilelmus de Rubio, maior, & alij. Quod cum pendet à diuersis principijs iuxtà dicta de extrema vnctione resoluenda est; quod si teneamus, quod capax fuerit, & susceperit dicendum est non fuisse inconueniens ex parte formæ, tum quia intelligi potest concessum illi aliquod speciale priuilegium, cum sit conditionalis (vel vt dicam) potentialis. Idest conferat tibi Deus gratiam sufficientem ad delendam omnem maculam, quæ per sensus contrahi solet; nec ex parte materiæ est indecentia cum semper cum summa honestate applicetur.

330 Fuit etiam à Deo cumulata singulari gratia, & sanctitate à Deo immediate in aliquibus alijs temporibus, vt in instanti, quo Filium Dei concepit, vt docent Th. in 3. dist. 3. sicut etiam in sua conceptione accepit primam sanctificationem præter omne meritum, & præter omnem Sacramentalem sanctificationem, & quidem circa eam, quam accepit in Filij sui Sanctissimi Conceptione docet D. Thomas 3. parte quæst. 27. artic. 3. tunc fuisse illi fomitem sublatum. Vide Durandum supra cit. quæst. 3. Scotum. D. Bernardum in homil. super *Missus est*. S. Laurentium Iustinianum sermone de Annunciat. Athanasium serm. de SS. Deipara. Eusebium Emissenum super *Missus est*, & Feria 4. 4. Dominicæ Aduentus. Albertum Magnum in Mariali cap. 69. D. Thomam opusculo 60. artic. 3. qui distinguit triplicem gratiam, aliam vocat *Sufficientiæ*, quam habuit à principio; aliam *Abundantiæ*, quam dicit habuisse in Filij Conceptione; aliam *Singularis excellentiæ*, quam in toto vitæ decursu consecuta est. Coniectura sit, quod in visitatione S. Elisabeth infans est sanctificatus, & Elisabeth gratia impleta; vnde de Sanctissima Virgine sine temeritate non videtur hoc posse negare; idem contigisse die Natiuitatis, Passionis, & mortis, Resurrectionis Christi Domini, eiusdē Ascensionis, & Pentecostes die pie credi potest.

Cæterum quidquid S. Ioannes cap. 21. scripsit de Christo Domino, dum vltimam suo Euangelio manum apponere voluit; liceat mihi dicere de Sanctissima Virgine, vt finem huic volumini ponam *Sunt autem, & alia multa, quæ fecit*, & habuit Maria, *quæ si scribantur per singulas, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libros*.

F I N I S.

Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ correctioni vsquè ad apicem omnia subiectantur.

INDEX

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ.

Ex Genesi.

Ex Exodo.

Ex Leuitico.

Ex Numeris.

Ex Deuteronomio.

Ex 1. Regum.

Ex 3. Regum.

Ex Tobia.

Ex Iob.

Ex Psalmis.

v. 18.

v. 18. Foderunt manus meas; & pedes meos; dinumerauerunt omnia ossa mea. lib. 1. num. 421.

Psal. 29. v. 7. Ego autem dixi in abundantia mea non mouebor in æternum libro 1. num. 412.

v. 8. Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus ibidem.

Psal. 37. v. 5. Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me. lib. 1. num. 417.

Psal. 44. v. 10. Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato; circumdata varietate lib. 3. num. 135. & num. 173.

v. 4. Generatio, & generatio laudabit opera tua: & potentiam tuam pronunciabunt lib. 1. num. 250. & num. 370.

v. 15. Adducentur regi Virgines post eam, proximæ eius afferentur tibi. libro 1. num. 157. & num. 301.

Psal. 45. v. 5. Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei; Sanctificauit tabernaculum suum altissimus. lib. 1. num. 76. & num. 31. libro 3. num. 58.

v. 6. Deus in medio eius non commouebitur lib. primo num. 80.

v. 9. Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella vsquè ad finem terræ. libro primo numero 76. & num. 65.

Psal. 47. v. 1. Magnus Dominus, & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri. lib. 1. num. 383.

Psal. 50. v. 9. Super niuem dealbabor. lib. 2. num. 64.

Psal. 61. v. 12. Semel locutus est Deus, duo hæc audiui, quia potestas Dei est. lib. 3. num. 156.

v. 13. Et tibi Domine Misericordia, ibidem

Psal. 67. v. 16. Mons coagulatus, mons pinguis. lib. 2. num. 391.

Psal. 68. v. 22. Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. libro 1. num. 421.

Psal. 71. v. 8. Dominabitur à Mari vsquè ad mare lib. primo num. 255.

v. 17. Et benedicentur in ipso omnes Tribus terræ lib. 1. num. 279.

Psal. 75. v. 3. Factus est in pace locus eius lib. 1. num. 78.

Psal. 77. v. 43. Posuit in Ægypto signa sua, & prodigia sua in campo Taneos lib. 2. num. 170.

Psal. 79. v. 16. Perfice eam quam plantauit dextera tua lib. 1. num. 402.

Psal. 83. v. 3. Cor meum, & Caro mea exultauerunt in Deum viuum. lib. 2. num. 254.

Psal. 86. v. 1. Fundamenta eius in Montibus Sanctis. lib. 3. num. 3.

v. 3. Gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei lib. 3. num. 58.

v. 5. Homo, & Homo natus est in ea; & ipse fundauit eam Altissimus. lib. 1. num. 374. & num. 82.

Psal. 87. v. 16. Et in laboribus à iuuentute mea lib. 1. num. 415.

Psal. 103. v. 13. Rigans montes de superioribus suis lib. 3. num. 28.

v. 26. Draco iste, quem formasti ad illudendum ei lib. 2. num. 22.

Psal. 109. v. 3. Ex vtero ante luciferum genui te lib. 1. num. 250.

v. 7. De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput. libro 3. numero 21.

Psal. 128. v. 3. Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores. lib. 1. num. 89.

Psal. 131. v. 8. Surge Domine in requiem tuam tu, & arca Sanctificationis tuæ. lib. 3. num. 134.

v. 11. Iurauit Dominus Dauid veritatem lib. 1. num. 436.

Psal. 135. v. 1. Quoniam in æternum misericordia eius lib. 1. num. 408.

Psal. 144. v. 4. Generatio, & generatio laudabit opera tua, & potentiam tuam pronunciabunt. lib. 1. num. 250. & 370.

v. 9. Miserationes eius super omnia opera eius. libro primo numero 409.

Ex Prouerbijs.

Cap. 8. v. 12. Ego Sapientia habito in consilio, & eruditis intersum cogitationibus libro 3. num. 179.

Ex Eccleſiaſte.

Ex Canticis.

Ex Lib. Sapientiæ.

Ex Ecclesiastico.

Ex Isaia.

Ex Ieremia.

Ex Threnis.

Ex Da-

multo

Ex *D. Marco*.

Ex *D. Luca*

vers. 12.

Ex D. Ioanne.

Ex Actibus Apostolorum.

Ex Epistola ad Romanos.

Ex 1. Ad Corinthios.

Ex 2: ad Corinthios.

Ex Epist. ad Galatas.

Ex Epist. ad Ephesios:

Ex Epist. ad Philipp.

Ex Epist. ad Colossen.

Ex 1. ad Timotheum.

Ex Epist. ad Hebræos.

Ex Epist. S. Iacobi.

Ex Epist. S. Ioannis.

Ex Apocalypsi.

INDEX QVÆSTIONVM

Quæ in primo libro continentur.

nis

DISPVTATIO III.

De stirpe, Origine, & Parentela B. Virginis Mariæ.

DISPVTATIO IV.

De Natiuitate B. V. Mariæ.

DISPVTATIO V.

De Præsentatione, & virtutibus B. V. in Templo exercitis.

DISPVTATIO VI.

De Matrimonio B. V. M. cum S. Ioseph.

DISPVTATIO VII.

De Annunciatione Angelica.

DISPVTATIO VIII.

De Consensu præstito à B. V. Verbis Angeli.

DISPV-

DISPVTATIO IX.

De Sacrosancto Incarnationis mysterio in vtero B. V. M. peracto.

DISPVTATIO X.

De itinere & Salutatione SS. Virginis ad S. Elisabeth.

DISPVTATIO XI.

De Cantico B. V. Mariæ.

DISPVTATIO XII.

De mora B. V. cum S. Elisabeth.

DISPVTATIO XIII.

De ijs quæ acciderunt S. Ioseph quando vidit B Virginem grauidam.

DISPVTATIO XIV.

De B. V. M. Christum Dominum in vtero gestante.

LIBRI

LIBRI SECVNDI
QVÆSTIONES.

DISPVTATIO IX.

De ijs quæ B. V. M. gessit, & pertulit in Passione Filij sui dilectissimi Domini Nostri Iesu Christi.

LIBRI TERTII QVÆSTIONES.

DISPVTATIO I.

De ijs quæ occurrerunt B. Mariæ in Resurrectione Domini.

DISPVTATIO II.

De morte felicissima sanctissimæ Virginis Deiparæ.

Quæ-

DISPVTATIO III.

De Funeralibus SS. Virginis Deiparæ.

DISPVTATIO IV.

De Beatissima Virgine rediuiua, & in cælum Assumpta.

DISPVTATIO V.

De cognitione B. V. M. in hac mortali vita.

DISPVTATIO VI.

De gratia B. Virginis habita per sua merita.

FINIS.

